

153

159-1-6

1.133

✠

R. P. FR. JOSEPHI
A SPIRITU SANCTO
(BENAVENTE)
DISCALCEATI MINORITÆ,
PROVINCIÆ D. PAULI APOSTOLI
IN VETERI CASTELLA
SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI,
EX-CUSTODIS, ET CHRONOGRAPHI,

Colecta Conv.to de Sn Buenav.a 1745.
Fr. Melchor dec. Sint.o Guard.n

IN SACRAS
COMMUTATIONES
COMMENTARIJ LITERALES,
PANEGYRICI,
AC MORALES.
TOMUS SECUNDUS.

VALLIS-OLETI: EX TYPOGRAPHIA
Congregationis Bonæ Mortis.
Anno. M.DCC.XLV.

R. P. FR. JOSEPHI

A SPIRITU SANCTO

(BELNAVENTE)

DISCALCEATI MINORITÆ

PROVINCIÆ D. PAULI APOSTOLI

IN VETERI CASTELLA

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS EMERITI,

EX CUSTODIS, ET CHRONOGRAPHI.

COMMENTARII IN SACRAS

COMMUTATIONES

COMMENTARII LITERALES,

PANEGYRICI,

AC MORALES.

TOMUS SECUNDUS.

VALLISOLETI: EX TYPOGRAPHIA

Congregationis Bonæ Mortis.

Anno M.DCC.XLV.

CENSURA FRATRIS NOSTRI Fr. EMMANUELIS

â Sancto Joseph, Sacræ Theologiæ Lectoris Antiqui, ac in Provincia Divi Pauli Strictioris Observantiæ S. P. N. Francisci, olim Diffinitoris, & Custodis actualis.

OPUS fœliciter inchoatum in primo Volumine Commentaria Literalia, Panegyrica, Moraliaquè in Sacræ Scripturæ Commutationes continente, fœlicius erigit, mirumque in modum amplificat Frater Noster Fr. Joseph à Spiritu Sancto Sacræ Theologiæ Lector emeritus, hujusque almæ Provinciæ D. Pauli Apostoli Rigidioris Observantiæ inter Franciscanas jam Custos, nuncquè Cœnobij Palentini Seraphico Doctori D. Bonaventuræ sacri Præsul, in hoc secundo jam prælo prompto, quod legi, & evolvi jussu Charissimi Fratris, Patrisquè nostri Fr. Petri ab Assumptione Sacræ Theologiæ emeriti Lectoris, ejusdemque Provinciæ Provincialis Ministri. Legi inquam, non sinè ingenti gaudio, & admiratione; videbam siquidem hoc scriptum omnino primo simile; immo non tàm simile, quàm per omnia æquale, sicut ejusdem generosi arboris frugiferum ramum, tempestivumque fructum, vernantem, suavem, salutiferamque ejusdem roseti rosam, ejusdem plantulæ fragrans, aromaticumquè caryophillum, jugis ejusdem fontis crystallinum rivulum, ejusdemquè prædivitis venæ copiosum thesaurum; quia ejusdem acuminis fœcundi faustè fausta productio. Undè, si primo in lucem prodeunte, non exiguum reipublicę literariæ fœnus accrevit, magnumquè affulsit lumen: haud sibi lucri minus, minorisvè nitoris claritatem ex hujus secundi editione promittat.

Materia in utroque singularis omninò, dissertationes nec vulgo notæ, nec vulgariter discussæ, in quibus emicant conceptus solidi, unaque subtiles, quos comitatur, & ornat beata quædam notitiarum, quà sacrarum, quà humanarum ubertas. Stylus licet laconicus, limpidus tamen, nec claritate vacans, (quod rarò evenit) nec opportuna, selectaquè amœnitate, quibus Divinarum Literarum studiosis escam apponat, bellaria, multiplexquè delitium, ipsos scripturæ lenocinio, acque pręstantia compellens, ut à lectione difficilè divellantur. Denique omnia concinnè dispositа, itaque digesta, ut suo quidque situ aspiciatur locatum: Omnia adeò commodo ordinata loco, ut unumquodque os ad suam junćturam accedere dicas. Ex quo sequitur, ut ingrediatur in ea spiritus vitæ, sicque diffusa vitalitate reviviscant, quod per omnes serpere legentes sit apta.

Semel dico: gemellus est fœtus hic alteri prius emisso: nec vox, nec manus dispar: uterque suavis, & lenis: nec minus in isto, quam in primo accerrimè, & sapienter decertat Author pro amolliendis à Sacra pagina inversionibus, ac immutationibus, quarum apparentem improprietatem in admirandam rationis concordiam utrobique reducit, oportunèque præcavet, ne Scripturæ Commutationes siniſtrè intellectæ, ad literam, & ut sonant, lethale virus legentibus pro vita, quam continent, propinent.

Sed in paritate tanta non possum non aliquod observare discrimen; siquidem utrumque volumen mutuo se excellere adverto: prius nanque primas fert; quia in hujus structuræ operosa mole affulget primarius lapis, verèque gemmatus: posterius; quia opificij incrementum, cujus fulgor novæ lucis accesione & claret magis, ac longius, latiusque coruscat. Prius princeps facilè convinci-

tur ; quia eximij luminum ingenij primigenius fructus : Posterius; quia prioris accretio perfectionis , quam effert , miraque sua venustate decorat. Unde haud asserere ambigerem , in duplici volumine duplicem ejusdem scalæ gradum me cernere. Et si Scala Jacob , interprete Hugone de Sancto Charo , est Sacra Scriptura , ipsiusquè Expositores Angeli Dei ascendentes , & descendentes per eam : ecce primus , secundusque hujus mysticæ scalæ gradus , quorum primus, quia talis , secundum antecellit ; & secundus primum , quia supra ipsum. Si prior est aurum purum, aurum purum eadem fodina effossum , majori tamen copia est posterior. Margarita , quia sola , pretiositatem non amittit ; sed si margaritæ addatur , thesaurus pretiositatis adaugescit. Utinam præconceptos gradus Commentariorum perficiat Angelus iste Interpres , scalamquè inceptam ad summum perducat fastigium , ut verbi scripti Dei , qui Jacob scalæ innitebatur , agnitionem intimam perfectius assequi valeamus.

Genes. cap. 28. ℣. 12. Hug. Card. hic.

Per omnia assimilari videtur Author noster Sponsæ nova , & vetera in Sponsi Divini delitias servanti : quod interpretatur Alapide cum Beda , Cassiodoro , & Aponio per illud , quod Christus ait apud Matthæum : *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias , qui profert de thesauro suo nova , & vetera.* Additque : *Puta , mysteria , dona , & opera legis Evangelicæ , & Mosaicæ , uti explicant Patres.* Nova , & vetera profert de ingenij sui prædivite thesauro scriba iste doctus ; siquidem vetera , quæ sub inversionum velamine jacebant in Sacra pagina , nova explanatione referat , aspera in vias planas , devia in obvia , anfractuumquè speciem in tritas semitas , regiosque reducit calles. Vetera ; quia Commutationes enodat Sacræ Scripturæ , quæ & si utroque coalescat Testamento , veteri nempe novoque , utrumque tamen nobis abundè , satisquè vetustum. Nova ; quia non solum literam sacram evisscerat , sed & ipsius extricat apices , minutias , ac frustilla omnino exotica , verèquè singulari expansione , quæ non nisi ex lectione ferè immensa , mira ingenij acie , indefessoque studio valuit oriri.

Cantic. cap. 7 ℣ 13. Alap. hic. Matth. cap. 13. ℣. 52. Alap. ibi.

Immò non tantum enucleat apices , particulas , frustulaque Sacræ Paginæ ; verum ut id facilius assequatur , ipsam , ut ita dicam , comminuit , ac terit ; siquidem , ut opinor , eam contemplatur , & sanè bellè , suavissimum aroma , & cœleste pigmentum. Undè sicut aromata , si terantur , suavius redolent ; integra quippè exigui odoris sunt , sæpè nullius : ex quo illud apud Profanos Axioma : *Quo magis teruntur , hòc sunt suaviora aromata* : Ita Sacris literis accidit ; sunt enim Divina aromata suavissimo odore referta: sed teri debent , ac frangi longi studij , diuturnæquè meditationis pistillo , ut noster exequitur Author : alioquin integra , & intacta plenè suum odorem , suamque fragrantiam non emittunt. Quam suavis hic odor , quam salubria hæc Divinarum Scripturarum pigmenta ! Rerum terrenarum magis abhorrerent fœtorem , si jugiter hçc homines odorarentur ; fœtent sanè peritura , cui gratus non perieturarum odor. Ad rem Sanctus Eucherius : *Sicut aromata* , inquit, *quando terantur , suavius redolent ; ita Sacra Scriptura , quanto plus, ruminatur , & frangitur , tantò suaviorem parit odorem.* Hæc ille. Itaque crescit odor , quia minuuntur aromata ; minuitur , nisi minuantur.

S. Euch. Homil. in dedic. Eccl.

Nec solus odor , magni etiam thesauri , magnæque divitiæ si assidui studij laboribus , veluti quibusdam digitis , conterantur, his in aromatibus deteguntur. Fidem adhibeas oportet Beato Chrisostomo ita scribenti : *Sicut aromata , quanto magis digitis atteruntur , tantò majorem natura sua fragrantiam reddunt , ita & in Scripturis*

S. Chris. Homil. 13. in Genes.

turis uſu venit, quanto quiſque illas amplius tractare ſtuduerit, tanto magis videre poterit latentem in ipſis theſaurum, pluresque percipere indicibilium divitiarum fructus. Hactenus Chriſoſtomus. Nullus labor Authorem noſtrum diſſertiſsimum territat, ne tibi, hæc aromata frangendo, laboret, ac elaborando frangatur, ut poſsis ſentire, quàm ſuavem odorem exhalent, quàm magnus ſpiritualium divitiarum fructus ex illis effluat.

Pigmenta quanto plus teruntur, tantò magis eorum virtus augetur in poculis, magiſquè ſuas vires exerunt epota. Idem contingit in Sacræ Scripturæ pigmentarijs; minutè enim verba Dei expoſita magis bibentes juvant, ut cenſet Divus Gregorius. *Verba Dei,* inquit, *quaſi pigmenta quædam ſunt noſtri adiutorij: & ſicut pigmentum, quanto plus teritur, tanto plus in poculis ejus virtus augetur: Ita Divina eloquia, quò magis exponendo conterimus, eò audientes amplius quaſi bibentes juvamus*: hucuſque ille. D. Greg. lib. 29. Moral. cap. 6.

Ex his deduces quot noſtro ſolertiſsimo Interpreti Orbis literarius referat accepta, quantas, qualeſquè meritas gratias reddere expediat, qui innumeros exantlavit labores, nulli pepercit vigiliæ, ſollicitudini, ac moleſtiæ, nullum non movit lapidem, ſed omnes animi, induſtriæquè contendit vires in hoc effodiendo theſauro, quem omnium faciat communem: ut aromata Divina comminuat, teratquè cœleſtia pigmenta: immò & quæ ex fractione ſuperant fragmenta, particulaſque ſæpe conterit, colluſtrando Sacras Commutationes, quarum arcana ediſſerit, detegit myſteria, abdita enodat, criſpaquè complanat: ut ſuaviorem, majoremquè reddant odorem, plures emittant ſpiritualium divitiarum fructus, creſcat fragrantia, theſaurus abſconditus patefiat, earum augeatur virtus, ſintque bibentibus ſalubriora. O ingens beneficium! Cujus memoria ſempèr in legentium animis cum grata benevolentia verſari oportet.

Jam poſſumus concinere cum Sponſa in amoris Cantico: *Mandragoræ dederunt odorem ſuum*; ſiquidem Scriba iſte doctus in Eccleſiæ regno Cœlorum ſuaviſsimam hoc in opere diffundit fragrantiam reconditæ doctrinæ, ſelectæquè eruditionis, qua Sacrarum literarum ſtudioſi allecti profundius ipſarum rimentur arcana. Unde Philo Carpath. apud Alapide hic per mandragoras accipit Doctores, qui dum benè ſcrutantur Sacras Scripturas, & ex ijs bonum, & ſuaviter olentem frugem Eccleſiæ filijs parant, ac mandunt, verę fidei ſuaviſsimum odorem, fructumquè diffundunt. Cant. cap. 7. V. 13. Phil. carp. apud Alap. hic.

Hæc dixiſſe ſufficiat de opere ſe ipſo maximoperè commendabili, quin alieno indigeat teſtimonio, utpotè omnibus abſoluto numeris: deque ſolertis Artificis indefeſſa vigilantia, fœcundo ingenio, ac utiliori delectu (videantur paginæ, quarum lectione, & perlectione aſſerti veritas latè experimento pateſcet) cujus tempora, præter claritatem nominis perennem ſibi comparatam, duplicatum ſertum moribus, qui ſunt fructus honoris, & honeſtatis, intextum duplicis Voluminis ornat. Solum ergo reſtat aſſerere, hoc in opere nihil fidei puritati, probis moribus, Patrum ſententijs, communi Theologorum ſenſui reperiri diſſonum; ſed omnia egregia, egregièquè elaborata, ac ita pietatem redolentia orthodoxam, ut honeſtatem fovere, corda in virtutis ſtudium inflammare, vitijquè contagium, quominus ſerpat, compeſcere nata videantur. Sic ſentio, ſalvo meliori, &c. Peñarandæ die 1. Auguſti 1744.

Fr. Emmanuel à S. Joſeph.

CENSURA FRATRIS NOSTRI Fr. JOANNIS A SANCTO Franciſco, Sacræ Theologiæ Lectoris, & in Provincia Sancti Pauli Diſcalceatorum Strictioris Obſervantiæ S. P. N. Franciſci Actualis Diffinitoris.

PRæcepto ſanè mihi periucundo Chariſsimi Fratris noſtris Fr. Petri ab Aſſumptione, Lectoris Sacræ Theologiæ, huius almæ Provinciæ Divi Pauli Apoſtoli Minorum Diſcalceatorum Veteris Caſtellæ Provincialis Miniſtri, vidi ſecundum Tomum Commentariorum in Sacras Commutationes, à Fratre noſtro Fr. Joſepho à Spiritu Sancto (Benavente) Lectore Theologiæ Antiquo, & eiuſdem Provinciæ Ex-Cuſtode elaboratum mira induſtria, labore ſummo, ingenio maximo. Partus ſequitur ventrem, mentem effuſus conceptus: Liber hic nec proles indigna fabro, nec germano incompar. Utrumque amplexatus ſum, atque oſculatus, oculos oculis affigens, nec tot ſuppetiere oculata labra, quot adfuere lumina. Vidi primum oculatum totum: video ſecundum totum oculatum. Adſtruam pro filijs, qui commutabuntur, quæ Tertullianus: *ſi non & Phœnicibus nihil magnum: alius idem.* Rara avis! *Sed duos aliquando Phœnices ſimul viſos*, inquit Pierius. Hic eſt alter? Utique: ſed alter ipſe. Commutantur filij unus pro alio. Uterque de pulcritudine famoſus, de fœcunditate ſingularis: nec ſenior iuniorem eruditione antiſtat, anteſignat eloquio, præit virtute, gratia excellit, ſuperat verborum pondere, aut vincit mira methodo, verborum, ſenſuumque optima concinnitate. Commutationes pandit uterque; ſed alterius alter eſt pulcra commutatio: non quòd alter idem; ſed quòd & idem, & alter.

Tertullian. de Reſurrect carn.

Pier. Valer. lib. 20. cap. 1.

Mirabilis forsàn apparebit hæc verborum contradictio; ſed quem non latet Commutationis genium tantum erit apparens. Fratres ſunt, ac per omnia ſimiles: & ſi qua diverſitas artefacti in vultu, & in apparentia. Eadem eos temperavit forma, figuravit ars, perfecit artifex. Quid mirum quod ſit primus, qui noviſsimus, & noviſsimus, qui fuit primus? Si non diſplicet, ſuccinat Claudianus.

Claudian. Epigram. 35.

Diſsimiles annos ſolertia temperat artis:
Alter in alterius redditur ore parens.
Et nova germanis paribus diſcrimina præbens,
Diviſit vultus cum pietate faber.

Per faciem quid niſi notitia exprimitur? Ex vultu quippè *agnoſcitur vir*: & ut tam ſpecioſi agnoſcerentur fœtus, mirè Auctor diviſit vultus, ut hinc inde micantibus oculis, apparerent conſpectibus non corpora tenebris obſcurata, quæ oculorum acies reſipiſcerent; ſed lucida, quæ vigiles ictus amicirent. Vidi in primo experientia oculante: in ſecundo etiam viſu teſte; quoniam, ut ait Seneca:

Senec. in ædip.

Viſu carentem magna pars veri latet.

Et ſtatim ut oculi mei Libri oculos conſpexere, ſic capti, atque in ipſos commutati ſunt, ut ambientes munia eorum, certatim ſenſuum concurſu proferrent, non tam quid de Auctori Libro oculati ſentirent; ſed quid eſſent. Viderunt igitur oculi mei Librum. Sanè: *Primò vident homines*, inquit Philæmon, *deinde ſubit admiratio, deinde contemplantur, & deinde ſpes venit: ita fit ex his amor.* Iudicium dicerem, ſi Auctori non diſpliceret; quippè ni videantur viſa, haud quaquàm iuſta ferretur ſententia. Primo ergo oculis conſpiciendum fuit, ut per tentionem præſentialem obiecti certò coſpicerent, quorsùm Auctor oculis ſuis pergeret, & uſque dum ambulantes oculi pervenirent. Ambulantes oculi? Quis vidit huic ſimi-

ſimile? Qui videt auctoratum Librum, & multicolum Auctorem: de quo melius quàm de Tybiorum genere canerem:

Suſpicor, & fama eſt, oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit. Ovid. 1. Amor. Eleg. 8. v. 15.

Geminatis luminibus, atque gradientibus oculis pergit Auctor, non per pervias, atque protritas vias; ſed per ardua, inconſitaque loca. Vidit bis, ter, quaterquè oculis ambulantibus ampliſsimam Sacræ Scripturæ regionem. Hinc innumeros locos concatenatis expoſitionibus planos: illhinc penè innumerabiles ſenſuum varietate conſpicuos. Per hos fulgentiſsimam Patrum ambulantem catervam: per illos Expoſitorum fiorentiſsimam turmam. Et hæc via trita eſt, inquit, ſecum colloquens, & meditabundus dicebat:

Sic ego ſecretis poſſum benè vivere ſylvis,
Qua nulla humano ſit via trita pede. Tibull. lib. 4. Epigram. 13. v. 9.

Migremus hinc in deſertum ſolitudinis. Tetendit oculorum acies, & accidit, quod Virgilius cecinit.

Deſertos videre locos, littuſquè relictum. Virgil. 2. Æneid. v. 28.

Nimirùm Comutationum Sacrarum loca inculta, deſerta, invia ſine Ductore, & Doctore, & quaſi ſine veſtigio relicto hominis in eis. Vidit, & gaviſus eſt, & ſtatim fixit pedem, pennamquè

——— Deſerta per avia,
Quà ſedes hominum nulli poſuère coloni.

Sed qua ſorte? Profectò mira; quippè pennipedibus oculis queis aſpera in primo Libro capit atterere, tamquàm ſi iam in vias planas redegiſſet, adeo inoffenſo gradu peditat, ſuppeditatquè, ut quæ in reliquis complere pollicitus eſt in hoc ſecundo Tomo videatur ad amuſsim conſummaſſe. Videat, obſecro macte oculis (quæ paſsim in toto hoc opere offendet) ſylveſcentia ſaltus arbuſta ſucciſa, nodos, & dubietatis truncos evulſos, & novalia propriæ indaginis acumine exculta: annuet & illicò acheropætum, ſcilicet, non opus manibus hominum factum, ſed accipedibus oculis noſtri oculatiſsimi Artificis conſtructum. Ni autèm aquilinis oculis Argos polleret, non undequaque Liber, immò Libri ſcaterent oculis. Effigies profecto Auctoris Liber eſt. *Effigiem videre cupis? Scripta intuere*, monebat Drexelius. In his nil præter oculos licet inſpicere, ſed ambulantes per aures, per nares, perquè omnia corporis membra. Commutantur ſenſus, unus pro alio; ſed præſtant cæteris oculi in ſubeundis muneribus. Hoc eorum genium per ſenſus ambulare: at nequeunt non reſpondere protoypo. Effigies ſunt, per ſenſus ambulent; quia oculis per Commutationum ſenſus ambulat Protoplaites. Et ut miram inter ſe ſe rependant vicem, affabrè conſtruunt mutuam Commutationem. Qui oculos videndi habuerit, ambulet, & videat. Jerem. Drexel. in Aurifodin. cap. 7.

Noſter intereà *non ſaturatur oculos viſu*: enim, ut certius probet, accedit ad tactum. Tangentes oculos in ſcriptis undequaque circumſpicit: igitur, ut Auctor attingeret à fine uſque ad finem ſuaviter, fortiterque diſponens omnia, mirabilem conſtruxit oculorum architecturam. Enim quamtumvis à planta pedis uſque ad verticem Libri vagentur utriuſque, ubique, & in omnibus attingunt ſcopum. Si vident, tangunt: ſi audiunt, tangunt; tangunt olfacientes, loquentes, gradientes, & luxuriantes; quia eò tactilibus oppignorantur muneribus, ut præcipuè tactus miniſterio fideliùs obſequantur. Videat ergo accuratus proſpector, ſive in Literalibus Commentationibus, ſive in ex his deductis Diſſertationibus, ubinam oculi, aut metam eruditionis non pertingant, aut apicem politioris elocutionis non tangant. Semper enim, vel præ manibus habent roſas, vel tangunt flores. Et, ut aptiùs loquar, dicam de

ocu-

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL BIBLIOTECA PALENCIA

oculis Libri, aut de Libris oculatis, quæ Ioannes Bovvmam de libellis Audenij.

Quidquid habent Veneres Venerum, Chariteſquè leporum,
Quidquid Muſa ioci, quidquid Apollo ſalis,
Quodcumque eſt ſophiæ, quodcumque eſt artis ubique
Ingenij, aut genij quidquid ubique viget,
Omne id, omn tuis reor inſediſſe libelis.

Oculatis adde, ut qualem qualem Libri utriuſque animantem formam adipiſcas. Neque iam inficias ibis iſtiuſmodi Libros, oculoſquè, iuxtà phraſim Ciceronis, toto ore vocitare eruditos: cum ad oculorum proſpectum, immò tactum, appareant omni iugæ eruditionis pigmentarijs referti. In vacuum haud tamen eunt ſpecioſiſsimis dotibus; talibus namque circumornantur gratjis, ut ſpecie, ac fortitudine ſua, intuentium mentes, animoſquè, & tangant, & feriant, & alliciant.

Cicer. Paradox. 5.

Nihil venuſtiùs oculis invenitur in corpore. *Sunt* namque, ait Plinius, *pars corporis præcioſiſsima. Organum lucidum*, addit Rhodiginius: *Solaris radius, diviniſsimumquè membrum. Carcer enim eſt totum corpus*, infit D. Ambroſius, *tenebroſo inhorrens ſitu, niſi oculorum illuminetur aſpectu. Quod ergo Sol, & luna in cælo, hoc ſunt oculi in homine*, & in utroque Libro; quippè utriuſque cor, animaquè, nec diſsimilibus apparantur muneribus, ac ſidera poli. In ipſis ubique diffuſis quidquid ſplendet totum claritas, totum ſubtilitas, totum fœcunditas, totum ſpecioſitas eſt. Claritas in veritatis expoſitione, ſubtilitas in difficultatum enodatione, fœcunditas in humanarum, ſacrarumque literarum coacerbatione, ſpecioſitas in harum dotum pulcerrima concinnatione. Quò tandem ibit talis, tamquè ſpecioſus oculorum Libri utriuſque apparatus? Nonnè quaſi aerem verberans, pugnabit in incertum? Apagè ab huiuſce cogitatu. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis viaere ſolem.* Delectat mente pulcritudo oculorum, nec amandant intuentium oculi chariſsimum aſpectum; quoniam *oculiſsimum vocari chariſsimum*, infit Turnebus, *& gratiſsimum, quòd tamquàm oculo, quo nihil iucundiùs nobis eſt, plane cenſeatur.* Amaſcet abſdubio gratiſsimum utriuſque Libri oculorum ictum, qui luminibus tetigerit tantæ pulcritudinis blandimentum.

Pliu lib 7. cap. 21.
Rodigin. lib. 3. cap. 28.
D Ambroſ. lib. 6. Exam. cap. 9.
Eccles. 11. 7.
Turneb. 11. Adverſ. cap. 7.
Bapt. Mant. Eclog. 2. v. 48.

Ludit amor ſenſus, oculos perſtringit, & aufert
Libertatem animi, & mira nos faſcinat arte.

Ingeniosè etiam Publius Syrus:

Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit.
Fit via trans oculos, oculi figuntur, ab ictu
Vulnus in alta virum præcoraia manat.

Nec blandiuntur oculis intuentium Libri utriuſque venuſtiſsimi oculi, ut tactu gratiæ ubiquè reſperſæ, ſentitaquè lectionis voluptate, tamquàm viro intus agente, illaqueent animos, menteſquè mactent, & perdant. Fallax foret abſdubio gratia, & vana eorum pulcritudo, ſi virtutis incrementa non pareret. Alliciunt tamèn vi ſuaviſsima voluntates, patefactis oculorum ianuis; ſed in obſequium virtutis, adeo ut quiſquis videat, aut tangat eorum elegantem formam, poſsit dicere in virtutis, oculorumquè cultum, quæ ingratiam oculorum Cynthiæ Propertius:

Propert. lib 1. Edog. 1. v. 48.

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis,
Contactum nullis antè cupidinibus.

Alitèr tamèn contra fontes, vitiaquè (quod frequentiſsimé in Diſertationibus evenit) proſpiciunt; quoniam lenocinia, quæ ſapientum oculis ſpeciei ſuæ vaſculo ſplendeſcente propinant, in improbos iaciunt tamquam acutiſsima tela. Legant igitur, tangantquè oculi, etiam leonibus ferociores, &, vel ictibus pulcræ veritatis manſueſcant, vel nequibunt oculos contrà durare fugaces. Dicam in commen-

mendationem oculorum utriuſque Libri, quæ Lucretius de oculis Galli:

Nenu queunt rapidi contra conſtare leones,
Inquè tueri: ita continuò meminere fugai.
Nimirum; quia ſunt Gallorum (in oculis) quædam
Semina, quæ cum ſunt oculis immiſſa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremquè dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare fugaces.

Lucret. lib. 4. de rer nat. v. 714.

Crterùm cuius opera tanta vis, virtuſque tanta in huius, alteriuſquè voluminis oculis? Profectò á noſtri Auctoris argutiſsimis oculis. His vigilavit, ut cupidis veritatis ſacræ, venuſtæque elocutionis appararet opulentiſsimam menſam, in qua dapes auro pretioſiores, ſunt oculi omni ſale, omniquè pulvere pigmentario condiri, quibus venter memoriæ ſatiabitur, edentibus impigrè oculis, quoaduſque pingueſcat ſapientis mens, & incaleſcat cor (quod certò eveniet) in veræ ſapientiæ ſtudium, in virtutis incrementum, & in ſummi Boni ardentiſsimum cultum. Nec horum omnium grates alterius; ſed noſtri Auctoris oculis in publicum commodum vigilantibus, referendæ. Quibus, omni adulationis ſpecie ſemota, ut fratres decet, dicam:

Argutos habuit, radiat ut ſidus ocelli
Per me, perquè oculos, ſidera noſtra, tuos.
Tu facies hoc, oculiquè tui, quibus ignea cadunt
Sidera, qui flammæ cauſa fuere meæ.

Ovid. lib. 2. Amor. Eleg. 16 Et in Epiſt. Acontij.

Quæ cum omnia, ut certa, & viſu, & tactu probaverim, teſtimonio omni exceptione maiori, cenſeo, hunc Librum oculis omnium expectabilem, prælo debere mandari: cum nec apex reperiatur in ipſo regulis Fidei diſſonans, ſemitis SS. Patrum devians, bonis moribus obſtans, vel regijs iuribus contra dicens. Salvo ſemper meliori &c. In hoc Sancti Gabrielis Segovienſi Conventu: die 29. menſis Julij anno 1744.

Fr. Joannes á Sancto Franciſco.

FACULTAS ORDINIS.

FRater Petrus ab Aſſumptione, Sacræ Theologiæ Lector, & hujus almæ Provinciæ Sancti Pauli Apoſtoli Excalceatorum S. P. N. S. Franciſci Miniſter Provincialis, ac Servus, &c. De conſenſu noſtri Diffinitorij Provincialis, ut opus inſcriptum: *In Sacras Commutationes Commentarij Literales Tom.* 2. elaboratum à Fratre noſtro Fratre Joſeph ab Spiritu Sancto, Sacræ Theologiæ Lectore, Ex-Cuſtode, atque noſtri Conventus Sancti Bonaventuræ Palentinæ Civitatis Guardiano; quoniam à Viris Doctis (quibus ipſum examinandum commiſimus) recognitum, & approbatum; Typis mandari, & in lucem prodi valeat (quantum ad nos attinet) tenore preſentium ſigillo majori noſtro, & ſubſcriptione munitum, facultatem concedimus. Dat. in noſtro Sancti Antonij Civitatis Abulenſis Conventu, die 4. Auguſti, anni 1744.

Fr. Petrus ab Aſſumptione.
Min. Prov.

De mandato Chariſsimi Fratris noſtri Miniſtri Provinc.

Fr. Bernardus à Sancta Roſa.
Secretarius Provinc.

CEN-

CENSURA DOC. D. EMMANUELIS JOSEPHI A Muñoz, & Cavas, Archidiaconi de el Alcòr in Sancta Eccleſia Palentina, olim in celebri Univerſitate Complutenſi Collegæ Theologi in Matris Dei Collegio vulgo Theologorum, necnon ad Cathedras Artium in prædicta Academia Candidati.

JUſſu, & mandato D. Lic. D. Emmanuelis Antonij à Ximenez Breton, Regalium advocati Conſiliorum, Theſaurarij Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Burgenſis Dignitate inſigniti, huius Civitatis, ac Diœceſis Palentinæ Proviſoris, ac Vicarij Generalis, accuratè vidi, & iucundè legi ſecundum tomum, Commentarios litterales, Panegyricos, ac Morales in Sacras Commutationes à R. A. P. M. Fr. Joſepho ab Spiritu-Sancto, Diſcalceato Minorita Provinciæ D. Pauli in Veteri Caſtella Sacræ Theologiæ Lectore, Ex-Cuſtode, atque Conventus D. Bonaventuræ Palentini Guardiano, mira conſtructos varietate, ut delectent (1.): eruditione, ut ingenia paſcant (2.) ſtylo, nunc *Ciceroniano*, quo graviter ambulant, aliquando *Plano*, quo ſuaviter fluunt: quandoque *Acuto*, quo alte feruntur: ac tandem *Florido*, quo incedunt ornatè, ac florum varietate recreant. (3.) Nec illis deeſt claritas, ut Sapientes non laſſet, & non admodum peritos non deterreat. Vena vivens eſt iſte Benavente curans Doctorum,

Dulcis aquæ ſaliente (4.) *ſitim reſtinguere rivo,*

Inter aſcetica præcepta, ſanctorum laudes, ac litterales veritatis explanationes mirè ſcaturiens. Hic Auctor procedit, ut Joſeph; ſi enim Joſeph interpretatur augmentum, quivis facile exiſtimare poterit, illum multiplici Bibliorum expoſitioni, in qua, ut ait Hieronymus, per tot ſæcula tantorum ingenia ſudaverunt, novum hunc addidiſſe ſplendorem in ſacris Commutationibus à nullo hactenus delibatis calamum figentem. Nec myſterio vacat, quod à Spiritu Sancto cognominetur: ab ipſo enim Spiritu-Sancto iuxta Domini præſcriptum, (5.) quid dicere oporteat, edoctus videtur.

Penſate *Commutationes*: aquilam invenietis inconnivis (6.) oculis Sacræ Scripturæ radios excipientem, in altiſſimaque petrâ nidificantem. Perpendite *Diſſertationes*. Invenietis in eis altiſſimæ contemplationis anagogicos ignes, queis calefacienda eſt, non ſolum (inſtar Eliſæi) caro pueri, & juvenis, tyrocinia in Scripturis ruminantium; ſed Heroes in Agiographæ caſtris jam emeriti. Perſpicite *Diſſertationes*. Invenietis in eis mellea verba, Hyblę tymum redolentia, unde favus

Dulcior iſto melle, quod in Cæis attica ponit (7.) *Apis.*

Res ardua, aiebat Plinius, vetuſtis novitatem dare; novis auctoritatem: obſcuris lucem: faſtiditis gratiam: dubijs fidem. In his autem commentarijs ad Cleanthis lucernam elaboratis omnia coacervata, quæ ardua videbantur. Nam calamus ſcribæ neſcit niſi in arduis ponere nidum ſuum: & illo exponente, intelligitur plenius, quod antea obſcurius videbatur. Invenit itaque poſteritas intellectum, quod antea non intellectum demirabatur. Vereor tamen, ne laude mea ipſius laudes minuam, & magis quam proferre iudicium, encomiaſtem agere videar, abjecta cenſoria virga: Iterum, atque iterum encomiaſtem me geram; eſt enim laude dignum, quod maximè pulchrum.

(1.) Varietas delectat. Seb. Fox in 3. P. at. de Rep.

(2.) Eruditio paſtus ingenij veriſsimus. Ludov. Vives in introd. ad lap.

(3.) Stylus oratorius quadruplex, ut præfert. Rapal S. de ſtylo orat.

(4.) Virg. Eclog. 5.

(5.) Spiritus Sanctus docebit vos in illa hora, quid oporteat vos dicere. Luc. 12.

(6.) De his Aquilæ propriet. Rapal. Orat. S. Gr.

(7.) Ovid. lib. 5. triſt.

Quæ

Quæ ſcribuntur ad utilitatem Eccleſiæ, probanda ſunt per Scripturas, & pulchrè dicenda; ſed hoc opus, & pulchrè dicit, & rectè probat: Unde cum Claudiano dicam: *Hinc priſcæ redeunt artes: felicibus inde ingenijs aperitur iter*: Quod tàm docta, variaque promit, oportet illum imbutum profecto arcana doctrina pectus habere: Docet, delectat, & movet: mores inſtruit, elloquentia pollet, arcana ſacra referantur, & aliquando luce Cœleſtis flammæ panditur interea domus Omnipotentis olympi. Honor, & virtus hic copulatæ, exoſculatę ſunt: quia comites individuæ in templis, & hodie merentur ſacrificia unà ſimul commorantes in auguſto fano pectoris Rmi. P. Joſephi, & in arce Commentariorum. Flores Poëtarum ſacrificantur in libro, ſed videamus, quomodo flores fructus parturiant? Quid enim turpius philoſophia captante clamores, nihil utilitatis proferente?

Claud.

Immortalis enim erit memoria illius, quoniam apud Deum nota erit, & apud homines; nam in hiſce Commentarijs nova luxoriri viſa eſt, flammigerumque trahens ſpatioſo limite crinem. Ut ſtella micat radijs doctrinæ clariſsimæ, Soliſque rotam vincit decore, ac lumine. Exclamare deſidero: *O mentis cœleſtis opus! Miracula numquam intellecta viris!* Qui papyrinis navigijs per Nilum vehuntur, à Crocodillis non infeſtantur. Qui ergo puppim hujus libri aſcenderint, navigaturi Nilum ſuæ ſapientiæ, non debent metuere naufragium; ſed quid dico? *Referent te in vaſtum mare novi ſtudius. O Navis fortiter! occupa portum.* Vaticinatur enim Iſaias: *Qui mittit in mare, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite Angeli veloces* (id eſt Predicatores) in Americam ſacræ Scripturæ cum nova luce San Thelmi, Caſtoris, & Polucis in navi oculata, plena oculis, Argos vocata (ut pote in ea oculi luxuriantes, oculi tangentes, oculi odorantes &c.) plena oculis ante, & retro, tamquam ſtellis manentibus in ordine ſuo: effodiens Theſauros cum gaudio tam magnos, tàm nitidos, tam pretioſos, ut ſtuporem, & admirationem moveant. *Quam* opportunè *videbis, & afflues, & dilatabitur cor tum* (ingenium tuum) *quando converſa fuerit ad te multitudo maris.*

Horatius.
Iſai. 18. 2.
Iſai. 60. 5.

Hæc dicta ſunt de magnitudine, ſubtilitate, energia operis, cujus proprietas in ſententijs certat cum utilitate in lucrandis animis. Sed unde tanta copia, & mellodia commendabilis in noſtro authore? Cerre illi competit illud Lactanc: *Ambroſios libas cœleſti nectare rores.* Unde locutio Rethorica, pulchra, & heroica? Ex indefeſo labore, infatigabilique ſudore. Novus Ixion cruciatur feliciter, in rota cellulę, ſudoribus anxius, continuis ſtudijs: (amplius dicam, licet rubore roſeo aurora purpurea gennas coloret,) alia cauſa eſt, quia Miniſter Chriſti fuit in laboribus exercitus, in frigore, ærumnis, in fame, & ſiti, in vigilijs multis; filius de genere illius Moyſis, qui ardebat in rubo, & non comburebatur, niſi charitatis ardore; madentis ſanguine proprio, rigidis flagellis; ſed magis purpurati Chriſti ſanguine, ejus meruit ſecretis intingi lymphis, & de corpore Chriſti recipere ſtigmata: De ſtirpe illius contemplativi Herois pœnitentiæ inſignis, verè Apoſtolici prędicaris; quippè eàdem eloquentia, qua Apoſtoli, prædicavit; admirabilis quidem non tàm pendula nive, coercito nimbo, ſuſpenſa pluvia, conſolidatis fluminibus, aridis frondeſcentibus virgis, expulſis dœmonibus, non denique tàm ob innumerabilia alia prodigia, ſigna, & portenta, quàm ob aureum eloquentiæ fulmen ad convertendas animas. Sentio opus hoc, hoſque Commentarios dignos, ut in lucem prodeant publicæ utilitati ad reformandos mores, ad verbi Dei prædicones, animos, & codices lucupletandos. Nihil inveni Catholi-

ca

cæ veritati diſſonum, moribus Chriſtianis nihil contrarium, nec unum apicem præterivit à lege Divina, Eccleſiaſtica, & pragmaticis ſanctionibus calamus ſcribe ſuper hac materia editis, ideoque in lucem veniat, ut illuminet omnem hominem. Palentiæ ſexto Idus Decembris, anno D. M. D. CCXLIV.

Doct. D. Emmanuel Joſeph â Muñoz, & Cavas.

LICENCIA DEL ORDINARIO DE PALENCIA.

NOS EL LICENCIADO DON MANUEL ANTONIO Ximenez Breton, Abogado de los Reales Conſejos, Theſſorero Dignidad en la Santa Metropolitana Igleſia de Burgos, Proviſor, y Vicario General de eſta Ciudad de Palencia, y ſu Obiſpado, por el Illmo. S. D. Joſeph Morales Blanco, Obiſpo de èl, Conde de Pernia del Conſejo de ſu Mageſtad, &c.

POR el thenor de las preſentes, y por lo que à nos toca, concedemos licencia, y facultad en forma baſtante, para que ſe pueda imprimir el ſegundo tomo de el libro intitulado: *In Sacras Commutationes*: Compueſto por el Rmo. P. Fr. Joſeph de el Eſpiritu Santo, Lector de Sagrada Theologia Ex-Cuſtudio, y Guardian actual de el Convento de San Buenaventura Franciſcos Deſcalzos de eſta Ciudad, mediante, que aviendoſe reconocido, y examinado de nueſtro orden por el Doctor D. Manuel Muñoz, Arcediano del Alcor, Dignidad de eſta Santa Igleſia, y Secretario de Camara de dicho Señor Illmo. reſulta de ſu Cenſura no contener coſa, que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Palencia à veinte dias del mes de Septiembre de 1744. años.

Licenc. Don Manuel Breton.

Por mandado del Señor Proviſor.

Manuel Lopez.

LICENCIA DEL GOVERNADOR DE VALLADOLID.

NOS EL LIC. DON ANTONIO MANUEL DE Villanueva, y Ribera, Governador, Proviſor, y Vicario General de eſta Ciudad, y Obiſpado de Valladolid, por el Illuſtriſsimo Señor Don Martin Delgado, Obiſpo de èl, Prior, y Señor de Junquera de Ambia, del Conſejo de Su Mageſtad, &c.

POR la preſente damos licencia, para que ſe imprima, y dè à la Eſtampa el ſegundo Tomo del Libro intitulado: *in Sacras Commutationes*, compueſto por el R. P. Fr. Joſeph del Eſpiritu Santo, del Orden de Franciſcos Deſcalzos, Lector de Theologia, Ex-Cuſtodio, y Guardian del Convento de San Buenaventura de la Ciudad de Palencia, atento eſtarle concedidas para ello licencia del Real, y Supremo Conſejo de Caſtilla, Señor Proviſor, y Vicario General de la dicha Ciudad, y Obiſpado de Palencia, y ſu Superior; por no contenèr coſa, que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Valladolid à veinte y uno de Junio de mil ſetecientos y quarenta y cinco.

Licenc. Villanueva,
y Ribera.

Por mandado del Señor Governador.

Luis Garcia de Villalpando.

APPRO-

APPROBATIO LIC. D. JOANNIS A LUELMO, ET Pinto S. Salvatoris Ovetenſis Collegij Maioris Salmanticæ Togati, Cathedræ Philoſophiæ Moderatoris, & S. Cathedralis Eccl. Palentinę Canonici Pœnitentiarij.

IMperante Supremo Caſtellæ Senatu, vincens tarda molimina obediens, avidus cum iucunditate perlegi Commentarios Litterales, Panegyricos, & Morales in Sacras Commutationes, quos ultima manu politos, alterum penſum, cum perfectione complevit R. P. Fr. Joſephus á Spiritu-Sancto (Vulgo Benavente). Et cum iudicem cenſuram impręſentiarum eſſe tantum de Regali ſtylo, aut conditione Regia, comite Seneca, *Indulgentię ſcio iſtud eſſe, non iudicij*: à chyrographo namque, quo foris inſcribitur, comendatur Opus, quod licet altiſsima Authoris mens potuiſſet intra ſuas metas concipere, nequit latiſsimum Criticorum os ſuis commprehendere legibus; credo interpretandum in laudem Regij Senatus mandatum. Cętèrum cum Cenſoris munus tot ſcopulos naviget, ut ſi ſe liberè tradiderit vento amicitiæ placidiſsimo, & miti, ut quocumque flaverit, vertat; non ſolum modeſtia injuſtè colorata rubeſcit, verum etiam adulationis nota, ſuſpectus de fide, palpans, infamat veritatem diſſonus: Si vero pro vitando hoc communi naufragio, mutus, non ſatisfacit merito, negat virtuti digniſsimam mercedem laudum præ omnibus concupitam: undè Cenſor tenetur iuxta Plinium, pro munere, pulchros colores Rethoricæ diſcretè miſcere, ut neque hæc maneat nigro colore oblivionis fœdata, nec illa verecunda rubedine mœſta. *Nec minus conſiderabo quid aures tuæ pati poſſunt, quam quid virtutibus debeatur*: Et ut utrumque, Scyllam, & Carybdim profugiam felicitèr ſoſpes, uni, alterique pignori perſoluturus ex aſſe, viam, theſauroſque ſuæ eloquentiæ pandit D. Hieronymus Epiſtola ad Paulinum, cuius veſtigijs adhærere, propoſui firmitèr animo. *Vera enim illa neceſsitudo eſt, & Chriſti glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præſentia tantùm corporum, non ſubdola, & palpans adulatio, ſed Dei timor, & Divinarum Scripturarum ſtudia conciliant. Legimus in veteribus hiſtorijs, quoſdam luſtraſſe provincias, novos adiiſſe populos, maria tranſiiſſe, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent.* Hieron. ep. ad Paulin. Cap. 1.

Superfluit equidem propria oris confeſsio amicitię erga Authorem, cum eam clamitet palam pondus, quo ſedulo frequentèr, iucund[e], in Cœnobium Doctoris Seraphici feror, viſitans pluſquam arctiſsimam Diſcalceati Minoritæ Cellulam, Sacræ Scripturæ honorabilem aulam, ubi hic Interpres, moderator egregius, in Cathedra ſui humillimi fulcri ſpargit, non lituratos alviolos, ſed limpidiſsimos codices, quorum nulla linea utilitate vacat, & in ſingula miranda eſt ſubtilis ſententia. Cæterùm quia ex primo libro ſui Operis ortus huiuſmodi animi impulſus mellitus, denudatus, & liber á turpitudine lucri inhoneſti, præmulto gaudet nobilitatus origine, quin nothus erubeſcat ſtemmate: de hac ergo nobili funditus plantata radice pullularunt, quemadmodum in Pythagora, Platone, & alijs, animæ gemmæ, deſideria coram quoque videndi Magiſtrum, quem iam diu ex Opere noveram, pollicitus de ſpe lucri faciendi in eius docto, florido, & iucundo familiari convictu, pretioſas margaritas, quibus ex auditu dulcitèr ditatur animus, qui inſolitus ſpetioſis litteris, frigeſcit inops modulatæ loquelæ.

Hinc

Hinc ego hilareſco cæteris onuſtus, & quam plurimis vinculis irretitus, cum præter amicabilem nexum, teneat revinctum invincibilis Gordianus nodus cognationis ſpiritus, quo in genealogico arbore ſcientiæ, Magiſtri, & Diſcipuli recto ordine nectuntur adinvicem. Et ſicuti montium, & conuallium cuncta viventia patrem communem vociferant, ſolem, ita me hercule credo, Grammaticæ artis, Rhetoricæ, Dialecticæ utriuſque, Philoſophiæ, Theologiæ Scolaſticæ, Moralis, Dogmaticæ, nec non Concionatoriæ nedum tyriocinium agentes, verum etiam Doctoratus verſi colore laurea honorificè candidatos, ſe profitendos magis debitores Benaventano Hiſpano Magiſtro, qui novus homo venit in mundum, tanquam Sol, illuminans omnibus tenebroſum hucuſque Commutationum Sacrarum Zodiacum, in quo figuris extraneis, impropria facie, circumvelavit Divina Providentia ſenſum, & intelligentiam hominibus cæteris, licet non quibuſlibet: Verum noſtris temporibus hic ſolus ſuæ mentis acutiſſimis radijs, rarefecit illam inter ſacras Antiphraſes, denſiſſimam nuvem, quæ tanto fulgore dilura, pluit abundè aquas doctrinę cryſtallo clariores, ſalientes oculis, claritate in profundo, & ſi non ſitientibus invitantes, ut bibant. Tanto enim hac dote viget feliciſsime Interpres, ut miſcelaneum ex proprijs turbidum, in quo pro expoſitione ad litteram congerit ſcientias, & artes, elegante, & diſcreta methodo ordinaverit, ut omnes, & ſingulæ in ſummitate, mirentur perſpicuæ. Præ manibus ſanè videtur habuiſſe Platonem in Phœdone rigidè increpantem utriuſque claſsis Scriptores, qui pro multiplicandis nominibus ſuper certa hęſitantes ſemper dubia quærentes, non ſolum turbant ſcientiæ fontes, imo potius in ſuis ærumnoſis ſcuppis myrrhatum miniſtrant poculum, quod ſi guſtaverint, quamvis inhiantes, nolunt bibere. Itaque pro dignitate Operis non plumbeam, non æream, ſed auream, imprimerem laminam, quam in commendationem claritatis depinxit Politicus; qui penicillo lineavit Caſtaleam fontem de imo Parnaſi manantem, cum Sole radiante vaſtiſsimam molem, decoratam illo Martiani Capelæ, *Phœbo gaudet Parnaſia rupes*; meliorato ſymbolico typo ab Authore, figurato in Sole, qui inundans lucibus, & clareſcens altum, & ſalebroſum montem ſacrarum commutationum, retegit fontale principium, ex quo tot ſcatentes doctrinæ rivuli emanant, quot oſtia referat ictu calami in illa Deifica rupe. Quo circa umbroſa, implicata ſalebris commutationum, tot ſęculis ſylva, fluminibus expoſitionis, & diſſertationis, ſudore, & & laborioſa opera à Benavente irrigata, vernat paradiſus voluptatis, affluens delitijs, & divitijs, eloquentiæ floribus, ſcientię fructibus.

Oroz lib. 2. Embl. 1.

Gaude, & lætitia exulta Sacra Minorum Religio de tuo Giganteo filio, qui inter Magiſtros, quos Matthęus collaudat dicens, *vos eſtis lux mundi*, cum elegerit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum, dividendo lucem à tenebris; præ cunctis vindicat ſibi merito panegyrim Joannis, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, non enim ſicut cæteri, illuminant, per diviſionem tenebrarum, ſed ut ipſe ſolus, in tenebris Commutationum lucet, quin illum comprehenderent tenebrę; imo per ſuos Commentarios Litterales, Panegyricos, & Morales in Sacras Commutationes, ipſæ implicatę tenebræ, triplicato fulgore, luceſcunt. At ſi laude dignum, quod tenebræ non prævaluiſſent, mirandum in modum eſt, quod nec paupertas oppreſſerit. Alceatus in excuſationem Iuvenum, qui acumine ingenij pollentes, tranſeunt ut umbra, pereunte eorum memoria cum ſonitu; quia pauperes, irrepehenſibiles redit

Math. cap. 5.

Ioan. Cap. 1.

dit : paupertas namque, ingenij quamtumvis Aquilini amputat alas, ſuoque inevitabili pondere premit in ima, ut quamquam alatus; abjectus, & terram ſerpens, cibos manu, & arte humiliter quærat. Pulchrius ipſe ex jure agit, & leges in carmine exponit.

Alcear. embl. 3. de fortun.

Dextra tenet lapidem: manus altera ſubſtinet alas:
Ut me pluma levat, ſic grave mergit onus.
Ingenio poteram, ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas invida deprimeret.

Caterum nec propria voluntaria paupertas, nec illa charorum filiorum intimè onuſtiſsima, & graviori ut Patri, Prælato, qua preſus Moyſes, pro excutienda de humeris, ſæpe ſæpius ingemuit dicens: *Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini?* potuerunt deprimere, nec detinere volatum ingenij Benaventani; & non diſcuſis oneribus, quin potius multiplicato pondere, tot curis onuſtus, tum Cuſtos, jam tertio Guardianus, celeriter agitat alas, omneſque rumpendo moras, præter ſpem conſumavit Opus; inceſabili ſtudio tentans, præſentem laborioſam, breviorem ducere vitam, ut poſteram quietam, in memoria hominum æternaliter agat. Merito memorabilis vivet in hoc Tomo, ſecundo, de primo, cui certis legibus, perpetuoque jure abſtrinxit majoratum honoris, & laudis: Sed ſi hic liber quia ſecundus, cum primo incrementum, & acceſionem contenderit, licet Author, utpote pauper, & humilis Minorita, nequeat gladio auri, argenti, nec aris, ſcindere bellum, poterit tamen pacem inter eos mittere illa ſententia Martialis:

Num. cap. 11.

Hunc legis, & laudas librum fortaſſe priorem.
Illa, vel hæc mea ſunt, quæ meliora putas?

Mart. lib. 8. Epig. 1.

Jam ergo ut judicium feram per vos liceat, Regij Senatus Conſuiti, adducere praxim ſervatam in ſimilibus cauſis à juſto Judice typico. Prima die menſis ſedens pro tribunali inforo publico Apolus, ex conventione facta cum Operarijs litterarum, de immortalitate nominis, mandabat in Bibliotheca Delphica diligenter reponi, & curatè ſervari ſcripta, quæ in vaſculo Cenſorum, igne reviſionis purgata, inter probatos, & litterasos viros, opera gloriabantur magnalia: ſecundum quam legem, æquum, & juſtum erit, hos Commentarios annumerari in Bibliotheca ſuperioris notæ, & verioris fidei, inter Sacra Volumina Expoſitiva, quibus Magnates, & Primarij Interpretes, eorum Domini, ab antiquo dicuntur. Unde viſo, & reviſo Opere, judico Regalibus non obeſſe, & multò profecturum Moralibus. Quapropter, ſi placuerit, Veſtra Celſitudo licebit, commendabitque Provinciæ Minoritæ D. Pauli in Caſtella veteri, ne ponat ſub modio lucernam, quam Deus poſſuit ſuper candelabrum, in honorem Eccleſiæ, & utilitatem Reipublicæ. Sic cenſeo, ſalvo meliori. Palentiæ Septemb. die 21. Ann. 1744.

Lic. D. Joannes Ferdinandus
à Luelmo Pinto.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nueſtro Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Conſejo: Certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia à Fray Joſeph del Eſpiritu Santo, del Orden de Franciſcos Deſcalzos, y Guardian actual en ſu Convento de San Buenaventura de la Ciudad de Palencia, para que por una vez pueda imprimir, y vender el ſegundo Tomo, que ha eſcriro del Libro intitulado: *In Sacras Commutationes*, con que la Impreſsion ſe haga por el Original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma, y que antes que ſe venda ſe trayga al Conſejo dicho Tomo impreſſo, junto con ſu Original, y Certificacion del Corrector de eſtar conformes, para ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la impreſsion lo diſpueſto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos, y para que conſte, lo firmè en Madrid à cinco de Octubre de mil ſetecientos, y quarenta y quatro.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag 2. n. 2. Immudis *leg.* immundis.
Pag 5 n 8. mulieribus *leg* muliebribus.
Pag. 6. n. 11. Orario *leg.* oratio.
Pag. 8. n. 15. na burantur *leg.* arbitrantur.
Pag 9 n. 19. nomine meo *leg* nomine tuo.
Pag. 11. n. 24. lynagis *leg* ſynagogis.
Pag. 13 n. 28 valamento *leg.* velamento.
Pag. 20. n. 2. iiramenta *leg.* irritamenta.
Pag. 24. n. 10. mictu *leg.* mictu.
Ibid n. 11 diperdam omnia *leg.* homines
Ibid. æditòum *leg.* æditorum.
Pag 25 n 3. jubet *leg.* lubet.
Pa 28. n. 10. intetui *leg.* interitui.
Ibid. ut non *leg.* ut ne.
Pag. 30 n. 3. editiorum *leg.* editionem.
Pag. 32 n. 10 fugis *leg.* fugis.
Pag. 32. n. 11 eſt virtus *leg.* & virtus.
Pag. 33. n. 13. aliegenis *leg.* alienigenis.
Pag 63 n. 15. Molite *leg.* nolite.
Pag. 120. n. 19. vivere petis *leg* vivere poſcis.
Pag 156 n. 2. dæmo *leg* dæmon.
Pag. 162. n. 5. contere *leg.* conterere.
Pag. 166. n. 15. formidabis *leg.* form dabilis.
Pag. 206. n. 3. Iſai. cap. 6. *leg* cap. 3.
Pag. 230 n. 11. vidit gloriam Dei *leg.* vidit conſpectum gloriæ.
Pag. 239 n. 23. patis *leg.* pateris.
Pag. 269. n. 26. & projiciamus *leg* ut projiciamus.
Pag 278. n. 20. dilacutuli *leg.* delicatuli.
Pag. 279. n. 1. experimentia *leg.* experientia.
Pag. 305 n. 30. auriculam *leg.* aurem.
Pag. 309. n. 9. præſtrepit *leg.* perſtrepit.

Eſte libro Tomo ſegundo, que el M. R. P. Fr. Joſeph del Eſpiritu Santo Benavente, de los Menores Deſcalzos de N. P. S. Franciſco, Lector de Sagrada Theologia, y Ex-Cuſtodio en ſu Provincia de Caſtilla la Vieja, ha compueſto in Sacras Commutationes Commentarij Literales, Panegirici, & Morales, con las expreſſadas erratas correſponde fielmente à ſu Original. Madrid veinte de Agoſto de 1745.

Lic. Manuel Licarde de Rivera,
Corrector General por ſu Mageſtad.

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Real, y Supremo Conſejo de Caſtilla eſte ſegundo Tomo, intitulado: *In Sacras Comutationes Commentarij, &c.* à ſeis maravedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu Original, deſpachado en el Oficio de Don Miguèl Fernandez de Munilla. Dado en Madrid à veinte y tres de Agoſto de mil ſetecientos y quarenta y cinco.

SY-

SYNOPSIS COMMUTATIONUM, ET Diſſertationum quæ hoc ſecundo Tomo continentur.

COMMUTATIO QUINTA.

OCULI LUXURIANTES.

Diſſert. I. *Veſtis ſchola morum.*
Diſſert. II. *Oculi irritamenta luxuriæ.*
Diſſert. III. *Qui amat periculum, in illo peribit.*
Diſſert. IV. *A ſcintillâ unâ augetur ignis.*
Diſſert. V. *Fucata pigmentis mulier luxuriam portat in facie.*
Diſſert. VI. *B. Lucia Virgo, quò puriores haberet oculos, nullos maluit.*
Diſſert. VII. *Puerulus Jeſus verus Cupido.*

COMMUTATIO SEXTA.

OCULI TANGENTES.

Diſſertat. I. *Irati Numinis oculi maximè timendi,*
Diſſert. II. *Dolent Deo oculi, ubi punire cogitur.*
Diſſert. III. *Deiparæ Conceptio Immaculata divinorum oculorum opus.*
Diſſert. IV. *Deiparæ oculi hominibus ſalutares, diabolo lethiferi.*
Diſſert. V. *Virginis oculi tortores eiuſdem iuxta crucem.*
Diſſert. VI. *Donec oculi non vident, manus otiantur.*
Diſſert. VII. *Spectantium oculi grande afflictorum levamen.*
Diſſert. VIII. *Mundi felicitas colorata eſt, non vera voluptas.*
Diſſert. IX. *Homines non timendi.*
Diſſert. X. *Crux Chriſti, & imago Matris hoſtium terror, & exitium.*
Diſſertat. XI. *D. Jacobi facies duriſſima mauris.*
Diſſertat. XII. *S. Benedicto oculi pro manibus.*
Diſſertat. XIII. *D. Iguatius Loyolæus in imagine vivus.*
Diſſertat. XIV. *Correctio blanda ſeveriore potentior.*
Diſſertat. XV. *Chriſti oculi vitaliſſimi.*
Diſſertat. XVI. *Invidia res juſtiſſima, quòd ſuo noceat authori.*

COMMUTATIO SEPTIMA.

OCULI AMBULANTES.

Diſſertat. I. *Oculus vagus præcipitem trahit pedem.*

Diſſertat. II. *Meliùs eſt labi pedibus, quàm oculis.*

Diſſertat. III. *Oculus perverſo tumore ambit pedis officium.*

Diſſertat. IV. *S. Franciſci Xaverij pedes inſtar oculi veloces.*

Diſſertat. V. *S. Franciſco Xaverio plurimę facies; ſed unus inceſſus.*

Diſſertat. VI. *S. Andreas crucem & provocavit fortis, & ſuſpiravit amans.*

Diſſertat. VII. *Virtutis ſtadium is currit egregiè, qui cælum ſpectat.*

Diſſertat. VIII. *Claudicant nonnulli haûd pede, ſed oculo.*

Diſſertat. IX. *Ut alieno ſerviamus oculo, laboramus impigrè.*

Diſſertat. X. *Quales oculi, tales & pedes.*

Diſſertat. XI. *Bonorum Prælatorum boni ſubditi.*

Diſſertat. XII. *Vana gloria ſpectatore fovetur.*

COMMUTATIO OCTAVA.

AURES VIDENTES.

Diſſertat. I. *Peccatorem ſua crimina apud Deum accuſant.*

Diſſertat. II. *Qualis vir, talis oratio.*

Diſſertat. III. *Deus peccata mortalium ſic videt, quaſi audiat; homines verò ſic audiunt, quaſi videant.*

Diſſertat. IV. *S. Ludovici Regis lucidiſsimę aures.*

Diſſertat. V. *Judex auritus rectius videt, quàm oculatus.*

Diſſertat. VI. *Obedientia perfectiſsima, cęca.*

Diſſertat. VII. *S. Parentis Franciſci egregia in Deum confidentia: quia cæca.*

Diſſertat. VIII. *Obcęcati terrenâ felicitate, ſurdeſcimus ad æterna.*

Diſſertat. IX. *præſtat audire Chriſtum, quàm videre.*

Diſſertat. X. *Deum qui audit, videre dignus.*

Diſſertat. XI. *Reprehenſio, quæ auditur tantùm, non auditur.*

LECTORI BENEVOLO.

PRodit, humaniſsime Lector, ſecundum in Sacras Commutationes Expoſitionis noſtræ Volumen. In quo quidem vultum, habitumque præcedentis facilè agnoſces: cùm idem planè ſit utriuſque ſcopus, eademque methodus. Verum autem dici debeat, necne; nihil attinet examinare. Nam apud æquos rerum æſtimatores, ideſt, ſapientes, haud habentur in pretio feſtinati partus, ſed maturi. Non omnia ſanè ingenia æquè felicitèr nata: neque omnibus idem vigor, eademque feracitas. Sunt arbores vernæ, & æſtivæ; ſunt autumnales etiam, & hybernæ. Illud autem *lignum* à regio Vate ſummis laudibus commendatur, quod *fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Adeo in omni fœturâ nil optabilius tempeſtivitate. Sanè *arboris generoſæ ſtatim planta cum fructu eſt*, ut inquit proverbium. Sed & illud haud minus celebre: *pulcrorum etiam autumnus pulcer eſt.* Nos igitur, quoniam pulcra non valemus, edere procuramus non cruda, & tardos interpretes eſſe malumus, quàm malos. Qua propter feſtinationem non jactamus, incuriam vè, aut negotiorum obſtacula: quod qui faciunt, verius interdum loqui deprehenduntur, quàm exiſtimant, aut velint. Multo itaque ſtudio, multis vigilijs, multiſque, ut ita loquamur, incubationibus animavimus hunc fœtum: prolixè lambimus, quoties licuit, minuimus, auximus, interpolavimus. Quòd ſi necdùm res benè ſucceſsit, culpanda erit imbecillitas virium, non conatus. Docti veniam dabunt. Quid alij cenſeant, nil moramur.

Sed occurrunt gravioris momenti notæ. In primis à viris præſtantiſsimis eo nomine reprehendimur, (blandè tamen, & amicè, ut ſapientum moris eſt,) quòd in Expoſitiones Literales multò plures, quàm par erat, cùm ſacræ, tùm profanæ eruditionis acervos congeſſerimus, qui quidem magis ad vanam oſtentationem, quàm ad explanationem ſacri Textus, aut legentium utilitatem facere videantur. Sed, ſiquod hic peccatum eſt, planè non videmus, cur nos ſoli accuſamur, cùm non ſoli peccaverimus. Plurimi enim ſunt Eccleſiaſtici Enarratores, nobiles quidem, & laudatiſsimi, qui Commentarios ſuos omni Literarum genere abundantius farsère: quorum nos veſtigijs dum inſiſtimus, digni profectò ſumus, quibus facilius hæc prodigentia condonetur: quòd non proprio ductu, ſed Majorum imitatione liberius calamo indulſimus. Verùm ſicui minus hæc excuſatio probabitur, validiorem depromam ex novo ipſius Operis argumento. Etenim conſilium noſtrum non fuit tritas explanare vias, ſemitas vè clariſsimas illuſtrare. Id quippè, ut negotium facillimum, ita & expeditiſsimum. Sed conati ſumus potiùs intentata fere loca reddere tractabilia, obſcuroſque receſſus pro viribus colluſtrare. Ergo quòd prolixiores in Expoſitionibus fuiſſemus, ipſa ſententiarum obſcuritas effecit. Leves umbras parvæ faculæ excutiunt; graves tenebræ non niſi multò lumine diſpelluntur. Ut igitur Locutiones obſcuræ, peregrinæ, dureque ſonantes noſtris fierent auribus familiares; advocandæ in ſubſidium fuere aliarum linguarum proprietates, multiplicandaque probatorum Authorum teſtimonia, quæ divini Oraculi poſſent favere dialecto. Dùm igitur altè, & à ſtirpe, quod aiunt, ſenſus latentes repetere conamur, facile condonabit æquus Lector, ſi ſtylum premiſimus paulò liberius evagari. Cæterum temperabimus calamum in ſequentibus voluminibus: ſiquidem & hoc tibi gratius, & nobis commodius: namque nil facilius eſt, quàm ſcribere pauca.

Deinde accuſamur è contra, quòd in Diſſertationibus plurimùm abſtinuerimus Sanctorum Patrum teſtimonijs, Majorumque dictis: cùm tamen maximè oporteret cogitatiunculas noſtras Veterum authoritate fulcire. Verum enim verò ut non damnamus Viros præſtantiſsimos, noſtraque laudatione majores, qui ſecùs noſtra ætate ſcripſerunt; ita nobis placet conſilium aliorum

nec,

nec numero, nec eruditione inferiorum, qui suis scintillis contenti, pulcras Conciones, tùm vernaculo, tùm latino sermone ediderunt, nullis conspersas Sanctorum Patrum oraculis. Perennes, immensique Scripturarum fontes nedum tempore antiquo manvere, decurrunt & nostro; sed & in futuris non cessabunt. Cur ergo nobis non licebit ore proprio haurire, quod Majoribus non licitum tantùm, sed & gloriosum fuit? Certè ipsi Sancti Patres in Concionibus ad populum cujusmodi sunt nostræ Dissertationes, nullis nisi divinæ Scripturæ testimonijs utuntur. Itaque abstinuimus nos aliorum dictis: quòd Patres ipsi abstinuerunt. Ergo, inquis, summis Ecclesiæ Proceribus te componere audes? Unde colligis? Num arrogantes dices culices minutissimos, quod de eodem, quo aquilæ generosæ, numine potant? Num superbiæ insimulabis Bovem, quòd vides cum Leone portare currum gloriæ Dei? Omnibus patet Scripturarum campus, si modo reverenter accedant. Quid, si quam tu putas arrogantiam, nobilius obsequium est, & reverentia major! Nos quippè non tanti facimus argutiolas nostras, ut dignas judicemus, quæ Sanctorum Patrum majestate honorentur. Nos certè repimus humi: illi supra sidera volant: & indecorum putavimus, sententias planè gemmeas, ac divinas plumbeis nostris cogitatiunculis interserere. Habes, candide Lector, quibus nostrum in scribendo consilium, si non omnino probare, saltem excusare valeas.

Gravioribus his notis utcumque dilutis, haud erit operosum alias objectiunculas elidere, quales sunt, quæ ortographiam spectant. V. g. quòd *frenum*, & *feminam* sine diphtongo scripserimus, *lacrymam* sine aspiratione, & quædam alia, quę aliter posse scribi non ignoramus. Sed inter variantes scripturas, speramus fore profecto necubi nobis patrocinium desit. Præsto enim erunt Typographia Plantiniana, Moguntina, & Lugdunensis, ac præcipuè *Orthographia Antiqui, & Novi Latij* Sebastiani Dauschij Canonici Tornacensis, quibuscum nostram scribendi rationem strenuè defendere possumus: ut nemo putet, nos ignorantia scripsisse, sed delectu. Placet namque maximè orthographia illa, quæ nuit lenior, & expeditior. Nos vero, quibus vel Amanuensis incuria, vel Typographi munus illiterata Operis candorem aspersit: ac præsertim illos, qui tonos, sive accentus concernunt, quorum major, & inevitabilis abusus; sive Lector benevolus à nobis procul eliminet, sivè adscribat lividus, nil moramur. Graviores correximus sedulò; leviores verò quosque facilè quisque non prorsus illiteratus emendabit, tædiosissimum foret penitus ablegare.

Unum superest, humanissime Lector, quo te monitum volumus. Nos, si quando acrius in certi instituti, Officij, aut ministerij homines invehimur; id citra bonorum ictum præstitisse fatemur. Essemus profectò dubio non stulti tantùm, sed & improbi, si cum E. g. Nobilium jactantiam reprehendimus, vel Judicum avaritiam, omnes acervatim carperemus. Absit isthæc impietas à viro Religioso, Theologo, & Christiano. Probos, quorum in omni statu Dei gratiâ magna copia, semper secrevimus, ac veneramur. Quod quamquam satis ex contextibus liqueat, placuit tamen hic præmonere; ne quis interpres malignus candorem nostri pectoris corrumpere audeat.

Deinde scire te volumus, nos tertio jam Volumini scribendo incubasse; sed quoniam modo alium funem torquere jubemur, incœptum Opus sistere cogimur, donec Superioribus ità videbitur. Interim gratias, quas possumus maximas, reddimus tum Deo in primis, cujus clementia vires nobis suffecerit, & Opus hucusque perduxerit; tum doctissimis, & integerrimis illis Viris, quorum ingenuo de præcedenti Volumine judicio nos non mediocriter animatos profitemur. Postremò coram cœlesti Numine genua flectimus, & fervidas fidelium omnium ad Deum preces obnixissimè petimus; ut vires omnes animi, atque corporis gratiosè concedat in gloriam ipsius, commodum spiritale nostrum, & animarum salutem. Hæc nostra Vota.

COMMU-

JESUS, MARIA, Y JOSEPH.

COMMUTATIO QUINTA.

OCULI LUXURIANTES

NEC SEQUANTUR COGITATIONES SUAS, ET OCULOS per res varias fornicantes. Numer. 15. 39.

EXPOSITIO LITERALIS.



Mnia munda mundis. Longa de Impudicitia oratio eſt nobis texenda. Timeo ne pro inde malè audiat ſermo noſter apud quoſdam, quibus uſque adeo verecundæ ſunt aures, ut vel ſolo nomine Impudicitiæ turbentur, ſtatimque illud Apoſtoli objiciant: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Puriſſima interpretatio, ſi Apoſtoli verba tanta puritate non corrumperet. Audi Paulum adverſus Corinthios inclamantem: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Lege etiam in Apocalypſi turpiſsimam meretricem ſuis coloribus graphycè depictam, *Mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus, & infronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Quid Chriſtus? Nonne labia ejus lilia? At vide quid diſtillaverint. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Et iterum: Omnis qui dimiſſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Alibi de Eunuchis ſermonem inſtituit: alibi mulierculæ Samaritanæ ſex virorum in continentiam objecit. Quid plura? Tertio quoque paſſu in ſacra Pagina exprobatam impudicitiam invenies. Quare ſuperſtitioſi cultores puritatis ſumus, ſi quod non Apoſtoli, non Prophetę, non denique Chriſtus refugêre, nos nec aut labia noſtra, aut Auditorum aures polluamus, evitandum ducimus.

Eph. 5. 3.

Concio de Impuditia non vitanda.

1. ad Cor. 5. 1. Apoc. 17. 4. 5.

Matth. 5.

Ibid. 32.

2 Opere prætium fuerit tranſcribere pulcerrima Radulphi verba cap. 18. *Levit.* quibus ſacræ Scripturæ puritatem defendit, vel cum de rebus nimis fædis, & execrandis apertè loquitur. *Multi cum in Scripturis, ait, talia reperiunt, abominantur, avertunt auditum, & pene, ſi audeant, legem divinam, quod in ea talia ſcripta ſunt, reprehendere nituntur. Sed meminiſſe debemus, quod ſuperius legimus, cum immundorum tractatus haberetur, vaſa omnia*

Rodulph.

Scriptura verbis interdum utitur minus puris, ut noſtram impuritatem reprehendat.

nia lignea, vel fictilia, pelles, & cilicia, cibum, potumve, & quidquid illud esset, super quod de immudis aliquid caderet, habitum pollutum: fontes verò, & cisternas, & omnem aquarum congregationem mundam: fontes esse Doctorum mentes, in quibus propter scientiæ abundantiam fons sit aquæ salientis in vitam æternam, cisternas auditores, qui doctrinæ fluenta, à peritioribus susceptа, intra memoriæ apothecam colligunt, atque conservant; sive in Doctorum fontibus, sivè in auditorum cisternis immunda claudantur, non pollui: quia aliud est de vitijs cogitare, aut loqui sub deliberatione peccandi; aliud ea intentione discutere ut subtilius agnita, facilius evitentur: nobis potius imputari debere, quia audire talia digni sumus, quam legem divinam in aliquo reprehendere præsumere. Simili apologia me ipsum liri defensum arbitror, si quando, ut in præsenti, compellar in hæc delabi, quæ Scripturę, quam tracto, sententia suppeditat. *Nec verò nobis turpe est*, utar Clementis Alexandrini verbis 2. Pedag. cap. 10. *ad auditororum utilitatem nominare partes, in quibus fit fœtus conceptio, quas quidem Deum fabricare non puduit.* Utinam tanta verecundia niteret in corde auditorum, quantam in auribus habere quidam se iactant. Licet ergo nominare immunditiam, non quidem ad voluptatis, & luxuriæ fomitem, quod Apostolus reprehendit; sed ad exprobationem sceleris, ut per exteriorem verecundiam in auditorum auribus seminatam, interior pudor in cordibus eorum progerminet.

Aliud est loqui de vitijs, sub deliberatione peccandi; aliud ea discutere, ut facilius evitentur.

Clem. Alex.

3 Quæ in præsenti commutatione discutienda selegimus, verba sunt Domini, quibus filios Israel vitandas docet tum interiores cordis illecebras, tum oculorum externas. Sensum verò pendere cogit illa coniunctio disiunctiva: *Nec.* Igitur ut intellectus fiat planus, integram expedit sententiam in medium adducere. Auscultа: *Dixit Dominus ad Moysem: Loquere filijs Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angullos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Ceremoniale fuit præceptum hoc Judęis datum, & ut insigne illius Nationis, & ut Memoriale mandatorum Dei.

Sensus aperitur.

Num. 15. 37. 38. 39.

4 Porrò *Fimbriæ* nomine cuiuslibet rei extremitatem significari, ex Cicerone liquet, qui & cincinnorum fimbrias dixit in Pisonem. *Erant, inquit, illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ.* Lamonicus *cap. de Vulneribus*: *vel fimbriæ porri.* i. e. fimbriæ & Capillamenta. Et Hebraice Sisath quod est in hoc loco, proprie valet *cincinnum* capitis, ut tradit Vocabularium Complutense. Transfertur autem ad oram inferiorem vestimenti, videlicet, partem illam, quæ deorsum est secus pedes. Abulensis opinatur, has Judæorum fimbrias non esse quid distinctum ab angulis palliorum, sed angulos ipsos constituere fimbrias. Verba ejus sunt. *Anguli autem palliorum non sunt aliquid distinctum à fimbrijs, quælibet enim fimbriarum erat unus angulus, vel continens in se angulum, cum per divisionem panni sint, iam ibi duæ lineæ tangentes se ortogonalitèr, & sic in qualibet fimbria.* Qui autem hæc expositio possit consistere cum textu dicente, *faciant sibi fimbrias per angulos paliorum*, ubi fimbrias ab angulis videtur distinguere? Expicat idem: *id est*, inquit, *quod faciendo fimbrias, fierent anguli, si non præ existebant.* Alij Authores frequentius per fimbrias denotari putant, fila quędam non texta quæ ex infima ora vestis dependent, quæque post texturam relinquuntur in panno, eo modo quo videmus fila reliqua extare in extremitatibus telarum, in multos fasciculos in ora vestis intorta. Ita Lorinus, & Alapide hic, & Maldonatus ad *cap.* 23. *Matth.*

Fimbria quid.

Cicer. Vocabul. Complut.

Abulens.

Lorin.

5 De Pallio plurima invenies tum apud sacræ tùm apud profanæ eruditionis Cultores. Pallium est extrema vestis, quæ reliquis super indui solet. Unde paræmia Plautina in Trinum. *Tunica pallio prior est.* D. Isidorus *Etymolog. lib. 9. cap.* 23. dictum putat Pallium à pellibus, quia prius super indumenta pellicia veteres utebantur, quasi pellea, sivè à palla per derivationem. Et est illud, quo ministrantium scapulę conteguntur, ut dum ministrant, expediti discurrant. Unde Plautus: *Siquid facturus es, appende in humeris pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas.* Proprie autem Græcorum ha-

Pallium quid.

Junica pallio prior. Isidor.

Plaut.

Pallium: Græcorum habitus.

habitus hoc nomine dicebatur, quem admodum Romanorum toga. Suetonius in *Augusto. Sed cæteros continuos dies inter varia munuscula togas insuper & pallia distribuit, lege proposita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur. Hinc palliati Græci, apud Plautum. Curc. scen.* 3. *Et Gens togata* dicti Romani à Mart. lib. 14. *Epigram.* 124.

Toga Romanorum.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Mart.

Prior versus fuit Virgilij, sed ut putat Domitius, aliter acceptus à Martiali; nam ille intelligit per gentem Romanum populum, cum toga olim Romanorum tantum vestis esset, nullo inter eos discrimine: postea in usum venit tantum eorum, qui potentiores officij gratia per urbem deducebant, ut sportulam consequerentur, undè togatos sæpè numero Martialis vocat ante ambulones, odioque Vatiniano passim prosequitur.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sepe toga

Mart.

Idem,-*Heu quam per fatuæ fuut tibi Roma togæ.*

Turba togatâ quæ.

Unde turbam togatam vocat juvenalis *Satyr.* 2. clientelam illam comitum, qui toga induti, potentiores amicos per urbem ducebant & reducebant.

Sportula prima
Limine parva sedet turbæ rapienda togatæ.

Juvenal.

Id quod ipsi Martiali erat per molestum, quippè qui inter cæteras vitæ felicitates togam raram optet *Lib.* 10. *epig.* 47.

Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

Togam raram optat id est, ne cogatur bene manè togatus circum volitare potentorum limina, salutationis defuncturus officio. Nec tanti putat esse sportulam illam, quæ cuique indios singulos dabatur, certum scilicet, quadrantes.

Sportula quanti pretij.

6 *Justa Togæ mensura*, inquit Isidorus supra laudatus *si sex ulnas habeat.* Quod desumptum videtur ex Horatio in Epod. 4. *Vides nè sacram metiente te viam; cum bis ter ulnarum toga.* Quamquam ventosi homines, ut sæpe fit, modum excedebant. Nam quo quisque major aut est, aut videri vult, eo laxius splendidiusque cultum incedere solitum. Modum autem excedebant non superbi tantum, sed & discincti, solutique homines; idque aut laxitate, aut etiam longitudine, sic enim Cicero pro Cluentio: *Facite, ut non solum mores ejus, & arrogantiam sed etiam vultum atque amictum, atque illam usque ad tales demissam purpuram recordemini.* Toga autem Romani in pace utebantur; tempore belli paludamentis; Hinc factum est, ut Toga pro pace accipiatur. Cicero in Pisonem: *Non dixi hanc Togam qua sum amictus: nec arma, scutum & gladium unius Imperatoris; sed quod pacis est insigne, & otij, Toga.* Erat & *candida Toga*, illa, nimirum quam petitores Magistratuum induebant, unde *candidati* dicebantur. Plinius *lib.* 7. de Trasic. *In toga candida bis repulsa notatus à populo.* Togæ palmatæ meminit Martialis. *Lib.* 7. *Epigram.* 1.

Mensura togæ Isidor.

Isidor,

Superbia vestium.

Cicer.

Toga pacis insigne.

Toga candida. Unde candidati.

I *Comes & magnos illæsa merere triumphos,*
Palmataque ducem, sed cito redde Togæ.

Palmata verò dicebatur, quoniam pars palmę. i. victoriæ, in ea intexebatur, ut ab Helena pictis vestibus apud Homerum, acu certamina interuntur: eadem dicebatur *triumphalis.* A palmarum itaque similitudine palmata, sicut averrucis, clavo similibus, *verrucata* apellabatur. Erant autem clavi quidam veluti flores, seu occelli, panno intexti, vel assuti, quorum quidam lati erant, quidam anguśti. *Anguśtus clavus* pro ipsa veste usurpatur, anguśtis clavis circumdata, quæ Romanorum Equitum erat insigne. At verò *Latus clavus* sumitur pro ipso vestis genere latis clavibus distincto. Vide Mendozam lib. 8. *Saturnal. Decad.* 3. *cap.* 4. Hac veste soli Senatores, & Patricij induebantur. Lampridius in Alexandro: *Constituit, ut equites Romani à Senatoribus clavi qualitate discernerentur, nimirùm, ut illi anguśto, hi verò lato clavo uterentur. Hinc Anguśti clavij, vel Lati clavij dicti*, qui Anguśto vel Lato clavo utebantur. Methonimicos, accipitur *Latus clavus* pro ipsa senatoria dignitate, Plinius in Epist. *Ego Sexto*

Toga palmata.

Triumphalis. verrucata.

Laus, & Anguśtus clavus qui.

Mendoz.

Lamp.

Latus clavus pro senatoria dignitate.

Plin.

La-

Latum clavum à Cæſare noſtro, ego quæſturam impetravi. Ovidius *lib.*4. *Triſt. Eleg. Ultim.*

Ovid.

Induiturque humeros cum lato purpura clavo.

Sil. Ital. Hac veſte uſos quoque fuiſſe Sacerdotes non obſcure obſtendit Silius

Dis cinctis mos thura dare, atque è lege parentum
Sicrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

Pallij Figura. Iſidor. 7 Redeo ad pallium, cum quo Togę textura eſt valde connexa. Eſt autem *pallium* apud eundem Iſidorum, *forma rotunda effuſiore, & quaſi inundante ſinu, & ſub deſtro veniens ſupra humerum ſiniſtrum ponitur*: cuius ſimilitudinem in operimentis ſimulacrorum, vel picturarum aſpicimus, eaſque *ſtatuas togatas* vocamus. Simile fuiſſe noſtrorum Sacerdotum pallio, quod Hiſpani vocamus *Manteo* tradit Laurentius Ramirez *Hypomnem. ad Valer. Mar. lib.*2. *Epigram.* 17. Fuiſſe quoque Pallium Philoſophorum inſigne, docet Tertullianus *lib.* de pallio dum inquit: *Omnis liberalitas ſtudiorum quator meis angulis texitur.* Sellius lib. 9. *Video* inquit Herodes, *barbam, & pallium, philoſophum nondum video.* Apud 1. Flor. *Item cadavera pallio operiri, & philoſophos amiciri.* Capiral. in Antonino philoſopho. *Nam duodecim annos ingreſſus, habitum philoſophi ſumpſit, & deinceps tolerantiam, cùm ſtuderet in pallio, & humi cubaret.* Unde *palliatus Pytagoras*, Valerio *libro.* 2. *cap.* 1. *Apul.* 11. *palliata mendicabula.* Policratici *lib.*8.C.21. fuit item pallium Monachorum habitus, ut conſtat ex D. Hieronymo ad Salvin. *Sicut è contrario alijs non prodeſt vile palliolum, furua tunica, &c.* Caſsianus Heremita de habitu monach. *Anguſto palliolo tàm amictus humilitatem, quàm vilitatem precij compendiumque ſectantes, colla paritèr atque humeros tegunt, quæ mavortes tàm noſtro, quàm ipſorum nuncupantur eloquio. Palliata agmina*, Sulp. Sever. *epiſtol.* ad Baſſulam ſocrum ſuam, id eſt. Monachorum catervæ: *Agebat*, inquit, *ante ſe paſtor extinctus greges ſuos, ſanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata.* Eadem combinatio apud Salvian. Maſsil. *lib.*8. *Intra Carthaginis muros palliatum, & pallidum, & reſciſsis comarum fluentium iubis uſque ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus, quàm in fidelis ſine convicio, atque execratione non poterat.* Idem *dialog.* 2. *cap.* 4. *Sed ubi Martinum in veſte hiſpida, nigro & pendulo pallio circumtectum.* Item ad Eccleſ. Cathal. *Licet religionem veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adferas, licet ſantitatem pallio mentiariſ.* Ex inde apaganis *falſe* increpabantur Chriſtiani. *Spidetus*, id eſt palliati, ioco ancipiti, & tribuloſo, alludentes ad pallia, quibus Monachi amiciebantur, & eos vellicantes ut impoſtores, quaſi veritatem mendatio palliarent, & polluerent. D. Hieronymus *ad furiam*, de Viduitate ſervanda: *Ubicumque viderint Chriſtianum ſtatim illud detriuio oypaixos ſpidetus vocant impoſtorem, detrahunt.*

Statuæ Togatæ. Ramir.

Pallium Philoſophorum inſigne. Tertull. Gell. Capital.

Pallium Monachorum habitus. D. Hier. Caſsian.

Palliata agmina. Sulpina. Sever.

Salvian.

Monachi impoſtores habiti á paganis.

Pallium feminarum cultus.

8 Erat etiam pallium feminarum cultus, ſed non ſine aliquo diſcrimine & uſus varietate; nam eo pallio feminæ operiebant tunicas, & in convivis tunicatæ, & pallio coopertæ aſsidebant. Unde Epigrammatarius cum Silę futuræ uxori leges præſcriberet, inquit lib. 11. *epig.* 24.

Martial.

Ad cænam venies, ſed ſic diviſa recumbes,
Ut non tangantur pallia noſtra tuis.

Pallia muliebria diverſa à Viribus. Eſſe verò diverſa utraque pallia, conſtat perſpicuè ex 1. C. Ulpia, in L. *Veſtis* 23. §. 2. ubi enumerat muliebria veſtimenta, & in his pallia: ut etiam Scevola in *l. Ticia* 38. §. 1. eiuſdem tituli, inquit, *Muliebria ſunt, quæ matri familiæ cauſa ſunt comparata, quibus vir non facilè uti poteſt ſine vituperatione: veluti ſtola, pallia*, &c. muliebria ergo pallia diverſa à virilibus. Inde palliatæ incedebant mulierculæ. Martialis *lib.* 9. *epig.* 33.

Hanc volo quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Martial. Sed enim, quamvis Ulpianus enumeret inter pecularia mulierum veſtimenta pallia, & penulas, quibus vir ſine vituperatione non utatur, nihil ominus ſubiungit in eadem lege: *Communia ſunt, quibus promiſcuè utitur mulier cum viro, veluti ſi eiuſmodi penula, pallium ve eſt, & reliqua eiuſmodi quibus ſine reprehenſione vel vir, vel uxor utatur.* Quomodo ergo pallia pecularia feminarum veſtimenta, ſi eadem mox fatetur etiam virorum pallia eſſe? Quia nimi-

Ulpian.

rum,

rum, pallia, & penulæ, quibus feminæ utebantur, diversa erant figurâ à pallijs, & penulis virorum; sed vir non poterat honestè mulieribus uti: feminæ vero poterant honestè virilibus, quemadmodum olim promiscuè togis utebantur: & hodieque nostræ feminæ, & pallis, & togis virilibus in Hispania utuntur absque reprehensione, vel iterfacientes, aut ægrotantes, aut ad pluviam, aut ad frigus arcendum.

9 Verum, quid quid sit de vestium permutatione in Nationibus alijs; Hebræis expressa lege cautum erat, nè viri & feminæ communi veste uterentur. Sic enim habet Deutoronomium cap. 22. vers. 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc.* Guilielmus Parisiensis *de lege cap.* 3. affert prohibitionis causas: ut distinctio sexus retineretur; ut opportunitas flagitijs carnis tolleretur; ut auferretur occasio idolatriæ, cum sacris Martis feminæ armarentur, viri in sacris Veneris muliebritèr incederent; ut præcidetur æstus libidinis, quem accendit vestis in viro, & viri in muliere, venereæ rei excitando imaginationem: nè daretur maleficijs occasio solitis per abusum talium vestium: nè vir persuaderet sibi applicatione vestis feminæ conciliari fortissimè amorem feminarum, eodèmque modo vice versa. Præsentis loci auctoritate suffulti Cyprianus, Clemens, & Cyrillus Alexandrinus, atque Ambrosius invehuntur in viros muliebribus vestitos, primumque in eos hic maledictum pronuntiari asserit, quod hoc loco dicitur esse abominabile apud Deum. *Nam cum in lege prohibeantur,* inquit epist.61. *Viri inducre muliebrem vestem,& maledicti eius modi iudicentur; quanto maioris est criminis non tantum muliebra indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes & molles,& muliebres, magisterio impudicę artis exprimere?* Clemens, *in sinuari* ait, *nos viros esse devere, nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effeminari.* 2. *Strom.* cap. 8. Cyrillus infert, oportere sanctos viros, ubique unius moris videri, non in sententia parùm constare: *æque abominari Deum, ac turpissimum spectaculum putare, tum fortitudinis opinionem in molli vita, tum in forti viro mollis animi langorem, quę in utrovis hypocrisis quædam est.* Denique S. Ambrosius ad Irenæum, ubi hanc *Deuter.* legem per tractat, incongruum esse docet, quod ipsa etiam natura abhorret; & sic in surgit. *Cur homo non vis viaeri esse, quod natus es? Cur alienam tibi assumis speciem? Cur mentiris feminam, vel tu femina virum? Suis unumquemque sexum induit natura indumentis. Denique diversus usus, diversus color, motus, incessus, diversæ vires, diversa vox est in viro, & in femina.* Tum simile quid in aliorum animantum sexu duplici extare demostrat, nec mutare speciem. Et multis interjectis, mox exclamat. *Quàm deforme autem virum facere opera muliebria? Ergo & pariant, & parturiant, qui crispant comam, sicut feminæ, & tamen illæ velantur, & isti bellantur. Merito igitur non serbatur castimonia, ubi non tenetur sexùs distinctio.* Pulcerrima verba; optima enim pudicitiæ custodia est vestitûs honestas. Unde Poeta:

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

10 Videtur itaque pecasse mortaliter Iudæus, utens veste feminea, sicut & Iudæa virili. Unde apparet, legem hanc fuisse moralem, iurique naturali congruentem & servandam; quamvis iam sit abolita, quatenus scilicet, obligabat sub peccato mortali. Modo quippè dissimulatio vestis potest interdum fieri absque peccato, vel etiam cum merito, ut ad repræsentandum comicè, tragicève personam cum decoro honestatis; ad effugiendum grave periculum, vel proprium, vel alienum, ad religiosum institutum tutò suscipiendum. De quo vide D. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 6. & 22. q. 169. a. 2. ad 3. Sed huiusmodi casus rariores sunt, nec valde imitabiles, licet nonnullis ecclesiasticis exemplis constet, aliquos fuisse viros, qui sumpto femineo habitu in carcere positi ibi remanserunt, ut feminam ab opprobrio imminente liberarent. Sicut & de feminis, quæ virili sunt usæ, ut in Monachorum numerum admiti possent, ut Eugeniâ, Marinâ, Euphrosinâ, Pelagiâ secedente in desertum, Naliâ Uxore Adriani Martyris,

Veste virili feminam uti, & é contra, Judeis interdictum. Deutor. 22. 5. Guilielm.

Vestes sexuum permutare quam pernicioſum.

D. Cyprian.

Viri effeminati fugillantur.

S. Clem.

S. Cyril.

D. Ambr.

Sexuum vestes permutare quando liceat.

D. Thom.

Conc. Crang.

quæ ut virum ad martyrium inflammaret, carcerem eſt ingreſa. In Concili Grangenſi *can.* 13. profertur anathema, ſiqua mulier propter eam quæ

Balſam. exiſtimatur, exercitationem (*Aſciſin* vocant Græci) veſtem mutet, & pro conſueto muliebri indumento virile accipiat. Ubi Balſamon damnari notat *hypocriſim & fraudem*, non autem ſiqua id faceret *propter puræſincereque exercitationis* modum; quia multæ mulieres per virilem habitum, exercitatorium curriculum peregerunt. Videtur autem canon ille in virgines illas editus, quæ, auctore Euſtathio, Monachorum veſtes induebant, ut indicare in

Lorin. ſcholis eiuſdem canonis Zonaram, advertit Eruditiſsimus Pater Ioannes
Gratian. Lorinus *Paraphr.* eiuſdem V. 5. cap. 22. *Deutor.* ubi copioſſa nobis de
Gloſſa hac re ſementem fecit. Gratianus c. *Siqua mulier.* d. 30. eundem cano-
Mulier ſciſſa veſte non utatur. nem ita recitat. *Siqua mulier ſuo propoſito utile iudicans, ut viri veſte utatur, propter hoc virilem habitum imitetur, anathema ſit.* Ubi Gloſſa, *quia*, inquit, *magis eſt habilis, & magis parata in ſciſſa veſte, quam inclauſa, ad meretricandum.*

11 Iuſto longiora hæc, & apropoſito ab errantia alicui forſam impatienti Lectori videbuntur; ſed totam expoſitionis ſeriem diligenter conſideranti maxima, credo, rerum connexio & affinitas aparebit. Eò quippe tendit orario, ut interdictam à Domino veſtium confuſsionem noſcamus, iuſtaſque ob cauſas illam legem ſtabilitam. Cavit Deus ſuis clientibus Hebræis nè ocaſsione rei veſtiariæ & à domeſticis malis, & ab exteris circumſcribentur. Ergo vetuit, nè vir & femina inter ſe communi veſte uterentur; & præſcripſit modum pallijs, quo ab alijs Gentibus poſſent diſtingui. Sed noſcere

Pallium Hæbreorum quale. cupis, quale hoc ſignum fuerit, adeo Iudeorum peculiare, quod nulli alteri nationi conveniret? Principem textum relege: *Dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas byacinthinas.* Pallium quadratum erat, & quadrangulum, humeris impoſitum; & inde ad pedes uſque

Numer. 15.38. ante & retro defluens. Hinc quatuor anguli in pallio, ex quatuor, nimirum, integumenti portionibus, in anteriore, & poſteriore parte diviſi, neceſſariò propagati. Præterea pallio vittæ hyacinthinæ, id eſt, funiculi intrincati, ſeu

Vittæ Hyacintynæ cujus coloris. intorti & artificio catenarum concinnati, ac per modum appendicis coniuncti cum pallij angulis, ut Vatablus exponit *in cap.* 22. *Deutor. Verſ.* 12.
Vatab. Hyacinthinæ porrò dictæ, i. e. vel aerei coloris, ut communior habet in-
Cayet. terpretatio; vel quaſi paleæ, ut vult Cayetanus; vel quaſi cœli rubentis, ut
Alcaz. magis placet Vatablo. De qua re multa Alcazar in *Apocal.* 21. *not.* 3. Patet itaque extrinſeca diſtintionis nota Iudæorum ab alijs Gentibus; quia nimirum, ſoli Iudæi veſtibus angularibus utebantur, cum Nationes reliquæ rotundas tantum geſtarent; vel ſolum in parte anteriore apertis; quod non diſplicet

Burgenſ. Abulenſi; vel quod ipſe magis approbat, quoniam ſoli Iudæi vittis hyacinthinis fimbrias, ſeu angulos palliorum ornarent.

Thoring. 12 Burgenſis, neſcio an libidine impugnandi Liranum noſtrum, negat
Inveſtitu apparet profeſsio. hic formam habitus Iudæis præſcriptam fuiſſe ſignum diſtinctivum: eum re-
Judæi quo pacto á cæteris nationibus diſtingi ſolebant. vincit Replicator Thoringius. Certè in veſtitu foris apparet profeſsio. Peculiaris quippe in veſtitu eſt ornatus militis, alius Senatoris, itemque aliorum alius, undè plerumque de dignitate illorum capitur coniectura. Decorum itaque, atque conſentaneum fuit, ut ſicut populus Iudæorum in veri

Abulenſ. Dei cultu erat à Gentilibus ſegregatus; ſic etiam in exteriore habitu ab ijſdem appareret diſcretus. Et rationem pulcram adducit Abulenſis; Scilicet, ut cum Iudæus hominem aſpectaſſet, cognoſceret, nunc ille Iudæus eſſet, necne; an illi communicandum, anſecus; an recipiendus in Sanctuarium, an ab

Chriſtus more Judæorum pallio uſus. illo arcendus: frequenter quippe Gentiles veniebant in terram Chanaam; undè hac cautela opus erat, ne ob ignorantiam profeſsionis incircunciſis temere admiſcerentur. Chriſtum quoque more gentis ſuæ has geſtaſſe veſtes,

Luc. 8. 44. patet *Luc.* 8. 44. Ubi mulier hæmorrhoiſſa Chriſti fimbriam tetigiſſe narratur, & continuo ſanata. Porro hujus obſervantiæ tam tenaces ſemper Iudei

Oleaſter. Judæi externi ſui cultus tenaciſſimi. fuere, ut hoc quoque tempore, quemadmodum Oleaſter, & alij referunt, in Synagogis ſuis hanc cæremoniam obſervent. Habent enim inter cæteras veſtes unam quadratam, quæ dorſum ac pectus tegat, à lateribus appertam,

ut

ut ciliciola quædam eſſe ſolent, vel thoraci ſimilem, ſi manicas detrahas. Eximis eius quatuor angulis pendent totidem chordulę in quarum ſingulis nodi quinque ad memoriam totidem Moyſi librorum. Cui veſti neſcio quam vim tribuant adverſus concupiſcentiam pravam. Hac precipuè uti Sacerdotes eorum, cum legunt in Synagogis, tradit Abulenſis *queſt.* 51. ſed qui inter eos religioſiores ſunt, (ſuperſtitiores potius dixeris) hac veſte fimbriata ſemper utuntur ſub alijs veſtibus. Addit D. Hieronym. in cap. 23. Math. 5. ſolitos etiam Iudæos fuiſſe, acutiſsimis ſpinis hanc veſtem interſerere, quibus & cùm ambularent, & cùm ſederent, compungerentur, eoque dolore divinam legem in mentem revocarent.

Abulenſ.

D. Hieron.

Nota diſtinctionis præſcripta Judæis á Chriſtianis Magiſtratibus Concilijs, & Summis Pontificibus.

13 Iam verò iuſtâ eadem ratione cogente, ſanctiſsima ſunt Chriſtiani Magiſtratus decreta, ut ipſo habitu, ſeu colore diſtinguantur Iudæi, qui vivere permittuntur inter fideles, ab his, alijſque omnibus diverſæ profeſſionis hominibus. Exſtat ea de re decretum Lateranenſis Concilij ſub Innocentio. 3. *cap.* 68. & refertur *extra de Iudæ.* &. *Sarracem.* c. *in non nullis.* Nam quos Iulius 3. *Bul.* 4. ullâ inſigniri nota vetuerat, ornans & alijs beneficijs, ut allecti Eccleſiæ manſuetudine, converterentur; poſtea Paulus 4. *Bulla* 3. glaucum geſtare præcepit, quod & Paulus item 4. *Bulla* 48. ſancivit. Et merito quidem; nam ignoti Iudęi anſam habent liberius exercendi illud ſuum, cane peius & angue, ac internecinum odium, quo Chriſtiani nominis ſectatores ſunt perpetuo proſecuti. De quo funeſtiſsimos caſus leges apud Sapientiſsimum Lorinum in Commentario *Actu. Apoſtol. cap.* 7. 52. Ut jure optimo D. Hieronymus *epiſt.* 25. dixerit: *ſi expedit odiſſe homines & gentem aliquam deteſtari, miro odio averſor circumciſos, uſque hodie enim perſequuntur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Synagogis Sathanæ.* De ijſdem teſtis eſt ipſe *lib.* 2. in cap. 5. *Iſai.* Solitos ter quotidie in omnibus Sinagogis ſub nomine Nazarenorum anathematizare vocabulum Chriſtianum, & in id maledicta congerere. Unde rectè Tertulianus in *Scorpiac. contra Gnoſticos, Synagogas Iudæorum fontes appellat perſecutionum noſtrarum.* Denique quid videri volunt, quæ vivere detrectant? Aut cur Chriſtianos ſe ſimulant, ſi Moſaicè vivunt? Heu!

Lorin.

Judæi infenſiſſimi nomini Chriſtiano.

D. Hieron. Tertul.

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, ò pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Virgil.

14 Pergamus. *Quas cum viderint, recordentur mandatorum Domini.* Hùc potiſsimum ſpectabat præceptum de fimbrijs, & vitta coccineâ, ut nimirum præceptorum Domini nulla Judæos caperet oblivio. Quin imo hùc illùc etiam caſu reſpicientibus oculis, mandatorum cęleſtium memoria naſceretur. Communis hominum conſuetudo ſemper in valuit, ut quando volunt alicuius rei faciendæ non obliviſci, vel filum digito ſtrictius alligent, vel fronti appendant aliquid, ut eo ſigno quod faciendum eſt illis aſsiduo memoria refricetur. Igitur quaſi cum oblivioſis, ſeu infantulis Deus egit, cum hyacinthinam vittam ad talos ponere juſsit, ut attentiore cura memoriam mandatorum excolerent. Similis huic eſt ille locus Exodi 13. 9. *Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos: & ut lex Domini ſemper ſit in ore tuo.* Et ille Deutoronomij. 11. 18. *Ponite hæc verba in cordibus, & animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris. Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ.* Quæ ultima loca proverbialiter fuiſſe dicta; nec ut ſonant accipienda, ex eo cenſet Martinus del Rio *Adag.* 76. quia præter Phariſęos id cæteri Iudæi non faciebant: & a Domino reprehenſum fuit, ut Phariſæorum peculiaris interpretatio & conſuetudo. Lyranus quoque noſter, Cornelius, & alij notant, Iudæos ſuperſtitioſius intelligentes mandata Dei, re ipſa chartis, ſeu membranis, ſchedulisve inſcriptum Decalogum ſuſpendiſſe, ligaſſe, affixiſſe. Et certe D. Aguſtinus agens de ultimo membro capitis undecimi citati, docet, hyperbolicam commendationem eſſe; cum nemo Iſraelitarum id feciſſe legatur, nec quiſquam poſſet, niſi forte dividens ea per multas partes domus ſuę.

Filum digito alligare memoriæ cauſa.

Exodi 13. 9.

Deutor. 11. 18. 19.

Del Rio.

Legem portare ante oculos, & in manu, quomodo inteligendum.

Liran.

D. Aguſt.

Cavetan.

Marius.

Ve-

Phylacteria cur à Chriſto reprehenſa. Abulenſ.

15 Verum Cayetanus, & Leonardus Marius non narbitrantur improbabile, ad literam quoque hæc Deum obſervari voluiſſe. Neque Dominus in illo Mathæi loco videtur ſimpliciter reprehendiſſe phylacteria, & fimbrias; ſed quod ea dilatarent, & magnificarent, captantes inde opinionem majoris ſanctitatis. Abulenſis *cap.* cit. *Num. queſt.* 53. ut rem manifeſtam ſupponit, Iudæos non eſſe obligatos ad portandum præcepta ſcripta in manu, vel ante oculos; neque ad ſcribendum in limine, & oſtijs domus: re autem ipſa ne dum Phariſeos ea portaſſe ligata in brachijs, & pendentia in fronte, verùm & multos de populo, licet non omnes. Neque ſanè video, cur damnandi forent Iudæi, ſi qui pietatis, religionis, aut iuvandæ memoriæ cauſâ re quapiam exrernâ uterentur; quin potius id laude dignum cenſerem, quoties id ſinceræ devotionis affectus conſuleret. Ideo laude digna Sancta Cæcilia geſtans Evangelium Chriſti, Conſtantinus quoque Clavum crucis portans; Barnabas item attactu Evangelij morbos mirabiliter expellens. Quid plura? Laudabiliter faciunt quotquot divinas Scripturas, Sanctorum reliquias, precarios globulos, aliaſque ſacras res gerunt, Lege D. Thomam 2. 2. q. *96.* art. 4. & Sixtum Senenſ. *Bibliotec. annt.* 102.

Divinæ legis memoriam ex terno ſigno juvare licitum.

D. Thom.

Homines carnales ſenſum divinæ legis non aſſequuntur.

16 At minimè ſunt probandi, neque adeo excuſandi niſi ob ruditatem ingenij, qui quod Moyſes præceperat de continua legis memoriâ, & obſervatione, id craſſe accipientes, in ridiculum ſenſum detorquebant. Sanè homines carnales ſpiritum divinæ legis haud aſſequuntur. Hinc illa ſeperſtitio, & hypocrisis familiaris Phariſæis, qui ut religioſores ſe populo oſtenderent, Phylacteria dilatabant: quos carpit Dominus in Evangelio.

Phylateria quid.

Erant autem *Phylacteria*, ut Origenes, Chriſoſtomus, Hieronymus, Euthymius, & alij ſcribunt, membranulę quædam, in quibus legis præcepta-ſcripta erant. Eas Scribæ, & Phariſæi circum caput, & circum brachia geſtabant, ut perpetuò Dei legem ante oculos haberent. Dicta autem Phylacteria à *philaxe*, quod eſt ſervare, & *thorax* quod eſt lex, quaſi obſervantia legis. Has dilatabant Phariſęi, ſicut fimbrias ad pompam; atque adeo ut rudioris vulgi maiorem gratiam captarent, qui externo cultu hominum mores remetiens, quos ad ſpeciêm religioſores videt, eos quaſi ſanctiores venerari conſuevit. Non abs re erit commemorari ſtultiſsimos illos Monachos, quos reffert, Caſsianus *Collat.* 8. cap. 3. qui cum illud Domini pręceptum legiſſent: *qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, ut eſt apud *Matth.* 10. 30. ſimpliciter id intelligendo, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque jugiter humeris circumferendo, non ædificationem, ſed riſum cunctis videntibus intulerunt. Non itaque nuda litera inſpicienda, quæ occidit, ſed ſpiritus requirendus, qui vivificat.

Matth. 10. 30.

Cruciferi quidam ridiculi.

Finis hujus præcepti.

Hebr. lect.

17 Igitur jubet Hebræis Dominus geſtare in pallijs vittas hyacinthinas, ut ijs admoniti, non *ſequantur cogitationes ſuas.* Hebraicè in ſecunda perſona: *Et non per ſcrutabimini, in dagabitis, inquiretis, inveſtigabitis, poſt cor veſtrum.* Chaldaice: *& non erretis, aut ſeducamini poſt conceptum, cogitationem, imaginationem, curioſitatem cordis veſtri.* Novit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt; & quod tota cogitatio cordis eorum intenta ſit ad malum. Vult pro inde eas frenare, ne irreparabili ruinæ tandem ſe exponant mortales. Iuſtinus in dialogo cum Triphone Iudæo exprobrans Iudæis oblivionem legis, cum tamem iuvandæ memorię cauſa, ne Dei obliviſcerent, ſigna certa accipiſſent, ait iter alia: *Etenim coccineum panniculum vobis ipſis circumponere præceptum vobis eſt, quo per eum vos Dei non caperet oblivio: & phylaterium literis quibuſdam, quas ſanctas omninò eſſe intelligimus, in tenuiſsimis membranis deſcriptis circumducere vos iuſsit. Et cum per iſtam religionem quandam vobis incuſſerit, ut continuè memoriam Dei, & ſimul reprehenſionem obtineretis, ne exiguam tamem Dei colendi recordationem retinuiſtis; atque nec hoc etiam pacto perſuaſum habuiſtis, ut ſimulachra non coleretis.* Solent homines varijs cogitationis fluctibus agitari, ſæviſque animi perturbationibus quati; impij præcipuè qui mente, corde, cogitatione, tumultuario diſcurſu, & ratiotinatione verſatili fingunt, imaginantur, excogitant, qua demum ratio-

Chald.

Cogitationes frenandæ.

Juſtin.

Judæi oblivioſi mandatorum Dei.

Hominis mens valde inquieta.

Iſai. 57. 20.

tio-

tione, quibus vē artibus ſuis ſe cupiditatibus ingurgitent, ſuas voluptates expleant, ut vere dixerit Iſaias 57. 20. *Impij quaſi mare fervens.* Hinc illa pulcra comparatio Eccli. 34. 6. *Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur.* Semper mulier in conſtans; ideo Catullus:

Eccli. 34. 6. Mulier multivola, præguans præcipue.

Præcipuè multivola eſt mulier.

Sed tempore graviditatis nihil volubilius illâ. Patitur delira ſomnia, capitis graves vertigines, ventris acerba tormina; eſcas inſalubres avidiſsimè expetit; varijs doloribus cruciatur: factaque ſemet ipſi gravis, varijs cogitationibus torquetur. Igitur omni cuſtodiâ præmuniri cor debet; ne dum ſuis affectibus noxia liberalitate indulgemus, animæ, & corpori perniciem afferamus.

18 *Et oculos per res varias fornicantes* In arduo conſiſtimus. Repetè præcedens verbum: *nec ſequantur.* Vitandas concupiſcentias docet Deus cùm cordis internas, dequibus in priore membro, tum externas, in iſto. Sed ſtatim occurrit difficultas: Qua nimirum proprietate ſermonis oculi fornicari dicantur? Fornicationis quippe nomine actus venereus ſignificatur, quo quis alienæ coniungitur. Quid ergo? Num venus luminibus exercetur? Cur ergo tribuitur oculis fornicatio? Ecce commutationem inſignem, cujus expoſitioni nos in preſenti ſudamus. Cuivis peccato mortali poſſe convenire nomen Fornicationis conſtat *ex Pſalm.* 72. V. 27. ubi ad Deum converſus David inquit: *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te*: quod exponit D. Auguſtinus *lib.* 3. *Confeſ.* cap. 6. *Fornicatur anima cum avertitur abs te, & quærit extra te ea, quæ pura, & liquida non invenit, niſi cum redit ad te.* Et ratio ſuccurrit: quoniam quolibet peccato lethali fidelitas Deo debita frangitur, & diſſociatur anima veluti à fœdere maritali, quod cum Deo Sponſo fideliſsimo quodam modo iniit. Hac ratione permotus idem Doctor egregius, niſus eſt illam Domini cenſuram, qua apud Mattheum 5. 32. vetat *dimiti uxorem, niſi ob fornicationis cauſam*, interpretari: quaſi fas ſit, uxores dimittere ob omnia peccata, quæ in ſcripturis fornicatio vocari conſuevêre. Videris illum de *Serm. D. in Mont.* lib. 1. cap. 26. quod quidem poſtea retractaſſe videtur, *lib.* 1. *Rectrac. cap.* 19. certè latebroſiſsima quæſtio iſt hæc ipſi viſa eſt, quapropter indeciſam reliquit, modeſtia ſanè incredibi hęc humillima dans verba: *Nec volo in re tanta, tamque ad dignoſcendum difficili, putare, lectorem iſtam ſibi noſtram diſputationem debere ſufficere; ſed legat & alia, ſivè noſtra, quę poſtea ſcripta ſunt, ſivè aliorum melius conſiderata, atque tractata: vel ipſe ſi poteſt, ea quæ hic merito movere poſſunt, vigildntiore atque intelligiore mente diſcutiat.* Sed veritas emerſit iam dudum ex latebris; nec dubitare amplius conceditur, divortij perpetui cauſam eſſe fornicationem, quæ in ſtupris eſt, ſivè adulterijs, ut, ſi vir vellit, dimiſſam reſumere nunquam teneatur uxorem. Lege Concil. Trid. Seſſ. 24. can. 24.

Oculi cur fornicantes dicti.

I. Expoſitio. Fornicatio pro quovis peccato mortali.

Pſalm. 72. 27. D. Auguſt.

Quid ſit forni. cari abſque Deo.

Matth. 5. 32. Quæ fornicatio ſit cauſa divortij.

D. Auguſtini modeſtia ſingularis.

Concil. Trident.

19 Preſsius *Fornicationis* nomine ſignatur idololatria; de quâ Cayetanus, Oleaſter, & alij haud ignobiles expoſitores, pręſentem locum declarant. Crebris in ſacris voluminibus acceptio, præcipue apud Prophetalia, ut obſervavit D. Hieronymus *in cap.* 5. *Epiſt.* ad *Hebr.* Obſerva ſequentia. *Populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos.* Deuter. 31. 16. *Nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dęmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* Levit. 17. 7. *Cum fornicati fuerint cum dijs ſuis, & adoraverint ſimulachra eorum.* Exod. 34. 15. *Fornicari faciant, & filios tuos in deos ſuos.* Ibid. 16. *Fornicantes cum dijs alienis & adorantes eos.* Jud. 2. 17. *Averſi ſunt filij Iſraèl & fornicati ſunt cum Baalin.* Ibid. 8. 33. *Reliquerunt autem Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt deos populorum terræ.* 1. Paral. 5. 25. *Contrivi cor eorum fornicans, & oculos ſuos fornicantes poſt idola ſua.* Ezech. 6. 9. *Fornicata eſt in nomine meo. Et feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta, & fornicata eſt ſuper eis.* Ibid. 16. 15. 16. & cap. 20. 30. cap. 23. 3. 19. 29. 30. Pręclarè Salom. Sa-

2. Expoſitio. Fornicatio pro Idolatria.

D. Hieron. Deut. 31. 16.

Levit. 17. 7.

Exod. 34. 16.

Jud. 2. 17. 8. 33.

1. Paral. 5. 25.

Ezech. 6. 9. 16. 15. 16.

Sapient. 14. 12.

pientiæ cap. 14. 12. *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum.* Et ſæpe alias. Notant hebraizantes verbum *Zum*, vel *Zana* ſignificare *proſtrare* laſciviendi gratia, proſtituere ſe mercedis cauſa; *mereri corpore*, unde meretrices; *fornicari*, *meretricari*, *ſcortari*, *laſcivire*. Accipe exempla ex Vocabulario Complutenſi. In dictione *Zana*. *Fornicata eſt Thamar nurus tua.* Geneſ. 38. 24. *Ne proſtituas filiam tuam.* Levit. 19. 29. i. e. *Non exponas eam fornicationi. Ut fornicaretur cum Moloch.* Ibid. 20. 5. *Et fornicata fuerit cum eis. Ibid.* 6. Prudens & ſciens plura omitto teſtimonia: hæc quippe ſatis nos inſtruunt, eâdem dictione in Lingua Sancta utramque fornicationem ſignificari, corpoream, nempe, & ſpiritalem.

Vocab. Comp. Genes. 38. 24. Levit 19. 29. & 20. 5. 6.

Inter fornicationem, & idolatriam analogia. Pined.

20 Nec mirum, *fornicationis* nomen transferri ad Idololatriam, quando quidem maxima inter utramque convenientia ſit & analogia: de qua omnino videndus Pineda *de Reb. Salom. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 5. & ſeq. Idololatria quippe in eo ſimilis apparet fornicationi, vel adulterio, quod Dominum ac Deum deſerit, veluti legitimum Sponſum animarum deſiuens. Unde Heſychius: *Benè ſervire idolis, fornicationem appellat; apertè nos docens, quia noſtras animas Deus ſibi ad ſalutem deſpondit: & ideo fornicatio dicitur ab illo diſceſsio.* Inſuper meretrix ſæpe eadem eſt, quæ caupona, & ars meretritia cauponariæ ſimilis: fana verò idolorum ſubterraneæ plerumque quaſi popinæ erant; in quibus nidor, vinoſitas, ſpurcitia, & laſcivia. Apud gentes prophanas in publicis diverſorijs proſtituebant ſe meretrices viatoribus, & alijs pro vili mercede. Unde illa apud Oſeam Prophetam 2. 5. *Vadam*, inquit, *ad amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Porrò *fornicatio* dicitur à fornice, i. e. arcu, ſeu opere concamerato, & quia ſub horum arcuum obſcuritate luxurijs meretrices vacabant, ideo *fornicariæ* dictæ. Unde Martialis *lib.* 1. *Epig.* 39. in Leſbiam:

Heſychius. Deus animarum ſponſus. Fana Idolorum quaſi popinæ.

Oſe. 2. 5.

Fornicatio á fornice. Mart.

At meretrix abigit teſtem, veloque, ſeraque,
Raraque, ſi memini, fornice rima patet.
A Chrirone ſaltem, vel ab Helide diſce pudorem,
Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

Hinc Venus *Scotia* dicta, cuius templum apud Ægyptios fuit, ut eſcribit Heſychius, à tenebris, videlicet. Venus enim tenebris, & abdito gaudet. Quæ verò ſpurciſsima, indignaque ne dum factu, verùm auditu idolorum cultores in ſubterraneis, ſylvoſis, opaciſque delubris admiſerint, narrat Gregorius Giraldus integro volumine *de Hiſtoria Deorum.*

Venus cur *Scotia* dicta.

Greg. Girald.

21 Præterea Idolatria conſtabat quibuſdam quaſi nuptialibus ceremonijs, ut feminæ cum dijs nubere, & rem habere viderentur, vir etiam cum deabus. Arnobius *in quarto. Et etiam nè*, inquit, *Mutunus* (Priapum intellige) *cuius immanibus pudendis horrentique faſcino veſtras inquietare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis.* Lactantius Firmianus in primo: *Mutunus, in cujus ſinu pudendo nubentes præſident, ut illarum pudicitiam prior deus delibaſſe videatur.* D. Auguſtinus *de Civit. Dei lib.* 6. cap. 9 ridens priſcam Romanorum religionem, *Sed quid hoc dicant*, inquit, *cum ibi ſit Priapus nimis maſculus, ſuper cuius immaniſsimum, & turpiſsimum faſcinum ſedere nova nupta iubebatur more honeſtiſsimo, & religioſiſsimo matronarum?* Ecce quam non ſint idololatria, & fornicatio diſsimiles, ut non mireris, utramque eodem notari vocabulo, cum præſertim teſte Athanaſio *orat.* contra Idolol, *Idololatria inſtituta ſit deſiderio eorum, qui ſtrupis, & propudijs pleni figmentis repreſentantur.* Et cur putas Dæmones cognominari *Spiritus immundos*, ut habet Matth. 10. 1. *& alibi* ſæpe, niſi quia rebus immundis ac ſordidis delectantur, ad eaſque homines mortiferis illecebris ſolicitant? Immundi ergo ſunt, qui porcis inhabitare, ſuoſque cultores volutare in volutabro luti, gratulantur.

Idolatriæ turpiſſimæ ceremoniæ nuptiales. Arnob. Lactant.

D. Auguſt.

Idolatria fomes luxuriæ.

Athas.

Dæmones cur *ſpiritus immundi* appellati.

22 Poſtremò, quot quot ſcriptis exagitant perfidiam Gentilitiam, vel hæreticam, demonſtrant ſummum conſenſum cum libidine, atque adeo vel ex iſto peccato prolapſionem in illas; vel eaſdem ab iſto confoveri, &

au-

augeri. Triſte exemplum præbuit Salomon 3. *Reg* 11. 2: & antè ipſum Hebræi, qui fornicati cum Medianitibus, in idololatriæ fornicationem ſunt prolapſi. *Num.* 25. 2. Ob hoc periculum quoque interdictum eſt illis pactum cum hominibus regionis Chanaam; ne fornicantes cum dijs ſuis, adoranteſque ſimulachra eorum, vocarentur ad comedendum de immolatis: connubia item cum eorùndem filiabus, *ne poſtquam ipſe fuerint fornicatæ, fornicari*, inquit, *faciant & filios tuos in deos ſuos.* Exod. 34. 16. Iam quod & Hæreſis fomes, & nutrix luxuriæ ſit, apertè nos docet Apoſtolorum Princeps *epiſt.* 2. *cap.* 2. 14. ubi inter alias Hæreticorum notas impotentis laſciviæ ſtudium ponit, dum ab eo deſcribuntur *Percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ delicijs afluentes, in convivijs ſuis luxuriantes. Oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.* Hinc pertinax illa in ſuis herroribus horum hominum durities; nihil enim fermè converſioni gravius obſiſtere impedimentum, quam abſtinentia, continentiaque, teſtatiſsimum eſt. Quò eſpectat falſum, ſed non falſum Arceſilai de ſectatoribus Epicuri reſponſum; cur non immigrarent in aliam ſectam, ſicut facile contingebat, ex una in aliam ſectarios alios tranſire; quia, nimirum, *ex viris galli fierent ex gallis viri nequaquam.* Hac turpi politica uſus impius ille Iaſon Pontificatus Iudaici invaſor, qui quo Contribules ſuos ad Gentilem ritum facilius transferret, gymnaſium conſtituit, & optimos ephebo rum quoſque in lupanaribus poſuit. Lege 2. *Machab.* 4. 9. 10. 11. 12.

Fornicatio Idolatriæ occaſio.

Exod. 34. 16.

Hæreſis luxuriæ nutrix.

2. Petr. 2. 13. 14.

Gentilium, & hæreticorum converſio, ob continentiam, difficilis.

23 E contrario Fides vera cultores ſuos virginitatis gloria ſplendeſcere facit. Id circo plebs Iſraelitica virginis titulo decorata, quandiu perſtitit in pietate. *Iſai.* 37. 22. *Deſpexit te, & ſubſannavit te, Virgo filia Sion.* Ierem. 31. 4. *Rurſumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael. & ibidem* 27. *Revertere virgo Iſrael, revertere ad civitates tuas.* Et Paulus. 2. Cor. 11. 2. *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exibere Chriſto.* Quę verba D. Auguſtinus pertractans in Pſalm. 147. ait, *Eccleſia dicitur virgo. Deſponſavi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Paucorum eſt virginitas in carne, omnium debet eſſe in corde: Virginitas carnis corpus intactum: Virginitas cordis fides incorrupta. Ergo dicitur Virgo tota Eccleſia, & maſculino genere appellatur, populus Dei: uterque ſexus populus Dei, & unus populus & unicus populus: & una Eccleſia, & una columba; atque in hac virginitate millia ſanctorum.* Et de verb. Domin. Sermon. 23. eandem incudem tundens, inquit. *Tota Eccleſia, quę conſtat ex virginibus, & pueris, & maritatis feminis, & uxoratis viris, uno nomine virgo eſt appellata. Unde hoc probamus? Apoſtolum audi dicentem, non ſolis Sanctimonialibus, ſed univerſæ prorſus Eccleſiæ: Deſponſavi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Virgines ergo fides conſtituit. Virgo Eccleſia: Virgo fidelis anima, quę idolatriæ hæreſiſve pravitate non conſtupratur.

Fides vera virgines facit.

Iſai 37. 22.

Jerem. 31. 4. 27.

2. Cor. 11. 2.

D. Auguſt. Eccleſia. Virgo.

Virginitas cordis fides incorrupta.

24 Iam verò literatiſsime de vitio carnis principem præſentis commutationis Textum exponit D. Gregorius Thaumaturgus *Epiſt. can. apud* Balſ. ſub initium. Ob idque vittas Hyacinthinas imperatas Judęis, quatenus illorum aſpectu cęleſtem vitam meditantes, terrenas atque carnales voluptates deſpuerent. Cui quidem Expoſitioni inficias it nemo; textui quippe valde cohæret, nec excludit alias. Sanè Hebręi de carnis concupiſcentia hodieque intelligunt: dùm in Synagis ſuis *arbahh camphot*, id eſt, quadrangulam veſtem ſuper induunt. In cujus pendent zizioth, id eſt, fila retorta, quæ ipſi vulgo *zotten* nuncupant. Ob idque in precibus ſuis adhibent, quoniam peculiarem contra pravam concupiſcentiam (ride hominum inſaniam) vim eam habere putant. Huic ſanè Expoſitiani favent omnes illæ ſententiæ, in queis fornicatio, quæ vitium eſt carnis, oculis tributa legitur. 2. Petr. 2. 14. *Oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti.* Legit Cyprianus: *Plenos mœchationibus.* Lorinus: *Plenos adultere.* Job 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Tren. 3. 51. *Oculos meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.*

3. Expoſitio. Fornicatio pro vitio carnis. Greg. Thaum.

Judæorum de ſua veſte opinio ridicula.

2. Petr. 2. 14. Cyprian. Job 31. 1. Thren. 3. 51.

Hęc

Ezech. 17. 16. Hęc eſt illa oculorùm inſaniens concupiſcentia, de qua Ezech. 17. 16. *Inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* Quamvis hic textus ad ſpiritalem cum idolis fornicationem transfertur ipſo eodem capite; verum translatio fit à re propria. Nulla harum Expoſitionum non textui apprimè quadrat : Sivè fornicationem intelligas quodvis lethale peccatum, quo anima à Deo, vero ſponſo, recedit : ſivè Idolatrię, aut Hæreſis turpitudinem, quâ fædiſsimè conſpurcatur : ſivè carnis illecebras, quibus cùm ipſius, tùm corporis etiam corrumpitur integritas. Verum harum nulla propoſito noſtro convenire apparet. In eo quippè toti ſumus, ut explicemus, qua proprietate ſermonis oculis tribuatur fornicatio, quæ ab ipſis tam longe abeſſe videtur. Hæc noſtri negotij ſumma. Proinde.

Difficultatis punctum.

4. Expoſitio Metalepſis : ſignum pro ſignato.

25 Quarta Expoſitio Oculis tribuit fornicationem ; quòd ipſi clariſsima ſigna ſint animi luxurioſi. Locutio eſt *Metaleptica* ; nam quia cordis affectus, mentiſque abditos ſenſus egregie detegunt oculi, ideo dicuntur efficere idipſum, quod apertè demonſtrant. Equidem, ſigno tribui actionem, aut rem, cuius eſt ſignum, latè obſtendimus *Tom.* 1. *Commut.* 3. *Expoſit. liter. num.* 16. Oculos porro eſſe mentis inditium, & ſpeculum, animi veſtibulum, cordis veſtigium, vehiculum animę, cogitationum nuncium, præcordium lucem, ſenſuumque interiorum pręconem, non uno loco eiuſdem tomi tradidimus, precipue *Commut.* 4. *Expoſit. liter. à num.* 11. Ubi illud, quaſi Martialis adduximus, quamquam apud Matialem quæſitum poſtea, minime potuerimus invenire.

Oculi mentis ſpeculum.

Et ſpeculum mentis facies, oculique revelant,
Quales ſint intus mens, animuſque viri.

Oculus impudicus impudici cordis nuncius. D. Aguſt. Proverb. 6. 17.

26 Sed illa valde generalia ſunt ad omnes cordis affectus : quę ſequuntur, proprius ad libidinoſos pertinent. Scitum eſt illud Aguſtini *Epiſt.* 109. *Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.* Quod & innuere volens Salomon in *Proverb. cap.* 6. 27. inquit. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* Ad amorem pravum ſolet reſtringi ſententia, quem per ignem Sacra Scriptura ſignificare conſuevit. Iob. 31. 12. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Unde D. Maximus ſermo. 39. de feminis refert Pytagorę dictum : *In ignem, & in mulierem incidere, æquale periculum eſſe.* Quo ſpectat illud Comici : *Accede ad ignem hunc, & caleſces plus ſatis.* Frequens etiam apud Poetas metaphora. Virg. de Didone amante Æneam. lib. 4 *Æneid.*

Amor ignis.

S. Maximus.

Virgil.

Amat ardens Dido, & cęco carpitur igne.

Horat. *lib.* 1. *carm.* od. 27.

Horat.

Non te quęcumque domat Venus
Non erubeſcendis adurit ignibus

Lucret.

Lucreretius *lib.* 1.

Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens.

Ovidius 3. *Faſ.*

Ovid. Tibull.

Arſerat Æneæ Dido miſerabilis igne.

Tibullus *lib.* 2. *Elog.* 4.

Uxor, io, remove ſæva puella focos:

Igitur quàm non poteſt ignis in ſinu celari, quin tandem erumpat in flammas, tàm nequit amor laſcivus in corde tegi, quin vultu ſe prodat. *Nec ignem veſte occultari poſſe*, dictum eſt Socrates, *nec turpe flagitium longo tempore.* Naſo de amore in *Epiſt. Paridis.*

Socrat. Ovidius.

Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Seneca in Hippolito.

Seneca.

Torretur æſtu tacito, & incluſus quoque,
Quamvis tegatur, proditur vultu furor,
Erumpit oculis ignis.

Sic & Antiphanes apud Atheneum *lib.* 2.

Atheneus.

Celare Phædia

Ex-

Exceptis duobus omnia poſsit quiſpiam,
Nimirum vinum ſi quis adhibit, & amore ſi correptus ſit,
Oculi quidem ambo illa prorſus indicant,
Illis potiſsimum ſignis innoteſcant plurimum.

Oculorum elatio impudicitiæ ſignum. Eccleſ. 26. 12. Syrus. Tigur. Iſai. 3. 16. S. Baſil.

27 Jam vero oculorum elationem ſignum clariſsimum impudici cordis eſſe, teſtatur Eccleſiaſticus 26. 12. Ubi inquit *fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcitur.* Conſonat Syrus: *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum eius, & ex ſupercilijs eius dignoſcitur.* Et Tigur. *Impudicitia mulieris elucet in elatis ipſius oculis, & è palpebris ſuis dignoſcitur.* Cur è palpebris; niſi quia ijs nutantibus, & nictantibus, viris, quos depereunt, anuunt, & quaſi lynces ad ſe alliciunt? Iſai. 3. 16. *Elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant.* Ubi Baſilius Magnus. *Quæ in animo conſtituit captare mulos, ac venari laqueo ſuæ elegantis formæ, collo incedit in ſublime porrecta, & in nutibus item oculorum probatio reditur mulieris fornicariæ, & procacis ad opera anhelantis faſcino, ac noxio aſpectu. Ipſo enim intuitu obſcænam demonſtrat animæ impuritatem. Dum enim ſuaviter, & blandis arridet ocellis prolicit ad explendam libidinem: iactu enim oculorum ſagitam plane exitialem emittit, cuiuſmodi tandem obtinet rumor de baſiliſci natura, quam dicunt ſolo aſpectu corrumpere ſuos ſpectatores.* Cordis itaque mulieris fornicariæ impudicitia oculis ſe prodit, palpebris, & vultu: conſuetum ijs quippè, oculos, & ſupercilia atollere, inverecundè circumſpicere, & vagari. Unde & meretricis *vagi* oculi dicuntur à Boetico: *Et hoc vagis oculis, & effrena lingua, petulanti animo, vultu incompoſito. Et ludibundi* à Gellio *lib.* 3. cap. 5. *Nam cum vocem ejus infractam, capillumque arte compoſitum, & oculos ludibundos, atque illecebræ voluptatiſque plenos videret.* Unde illud Pontani monitum.

Inceſſus feminæ impudicæ.

Oculi vagi, ludibundi. Boet. Gell. Pontan.

Laſcivos cohibe focilla ocellos.

Porrò, quomodo ex phyſognomia oculorum valeant cognoſci affectus animi, quæ ve in oculis ſint notæ in verecundiæ, & luxuriæ, docet Ariſtoteles in Phyſognom. cap. 5. *Inverecundi*, ait, *ſigna ſunt, oculus apertus, & ſplendidus, palpebræ ſanguineæ, & craſſæ: humeri ſurſum elevati: figura non rectus, ſed parum pronus: in motibus præceps, ruber corpore: color ſanguineus, facies rotunda, pectus ſurſum contractum.* Et cap. 6. *Luxurioſus eſt, qui eſt albi coloris, & hirſutus: rectis capillis, & craſsis, & nigris: tempora hirſuta: oculus pinguis, & laſcivus.* Credat, qui volet.

Phyſognomia hominis luxurioſi. Ariſtot.

28 Per oppoſitum honeſti pectoris eſt, oculos gerere demiſſos, & verecundos, quique non facilè vagantur. Pudor quippè in oculis cùm ſit, haud reſpicere valent, quos pudor tenet. Quam obrem naturâ pudore tacta, ſanguinem ante faciem pro valamento tendit; & videmus non raro, quemque erubeſcentem manum ante oculos ſibi apponere, aut velare faciem, ut obſervat Macrobius *Saturnal. lib.* 7. *cap.* 11. Quò ſpectat illud Martial. lib. 3. epigr. 87.

Oculi demiſsi ſignum pudoris.

Si pudor eſt, transfer ſubligar in faciem.

Cur pudefacti manum ante faciem opponimus.

Hinc pudentium oculi ferè clauſi, ut etiam advertit Plutarchus *detuend. bon. valetud.* apud Menandrum, de adoleſcentibus, quibus inter pocula leno tetendit inſidias, formoſis aliquot, ac manificis inductis meretricibus: qui, inquit, in ſeſe quiſque demiſsis oculis arrodebant bellaria, non auſi in eas oculos deflectere. Quod etiam convenit pudicis mulieribus, nè viros, directò inſpiciant: id vel lege naturæ docente, ut innuit Hecuba apud Euripidem *Act.* 5. *verſ.* 22.

Aliunde etiam cauſa, & lex eſt,
Nè feminæ adverſæ ſpectent viros.

Euripid.

Idcirco eas manere domi pudicitia admonet & pudor, nè inconſpectum virorum impudicè prodeant, ut idem etiam Euripides in Iphigenia, & in *Aulide act.* 4. *verſ.* 195. ſcribit. Loquente enim Clytemneſtra ad Achillem de producenda cum pudore filia Iphigenia, ſic reſpondet Achilles:

Mulier domiſit.

Achi. *Maneat domi, pudicam enim decet pudor.*

Clit. *Verumtamem eam quatenus fieri poteſt, pudère oportet.*

Eccli 26.13. Hinc rurſus Eccleſiaſticus laudato loco *verſ.* 13. admonet patrem-familias : *In filia non avertente ſe, firma cuſtodiam, ne inventa occaſione utatur ſe.* Id eſt, *abutatur*, ut Complut. Simplex pro compoſito per catachreſim. Quaſi dicat. : Si tibi contingat filia, non ſe præcavens ab intuitu, & familiaritate Juvenum, quin in omnes liberè obtutum defigat, omnia petulanter circunſpiciat, nihil non in verecundè luſtret ; obſerva, & cuſtodi eam, ne data occaſione abutatur, ſeque ſuæ, & aliorum libidini permittat. Tigur. *Filiæ inverecundæ cuſtodiam adhibe, ne nacta licentia ſe permittat ſuæ libidini.* Syrus : *Super inverecundà multiplica cuſtodes, quia non eſt illi quies, niſi furtivè egerit.* Vides, ut filia *ſe non avertens*, eadem ſit ac *inverecunda*? Profectò inverecunda dicitur, quæ oculos à curioſitate compeſcere negligit ; nam quæ ſuo pudori invigilat, modeſtia oculorum ſplendet : hæc quippè illibatæ caſtitatis eſt ſignum. Unde Martialis *lib.* 4. *epigram.* 6.

Filiæ diligenter cuſtodiendæ.

Tigur.
Syrus.

Martial.

Credi virgine caſtior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri.

Frons tenera quę? Indurare faciem quid.

Id eſt, *frontis modeſtæ*, ut Domitius exponit ; nam quemadmodum procaces duræ frontis dicuntur eſſe, ſic modeſti tenerę frontis dicuntur. Etiam apud Hebræos, quibus *obfirmare*, ſeu *indurare* faciem, idem eſt ac Latinis *frontem perfricare.* Nam Prover. 7. 13. ubi vulgata verttit : *procaci vultu blanditur* agens de muliere adultera, hebraicè exſtat *roboravit vultum ſuum.* Ubi Septuag. & Chald. *impudenti facie.* Certè hæc meretricis impudens illecebroſitas locum fecit adagio alteri, quod exſtat Ierem. 3. 3. *frons fœminæ meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Eodem ſenſu Iſaiæ dicitur c. 48. 4. *frons tua ærea*, & Profani,

Prover. 7. 13.

Frons meretricis qualis.

Jerem. 3. 3.
Iſaiæ 48. 4.

Catull.

Ruborem — Ferreo canis exprimamus ore.

Item : *Os nullum, vel potius pugillis.*

Virgo oculis quis.

Sunt Catulli, ſic recordor. Hinc etiam *Virgo oculis illa*, & ille *oculis Virgo* dicitur, qui ab omni lubrica curioſitate ſe ſubtrahit. Preclarè Nazianzenus in præceptis ad Virgines:

Virgo ſit oculis, ſit ore, atque auribus ipſis.

Nazianz.

Idem ad Seleucum *Iambico* 3.

Quodcumque labem viſui accerſit, fuge,
Oculos ut ipſe virgines ſerves tuos.

Rurſum in *Diſtichis.*

Virgo & oculis, & abditis corporis partibus
Virgo eſto, nec marem ullum curatorem tibi aſciſcas.

Igitur demiſſus oculus, & modeſtus index eſt pudici cordis, quemadmodum elatus, & ſupercilioſus inhoneſti pectoris ſignum.

5. Expoſitio Oculus occaſio, & cauſa libidinis. D. Bern. Cauſa pro effectu.

29 Quinta denique Expoſitio, eaque frequentiſsima omnium *oculos* dici *fornicantes* aſſerit, quatenus nedum ſunt ſigna, verum & occaſio, atque adeo cauſa libidinis. Elegantèr D. Bernardus *de gradibus Humil.* hoc totum perſtrinxit, dicens, *oculos eſſe occaſionem peccati, indicium commiſſæ culpæ, cauſa commitendæ.* Etquidem mos eſt Scripturæ, cauſam ponere pro effectu, per Metonymiam, & quod antecedit, pro eo quod ex illo ſequitur. Zachar. 14. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non aſcenderunt ad celebrandam feſtivitatem tabernaculorum.* Peccatum dixit pœnam peccati, qua pro tanto ſcelere afficientur Iudæi, & cæteræ ſimiliter nationes, ut conſtat ex ſuperiobus, & Chaldæus explicat. *Eiuſmodi erit ultio Ægyptiorum, & punitio omnium populorum.* Malachiæ. 2. 16. *Operiet iniquitas veſtimentum eius.* Quod exponit Ribera : *Iniquitatem autem accipit pro pœna, quæ debetur iniquitati, & eam conſequitur.* Oſeæ 4. 12. *Spiritus fornicationis decepit eos.* Id eſt, ut noſter Lyranus explicat, ſpiritus malignus, cuius officium eſt in fornicationem inducere. Frequens etiam apud Profanos hæc formula. Martialis *lib.* 4. *epig.* 3.

Metonomia in Sac. Script. Zachar. 14. 19.

Chaldæ. Malach. 2. 16. Ribera. Oſeæ 4. 12. Lyra.

Martial.

Concretas pigro frigore ridet aquas.

Ovi-

Ovidius lib. 2. Metam. Ovid.

Triſtis, & ignavi pleniſsima frigoris.

Lucanus lib. 6. Lucan.

Poſt ubi riphææ torpentia frigore brumæ.

Ideo, nimirum, frigus pigrum, ignavum, torpens, quòd pigritiam, ignavam, torporem faciat. Eadem itaque phaſi oculi dicuntur luxuriantes, libidinoſi, laſcivi, adulteri, fornicantes, in allatis ſacræ paginæ ſententijs, quod, videlicet, ipſi ſint occaſio, cauſa, origo, fomes, & irritamentum luxuriæ. Innumera ferè cùm ſacrę, tùm profanæ eruditionis teſtimonia, quibus hæc veritas comprobari poteſt, calamo occurrunt. Potiora quæ videbuntur, ſeligam: quamquam in tanta copia haud facile parcus meſſor eſſe quiverim.

Clemens Alexandrinus *lib.6. Strom. cap.* 1. *Viſum* eſſe affirmat *principium amoris.* Rurſum idem lib. 13. *Pedag. cap.* 11. ad medium: *Laſcivi autem aſpectus, & verſatilibus, ac tanquam connibentibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quam oculis mæchari, cum per eos cupiditas ineat prima pugnæ prœludia.* D. Baſilius lib. de Vera Virginit. *Dux previus*, inquit, *ac pronubus oculorum jactus eſt eius, cuius manus miniſtræ ſunt tactus.* Cyprianus *lib.* de Zelo & Invidia: *Offert dæmon oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem.* Sunt etiam oculi animi feneſtræ, per quas mors ſpiritalis, quæ eſt peccatum, more fûris directarij ſe in animam noſtram penetrat. Quo feneſtrarum nomine magno conſenſu Patres Orthodixi ex *Ierem.* 9. 29. utuntur. Gregorius graviſsimè illo eodem loco ad rem noſtram. *Semel ſpecies formę cordi per oculos alligata, vix magni lutaminis manu ſolvitur. Præceps quippè anima, dum ante non prævidet, ne incauta videat quod concupiſcat, cæca poſt incipit deſiderare, quod vidit.* Origenes homilia 3. *in Cant.* ſub finem. *Quomodo aſcendit mors per feneſtras? Si oculi peccatoris videant mulierem, & mœchentur eam in corde ſuo, ſic mors ingreſſa eſt ad animam per feneſtras oculorum.* S. Epiphanius *hæreſ.* 9. contra Samaritas: *Feneſtræ nobis ſunt corporis ſenſus, viſus, auditus, & alij, per quos in nos mors ingreditur, ſi peccamus per ipſos.* Chryſoſtomus agens contra eos, qui ſcenicis actionibus interſunt: *Ibi*, inquit, *non ſolum vides res infauſtas, ſed audis etiam ſpurciloquia, & ex ipſo inceſſu meretricis, habituque molliris, ubi & auditu, & cantu diabolico læduntur aures, & undique percutitur mens tua: viſus, de eo quod vides; auditus, de eo quod audis, & reliqui læduntur ſenſus, dicente Propheta: Mors intravit per fineſtras veſtras.* Mitto plures alias de hac re Patrum ſententias, paſsim apud ſacros Enarratores legendas. Videſis, ſi lubet doctiſsimum Martinum del Rio *Adag.* 472. & Pinedam in Iob. *cap.* 31. 1.

Oculi principium amoris. Clem. Oculi pronubi amoris. D. Baſil. Cyprian. Oculi feneſtræ animi. Jerem. 9. 29. D. Greg. Mag. Origem. S. Epiphani. Corporis ſenſus feneſtræ animæ. D. Chryſoſtomi de Codæmedijs judicium.

30 Conſpirant in eandem ſententiam miro conſenſu Profani. Eanr & negent, ſacrarum literarum intelligentię humaniores ancillarier. Seneca *lib.* 1. de Remed. Fortun. *Oculi*, ait, *ſunt irritamenta vitiorum, duceſque ſcelerum.* Plutarc. *opuſc.* de amore, & 5. *Sympos.* 7. *Viſus amoris capiendi anſa.* Heliodorus in Ethiopicis: *Oculi ſunt prima origo, inſtrumentumque prœcipuum amatoriæ faſcinationis.* Propertius.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Senec. Oculi irritamenta vitiorum. Plutarc. Heliod. Propert. Oculi in amore duces. Camer.

Quamvis diverſum ab hoc ſentiat Camerarius, dum canit Emblem. 13.

Fallitur heu, oculos quicumque in amore canebat,
Eſſe duces., oculi ſunt in amore cruces.

Ovidius quoque in *Epiſtol.* Ovid.

Tunc ego te vidi, tunc cepi ſcire quis eſſes:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perij, nec notis ignibus arſi.

Et in Præceptis amoris, ò inſanum caput! hoc modo conqueritur.

Perque tuos oculos magni mihi numinis inſtar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos.

Virgilius *Eclog.* 8. paſtorem ſuum ſic loquentem introducit. Virgil.

Ut vidi, ut perij, ut me malus abſtulit error.

Pro-

Propert. Propertius itidem *lib.* 13. *Eclog.* 20.

Cynthia prima ſuis me incautum cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Aſsiduè creſcit ſpectando cura puellæ:
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.

Oculi inſidiatores alieni matrimoniorum. Hùc quoque ſpectat & illud epitheton, quo oculi vocantur *ſubſeſſores* aliorum matrimoniorum. Valerius Maximus *lib.* 2. cap. 1. *Summa cum diligentia capillos cintro rutilarunt: nulli tunc ſubſeſſores aliorum matrimoniorum oculi metuebant.* Dicuntur autem ſubſeſſores, ut Bolduccius noſter declarat ad *cap.* 31. *Job.* 9. id eſt, *inſidiatores*, quaſi in inſidijs delitescerent, & ex inſidijs interimentes, atque vulnerantes. Quam ſubſeſſoris ſignificationem obſervavit Servius exponens iſta Virgilij verba 5. *Æneid.*

Bolduc.

Serv. *Subſedit Aceſtes*: Et 2. Æneid. *Subſedit adulter.*

Præcepta de honeſtè videndo. 31 Hinc oculorum cautela, modeſtia, & averſio totiens nobis in ſacris literis predicata. Eccli. 9. 3. *Nè reſpicias mulierem multivolam, nè forte incidas in laqueos illius.* Et rurſum. V. 5. *Virginem nè conſpicias, nè fortè ſcandaliceris indecore illius.* Item 7. *Noli circumſpicere in vicis Civitatis.* Et in eodem 8. *Averte faciem tuam à muliere compta, & nè circumſpicias ſpeciem alienam.* Hinc votum Davidis Pſal. 11. 8. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Hinc Jobi pactum. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de Virgine.* Hinc ille Jeremiæ gemitus Thr. 3. 51. *Oculus meus de prædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Hinc illud Servatoris monitum Matth. 5. 29. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Quæ verba perpendens Clemens laudatus lib. 3. *Pedag. cap.* 11. hæc inquit: *Videtur ſuper omnia averſandus mulierum aſpectus; non ſolum enim ſi tangatur, peccari poteſt. Dum enim laſciviunt oculi, caleſcunt appetitiones. Melius eſt labi pedibus, quam oculis. Dominus itaque quam fieri poteſt compendioſiſsimè medetur huic vitio: Si te tuus oculus* inquiens *ſcandalizat, excinde eum, ex imo evellens cupiditatem.* Facit & illud Ezechielis monitum. 207. *unuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum abjiciat.* Singularis in hac oculorum cuſtodia fuit S. Petrus de Alcantara, qui fratres ex ſolo auditu cognoſcebat; tantum abfuit, ut feminas ex viſu cognoſceret. Et S. Hugo, Gratianopolis Epiſcopus, de quo in ejus vita narratur, quod cum per 52. annos, crebro primariarum feminarum confeſsiones exciperet, ita oculos ab eis avertebat, ut nullam de facie, ſi occurreret, agnoſceret. Nec deſunt Ethnicorum exempla. Proditum quippè, Scipionem Sponſam captivam nobilis Hiſpani videre noluiſſe, quòd formoſiſsimam eam audiſſet: Cyrum Pantheam, Alexandrum magnum Darij uxorem. Tertulianus *Apolog.* c. 6. memorat Democritum excæcaſſe ſemetipſum, quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet. *At Chriſtianus* inquit, *ſalvis oculis feminam videt; animo adverſus libidinem cœcus eſt.* Adde, Origenem ſapientiorem futurum, ſi corpore integro, & non exacto, adverſus libidinem pugnaſſet. E contrario triſtia dederunt exempla oculi incauti Davidis, Salomonis, Samſonis, & Holofernis, ſenuum amatorum Suſannæ, & aliorum. Etenim veriſsima eſt illa Siracidis ſententia cap. 9. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Ergo intueri non debet, quod contuitum tot mortes ſolet afferre.

Melius eſt labi pedibus, quam oculis.

S. Petri de Alcant. ſingularis oculorum modeſtia.

De oculorum cautela Ethnicorum exempla.

Tertul.

Exempla funeſta viſus incauti.

Eccli. 9. 9.

Sed fugitare decet ſimulachra, & pabula amoris
Abſtergere ſibi, atque aliò convertere mentem,
Ulcus enim viveſcit, & inveteraſcit alendo,
Inque dies gliſcit furor, atque ærumna graveſcit.

Lucret. Occinit Lucretius *lib. de Rerum princip.* meliore calamo digna.

Amoris origo, & progreſſus. 32 Verùm quò in re adeò lubrica magis cauti reddamur, amoris progreſſus acuratius contemplemur. Conſtat *Erota* dictum *amorem à viſione*, ut ſcribit Plotinus 3. *Ennead. lib.* 5. c. 3. atque iuſta paræmiam

Ex viſu naſcitur amor. *amorem naſci à viſione.* Heliodus, apud Gregorium Giraldum *Hiſtoria*

Deor-

Deor. Syntagam. 13. *Erota, & Himerum*, quo utroquè nomine amor ſignificatur, qui veneris ſectatores facit: quo loco Scoliaſtes philoſophatur, differentiamque inter eos ponit. *Erota* enim, id eſt, Cupidinem, ex aſpectu amare: *Himerum* verò; id eſt, Deſiderium, poſt aſpectum deſiderare facere, ait. Ut ſi pulcrum, inquit, librum aſpicias, procter cultum, & literas ames, & poſsidere cupias: ecce hic *Eros* eſt. Sed *Himerus*, poſt poſſeſionem adeptam, illius diſcendi naſcitur deſiderium, & quæ in eo ſcripta ſunt, aſſequendi: & cætera quę ille ſcribit; transfert enim Amorem hunc, & cupidinem ad cętera quæque negotia. Philemon hos in Amore gradus conſtituit, atque diſtinguit.

Girald.

Veneris ſectatores.

Primum vident omnes, deinde ſubit admiratio
Deindè contemplantur; & deindè ſpes venit.
Ita fit ex his amor.

Philemon.

Poeta Chriſtianus, neſcio quis, totos laſcivi amoris progreſſus elegantèr his carminibus expreſsit.

Poſt viſum riſus, poſt riſum venit ad tactum,
Poſt tactum factum, poſt factum pœnitet actum.

Sanè quam tanta eſt oculorum cum corde, & ſpiritali apperitione coniuntio, ut fere idem ſit videre, ac cogitare, & amare. *Inde mittere oculos* pro *amare* dicitur. Geneſ. 39. *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Ioſeph*, id eſt amavit. Unde ſequitur: *Et* ait: *Dormi mecum.* Certè apud Latinos *amare oculitus*, & *amare medullitus* Synonima ſunt; & animitùs, penitâ flammâ, & intimis præcordijs amare indicant. Prodigij loco refert Iuvenalis de cæco amante.

Gen. 39.

Mittere oculos pro amore.

Amare oculitus.

Quod nunquam viſę flagravit amore puellę.

Juven.

Et Martialis *lib.* 3. *epig.* 15.

Martial.

Plus credit nemo, quam tota, Codrus in urbe.
Cum ſit tam pauper, quomodo cęcus amat?

Seneca innocentiam ex cæcitate adſtruit de *Remed. fortun.* differens; *Oculos perdidi? Quam multis cupiditatibus via inciſa eſt! Quam multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant! Non intelligis, partem innocentiæ eſſe cæcitatem? Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum. Certè irritamenta ſunt vitiorum, ducesque ſcelerum.* Non immeritò proinde inter ſuas laudes hanc enumerat S. Iob, quod, nimirum, haùd concupivit interius, quod exterius vidit. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum.* Ubi Philipi paraphraſis: *Nec cor meum acquieſcens ſecutum eſt oculos meos, cum concupiſcentię imagines ei offerrem.*

Cæcitatis bona.

Job. 31. 7.

Philip.

33. Sed ſcire aves, unde tanta oculorum vis. Platonis ſententia eſt, in Tim. c. 30. *amoris vulnera radios eſſe quoſdam tenuiſsimos, qui ex intimo cordis ſpirant, ubi vitalis ſanguis dulciſsimus, & calidiſsimus ſedem habet, viaque ſibi per oculos patefacta per amantis oculos elapſi, ad intima cordis penetrant.* Mitto Platonicis, & Ariſtotelicis ventilandam quæſtionem: num Viſio fiat per radium ab oculo exeuntem, necne? Sanè ad vim amoris explicandam accomodatior eſt Platonis ſententia quam Stagiritæ placitum: quamobrem illius phraſim ac loquendi formulam paſsim celebres Auctores uſurpant. D. Cyprianus de Singul. Cleric. *Vel tranſeunter ad horam fœmineus aſpectus occurrens, velut ſagittas alienis oculis iactat.* D. Chryſoſtomus *hom.* 3. de Verb. Domin. *Ut ignis, ubi fœnum aliquod, aut culmen arripuerit, nihil moratur, ſed ſimul lucidam accendit flammam: Itidem & ignis concupiſcentię, qui eſt in nobis, ſimul atque per oculorum intuitum elegantem, ac venuſtam attigerit formam protinus exurit animum.* D. Baſilius de Ver. Virginit. *Virgini aſpectus quoque ratio habenda eſt, ne emiſſum forinſecus oculi iactum ſe patiatur attingere, ne veluti ignito iaculo in corde percuſa, ad voluptatis inflametur imagines* Leucippus. apud Anton. in Meliſſa *tom.* 1. *cap.* 60. *Pulcritudo acutius, aut, ſi malis, velocius vulnerat, quam ſagitta, & per oculos in animum defluit.* Notiſsimum eſt illud Virgilij 3. *Georgic.*

Oculi an radios emittant.

Plat. Ariſtot.

Oculi ſagittarij igniti.

D. Cyprian. D. Chrſoſt.

D. Baſil.

Leucipp.

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina.

Virgil.

Unde illud Muſſi Poetæ de Ero, & Leandro inter ſe invicem amantibus;

Simul in oculorum radijs creſcebat fax amorum.
Et cor fervebat invicti ignis impetu.
Pulcritudo enim celebris immaculatæ feminæ
Acutior hominibus eſt veloce ſagitta,
Oculus vero via eſt : ab oculis ictibus
Vulnus delabitur, & in præcordia viri vadit.

Oculi emiſſicij. Plaut.

Vulnerat igitur amor quodammodo animam hominis, præſertim per oculos, ſeu radios oculorum, quaſi per ſagittas, & tela. Hinc Oculi *emiſſicij*, id eſt exilientes, ab emittendo, dicti à Plauto in *Aulul.*

Circunſpectatrix cum oculis emiſsijs.

Etquid aliud docere voluiſſe Mythologicos, arbitrandum eſt, dum cupidinem, dextrâ ſagittam, ſiniſtra verò pharetram, & quam plurimas ſagittas tenentem pinxere? Ecquidem id ideo, ut ſupra datus Giraldus meditatur, quoniam à principio ex uno oculorum radio amor oritur, qui radius ſagittæ ſimilitudinem habet. Quod autem multas in pharetra ſagittas habere videatur; quoniam amantes oculis emittunt radios. Pulcre id à Propertio deſcribitur lib. 2.

Giral.

Cupido ſagitti fer, & faretratus. Propert.

Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero gnoſsia utroque iacet.
An te ferit quoniam, tuti quam cernimus hoſtem.
Ne quiſquam ex illo vulnere ſanus abit.

Amor ſagitarius.

Unde *Sagittarius* quoque Amor nuncupatus eſt, quòd amore capti ab aſpectu, quaſi vulnere à longè feriantur. Baptiſta pius: *Tu focus erroris tu cauſa ſattigifer ales.* Sicut & *Pharetratus*, quod forma procul inſpecta, amantem quaſi ſagittis quibuſdam fauciet. Ovidius in *Eleg.*

Ovid.

Nullus amor tanti eſt, abeas pharetrate Cupido.

Idem *Metamorph. lib* 10.

Horat.

Nanque pharetratus dùm dat puer oſcula matri.

Et Horatius *od.* 8. *lib.* 2. de cupidine.

Semper ardentes acuens ſagittas — cote cruenta.

Item vulgare illud: *Cæcus, & alatus nudus puer, & pharetratus.*

Elegantius præ cunctis Orentius in Monitorio. Lege, & fruere.

Orentius.

Nemo feret rutilos intactis veſtibus ignes.
Nemo inter lituos non trahet aure ſonum.
Congreſſus preſtat viſum, mox lumina viſu
Concipiunt flammas, parturiuntque neſas.
Dum veluti jacto piſcantis fraudibus hamo,
Primum animus capitur, poſt etiam moritur.
Prima mali labes, heu! femina; te dolus anguis,
Ac hominem perte repulit à Deo.
Erepti tu cauſa boni : tu ianua mortis:
Tu cito decepta, tu cito decipiens.
Ergo age, qui nullo maculari pectora nævo,
Et purus puro niteris eſſe animo,
Ut laqueos ignis validos, & acuta venena,
Cernere laudatam ſic fugies faciem.

Oculis tribuitur id quod eſt intellectus, & voluntatis.

34 Hinc fit, ut oculis tribuatur nedum quod intellectûs eſt, nempe *actio cogitandi*, ſed & quod voluntatis eſt, *deſiderium*, nimirum & *concupiſcentia*, ut advertit Pineda in Iob. 31. 1. ad illa verba: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Et fiet perſpicuum textum preſentis Commutationis recolenti. *Faciant ſibi Fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur mandatorum Dei, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes.* Ubi videntur idem fere eſſe *cogitationes*, & *oculi fornicantes*, id eſt, concupiſcentes, & petulanter deſiderantes, atque in rebus inhoneſtis ſibi ipſis complacentes. Ad ſtipula-

tur

tur formula l quendi Salomonis *Eccle.* 2. 10. *Quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis.* Et Chriſti D. Matth. 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam.* Ioannes etiam 1. *cap.* 2. 16. *Concupiſcentiam oculorum* dixit. Præclarus Danielis locus 13. 32. *Iniqui illi iuſſerunt, ut diſcooperiretur* Suſanna, *ut vel ſic ſatiarentur decore eius.* Facit & quod de Ieruſalem ſub nomine Oolibæ ſcribit Ezechiel 23. 16. *Inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* Cogitatio itaque, deſiderium, ac concupiſcentia recte oculis attribuitur, quòd ob affinitatem, quam cum corde habent, frequentèr totam animam quaſi impellunt, ut, quod eis placet, id illa ruminet, ac concùpiſcat. Ex his locis ſatis conſtat, non de omni prorſus aſpectu ſermonem eſſe, ſed de curioſo nimiùm, & nimiùm attento. Nec enim rectè dixeris, videre mulierem ad concupiſcendum eum, qui caſu in mulieris vultum oculis incurrit: ſed qui impudico in eam animo oculos injecit. Sed periculum eſt in mora: nam qui amat periculum, peribit in illo. Avertendi itaque oculi ſtatim, nè mentis tranquillitas perturvetur. Atque hoc illud eſt, quod obſerbat S. Chryſoſtomus *hom.* 3. de Verb. Iſaiæ: *Non dixit* ait, *ne videas, id enim nonnumquam fit ultro, ſed ne circunſpicias illam, tollens nè ſtudio animadvertamus; ne curiosè intuearis, ne contemplatione immoreris.* Et D. Auguſtinus in regula 3. *cap.* 21. ad finem primi tom. *Oculi veſtri & ſi jaciantur in aliquam feminarum, figantur in nulla. Nec enim quando proceditis, feminas videre prohibimini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt.* Et claudit Capitulum: *Scriptum eſt: Abominatio eſt Domino defigens oculum.* Quamvis hic locus neque in Vulgata inveniatur, neque, unde deſumptus ſit ab Auguſtino, conjectare liceat. Vel ab Ethnico diſce oculorum modeſtiam. Xenarchus Quinquentione te docet. *Feminas autem nec videre licet, nec ſi videas aperte conſpicere.* Ergo, ut munda mens in cogitatione ſervetur, deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam proſenetę peccati, & libidines conciliatores. Conſtat itaque ex tot ſententiarum cummulo, quam recte oculi dicantur Luxuriantes, quàmque meritò infami fornicationis vocabulo de honeſtentur. Tempus iam urget, ut ex opaca Literæ ſylva progrediens calamus, in apertiori Moralitatis campo paulo liberius exſpatietur.

Eccleſ. 2. 10. Matth. 5. 28. Dan. 13 32. Ezech. 23. 16

Curioſus aſpectus dam natus.

Videre ad concupiſcendū. quid. Chryſoſt.

D. Aug.

Xenarc.

Oculi pro xenetæ peccati.

VARIETAS LECTIONUM.

Vulg. UT *faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur mandatorum Dei, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes.*

Cald. *Eruntque vobis fimbriæ ut videatis, recordemini.* &c. *& faciatis ea, & non fornicemini poſt cogitationes cordis veſtri, & poſt viſionem oculorum, poſt quæ vos erratis, ſequentes ea.*

Syrus. *Non ſeducamini poſt corda veſtra,* &c. *per quæ vos erratis. Et non ſtudeatis ſequi corda veſtra, & oculos veſtros, poſt quos vos ſeducimini*

Arab.

Et non explorabitis poſt cor veſtrum.

Caiet.

Et non perveſtigabitis.

Et non explorabitis cor veſtrum.

Mont. Pagn. Malu.

Et non indagabitis.

Ac non attenta obſervatione animum veſtrum.

Ne obſequamini oculis.

Alij.

Et erit vobis in fimbrijs, & non pervertimini.


CON-

CONCORDIA.

Quas *cum viderint, recordentur.* Aliæ lectiones aliter: *Eruntque vobis fimbriæ, ut videatis, & recordemini. Erit vobis in fimbrijs,* &c. i. e. erit autem nimirum vitta vel vittę in fimbria, vel in fimbrijs veſtris. *Ut videntes eam, vel eas recordemini omnium madatorum Domini. Non ſequantur cogitationes ſuas.* Ali in ſecunda perſona: *Non preſcrutabimini, inveſtigabitis, explorabitis, non erretis, non ſeducèmini*: quod idem eſt, ne, ſcilicet, cupiditates veſtras pręſcutando, inveſtigando res vanas, eas ex toto corde veſtro ſequamini. *Et ſic aberretis, & ſeducamini.* Poſt hæc verba *nec ſequantur*, alię lectiones habent, quod ommiſsit Interpres, *& facietis ea omnia*, videlicet mandata, etiam minima. *Et oculos per res varias fornicantes.* Alij: *Et poſt oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini, aberratis, pervertimini*, ea vitanda concupiſcentia tàm interna, quàm externa, tàm cordis, quàm oculorum: aliàs immemores præceptorum Dei, creaturis adhærebitis. Ita noſter doctiſsimus Haye in Biblijs Maximis.

DISSERTATIONUM ABACUS.

1. VEſtis ſchola morum.
2. Oculi irramenta luxuriæ.
3. Qui amat periculum, in illo peribit.
4. A ſcintilla una augetur ignis.
5. Fuccata pigmentis mulier luxuriam portat in facie.
6. B. Lucia Virgo, quo puriores haberet oculos, nullos maluit.
7. Puerulus Jeſus verus Cupido.



DISER-

DISSERTATIO I.

VESTIS SCHOLA morum.

Vestis dignitatis custos.

1 TAnti interst, quo habitu sit homo convestitus, attendere. Cito professionis suæ ornamenta despiciet, qui vestem statui congruentem fastidit. Sacra decent Sacros : profanis profana placent. Et quidem profanis annumerandus videtur, quis quis sanctæ honestatis vestimenta indignatus, indecentem ornatum assumere non veretur. In vestitu apparet professio. Quid agere, quid non agere hominem deceat, vestis admonet. Disciplina est morum, quæ est corporis indumentum. Si valdè surdus non est, quid te facere opporteat, admonebit vestis : ut pudeat degenerare ab statu, quem vestium decor honestat.

Vestis schola morum.

In vestitu appareat professio.

2 Quis non mirabitur Domini erga Populum suum vigilantissimam providentiam, qui eò usque dignatus est descendere, ut & vestes illis præscribere non omiserit ? Frimbrias remetitur, Pallia in angulos exacuit, vittas hyacintinas ordinat. *Faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Num. 15. 38. Etiam num de vestibus cura est Deo? Tantinè refert, quibus hominis mortale corpus tegatur ? Scio quanti corporis cultum faciant vanitatis mancipij. Sed ordinatio Divina non nisi honestum præscribit. Primis Parentibus non molles, non pomposas, non splendidas vestes circumposuit ; sed asperas, sed villosas, sed pelliceas. *Fecit quoque Dominus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas* Gen. 3. 21. Artis quippe Dei est, vestes hominibus designare, quibus & corporis frigus, & mentis superbia pellatur. Verum hoc in illis ferè nudis hominibus fuerit pietatis officium ; quo insuper ingenio Deus Hebræorum populo vestium regulam præfixit? Quid quòd hoc vel illo habitu induerentur Hebræi ? Nimirum voluit Dominus, homines, conformes instituto suo gestare vestes, ut qui distincti erant religione à cæteris gentibus, distinguerentur & habitu. Erant Hebræi Populus ille electus à Deo in hæreditatem sibi, veri Numinis præ reliquis orbis terrarum Nationibus cultores, Religionis præeminentia longe cunctos antistabant. Hinc peculiare illis genus vestimenti adscriptum à Domino ; ut docerentur, dignitatis suæ præ reliquis debere honestatem servare, qui cælitus demonstrato Habitu præ cunctis insignitos se noverant. *Faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas.*

Num. 15. 38.

Vestium luxus vitandus.

Primorum Parentum vestes quales. Genes. 3. 21.

Peculiares vestes cuique ordini

3 Sanè in omni benè instructa republica consuetudo invaluit, ut cuique civium ordini suus ornatus ac vestium ratio certis limitibus præscriberentur. Hinc Purpura, Pretesta, Latus clavus, Candida vestis, Aurea fibula, Annulus non cuique concessi ; ut hominem, cuius esset ordinis ac dignitatis ex extimo cultu cognoscere posses. Verùm tam acurata in vestibus dispositio, quæsita duntaxat, ut hominem ab homine distingueret? Haud crediderim, hanc fuisse Legum Conditorum mentem ; sed ut vestium distinctione quisque suæ professionis admonitus, vitæ quoque probitate suam dignitatem tueretur. Discat homo à sua veste, quid se deceat ; quid dedeceat : & quem honesta vestis decorat, vereatur allienis moribus inservire.

Vestis sancta libidinis frenum.

4 Iterum meditandum idem Domini præceptum, quo Hebræos jubet pallijs assuere *vittas hyacinthinas.* Cuius vero gratia tam pulcer ornatus ? Lege sequentia : *Nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Hoc nimirum curavit Legislator, nè sui Cultores noxijs cogitationibus laxarent habenas, nevè periculosa indulgentia oculos lascivire sinerent. Verum quid ad hoc vittæ hyacintinæ? Quantum hoc repagulum mentis ? Quantus visus retinaculum? Sanè quam efficacissimum. An nescis colorem hyacinthinum, ad cæli colorem accedere, ideoque rei cælestis figuram esse ? Sanè Andræas

Calor hyacinthinus cælestia representat.

Alciatus *Emblem.* 117. hunc colorem cęleſtia meditantibus attribuit.

Alciat.

At ruber armatos equites exornata mictus
Iudices, & pueros erubuiſſe pudor.
Cæruleus nautas, & qui cæleſtia Vates.

Attoniti nimia religione petunt. Igitur vittas hyacintinas in fimbrijs præſcripſit Dominus, ut ſe veluti cæleſtes homines cogitantes Iudęi, generoſa mente armati, mundanis oblectamentis dedignarentur inſervire. Pulcrè ad rem Euſebius Emiſſenus, vel potius Eucherius Lugdunenſis in ſermone quodam habito Feria 3. poſt *Dom.* 2. *Quadrag. Ad hoc enim*, ait *vittas hyacinthinas in fimbriis ponere juſsit Legiſlator, ut ſignum quoddam eis eſſet, quo cęleſtium mandatorum memores, vana, & inutilia non cogitarent. Videntes enim hyacintum, cęlum recordamur, quoniam unius coloris ſunt cælum & hyacintus.*

Eucher.

Sanctam veſtē ſancti decent mores.

Habitus qualiter facit ſanctos

5 Ad vos prędipue ſermo meus, ò Viri Eccleſiaſtici, & Religioſi, Eccleſiæ decus, & ornamentum ampliſsimum, Genus electum, Populus arquiſitionis. *Poſtremiſsimus omnium*, ut verbis Turtulliani utar *lib.* de cultu femin. *qui de meo jure cenſervitij, & fraternitatis audeo ad vos verba iſta facere, non utique affectationis, ſed affectationi procurans, in ea cauſa veſtrę ſalutis.* Cum video mirificam illam in veſtibns varietatem, qua veſtri ordines ecclæſiaſtici convenienti diſtinctione internoſcuntur, haud vocem continere poſſum, quin mirabundus exclamem: *Quam pulcra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael! Ut valles nemoroſæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas.* Ipſa nimirum in forma, & in colore varietas Eccleſiæ, cui ſtrenuè militatis, venuſtatem adaugent. Ringatur quamvis Eraſmus, & ſui ſimiles caninę litteraturæ Magiſtri. Chriſti Sponſæ paludamentum colorum varietate decoratur. Delirant itaque hæretici, dum ſacrum hoc genus hominum deridęnt, qui diverſis formis, & coloribus ſanctimoniam in Eccleſia profitentur. Verum horum amentiam dimittamus: cæci quippè ſunt, & duces cæcorum. Ad vos inquam, prædipue ſermo meus, ò Viri Eccleſiaſtici, & Religioſi, quos ſacræ veſtes nobilitant. Præclarus certe honor, ſed æquè honeroſus. Cultui quippè veſtium actionis ornamenta convenire debent. Interiorem cordis ornamentum exteriori corporis decet eſſe conformem, ut qui à communi vulgo habitu ſanctiori diſtinguuntur, vitæ quoque prędtantia reliquis hominibus antecedant. Videant itaque Eccleſiaſtici viri, qua veſte fuerint dignati, cum divino cultui arctius ſe ſe manciparunt; hoc enim fit, ut profeſsionis ſuæ memores, perfectiſsimum vitæ tenorem aſſequantur.

Ordinis Eccleſiaſtici quanta ta pulcritudo ex varietate habitus

Num. 24. ſ. 6.

Habitus non facit ſanctos.

Hæreticorum error dehabitu Eccleſiaſticorum.

6 Textus noſter plenus doctrinarum eſt, ideo pluries inſpiciendus. *Faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas Hyacinthinas, quas cum viderint recordentur mandatorum Dei. Nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes. Sed memores præceptorum Domini, faciant ea, ſanctique ſint Deo ſuo.* Vide quot ſpiritales fructus cælitus deſignata veſtis proſeminet; iugem mandatorum Dei memoriam, pravarum cogitationum contemptum, oculorum modeſtiam, totius hominis ſanctitatem. Tanta nè à veſte vir Deo ſacer ſperare ſibi beneficia poterit? Poterit, ſi videat, quali ſit veſte donatus. Non te prætereat illud. *Quas cum viderint recordentur mandatorum Dei, &c.* Parùm interſt veſtimenti ſanctitas ni te ſancta veſte honoratum conſpexeris. Veſtis, ſi non attenditur, nihilum proderit: mentis oculo contemplata miros in anima parit effectus. Ergo vide, & tuos mores compones. Vide, & ſervabis Inſtituti tui præſcripta. Vide, & nulla te Domini mandatorum capiet oblivio. Vide, & pravas cogitationes compeſces. Vide, & oculorum petulantiam comprimere diſces. Vide tandem quibus veſtiaris, & evades ſanctitate conſpicuus. *Quas cum viderint, recordentur mandatorum Dei, &c.*

8 Diſ-

7 Diſcat itaque Eccleſiaſticus ſui habitus dignitatem revereri. Veſtem honeſtet, à qua ipſe honeſtatur. Perſonam agat, quam induit. Et ſiquidem cucullo, tenſura, pallio ve inſigniri gaudet, degeneres ab ornamento mores profiteri erubeſcat; vita namque ſordida dedecus eſt veſtium honeſtarum. Præclarè Sanctus Job. 9. 31. *Sordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.* Deo hæc verba facit, qui quidem, exponente D. Gregorio, *nos ſordibus intingere dicitur, intinctos ſordibus demonſtrare.* Ergo peccati labe ſordeſcere ſe conqueritur Sanctus Job: quoque miſeram ſuam ſortem exageret, uſque ad verticem capitis ſe ſordibus immerſum deplorat; hæc enim energia eſt verbi *tingere* iuxta illud Virgilij 1. *Æneid.*

Quid tantum Occeano properent ſe tingere ſoles.

Quid porrò ex peccatorum labe, & ſordibus conſecutum? Veſtium, nimirum, abominatio: *Et abominabuntur me veſtimenta mea.* Pulcra abominantur turpia, candida immunda, honeſta ſordida; & omne, quod dedecus afferre poteſt, res generoſa averſatur. Ergo Jobum abominantur veſtimenta, dum ille ſordeſcit interius: quoniam ubi vita non candeſcit, veſtis ſanctimonia de honeſtatur. *Sordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.*

8 Adhuc ſubdubitas, virtutes veſtibus confoveri ſolitas, atque earum moderatione moderari? Perpende obſecro hoc Chriſti Domini ratiocinium. Sui Prodromi vitam laudaturus, his verbis concionem auſpicatus eſt. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem veuto agitatam? ſed quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtimentis indutum?* Luc. 7. 25. Quid opus fuit à veſte laudare, quem ab animi firmitate prædicaverat? Sàt commendatus videbatur Ioannes, ex quo arundineâ eum levitate caruiſſe nunciaverat. Quid namque ad tantum præconium veſtimenti qualitas? Nimirùm voluit Dominus priori ſententiæ maiorem fidem facere, atque veſtimenti elogio vitæ laudem confirmare: quoniam animi virtutes mirum in modum corporis cultui comformari ſolent. Ioannes non eſt Arundo. Undè probas? Mollibus non veſtitur. Ergò quia veſtis aſpera roboreum hominem reddit, delicata arundineum. *Arundinem vento agitatam? Hominem mollibus viſtimentis indutum?* Cur ille, Arundinis inſtar, aridus, inanis, vacuus, vagus, omni tentationis vento quatitur, commovetur, & ludificatur? Mollibus veſtimentis induitur. Quare ſuperbit, inflatur, criſtam erigit, exuit pudorem, luxurijs ſe ingurgitat? Pretioſis indumentis delectatur. Per oppoſitum: Cur ille, velùt firmiſsimum robur, ſtabiliſvè quercus paſsionum turbinibus obſiſtit immobilis, vitiorum flatibus non ſuccumbit, illecebrarum impetus eludit? Veſtis ſpernit mollitiem. Mira, videlicet, hominum transformatrix veſtis, vel Arundines facit, vel ilices. *Arundinem vento agitatam? Hominem mollibus veſtimentis indutum?*

9 Sanè haud mirari nequeo prodigioſam illam vim, quæ permutandis hominum moribus ineſſe veſtibus comperimus. Alexander ille Magnus, quàm diu levi, & parabili cultu corporis fuit contentus, ad modeſtiam, & temperantiam compoſitos retinuit mores. Verùm ubi, abjecta Macedonum veſte, Perſarum habitum induit, tùm enim verò palàm cupiditates ſuas ſolvit, continentiamque, & moderationem in ſuperbiam ac laſciviam vertit. Oppidò quàm eleganter Curtius lib. 6. cap. 11. *Veſtem Perſicam ſumpſit.* Et ille ſe quidem ſpolia Perſarum geſtare dicebat; ſed cum illis quoque mores induerat: ſuperbiamque habitus animi inſolentia ſequebatur. Non tàm foret acuſandus veſtimentorum luxus, ſi exteriori tantùm inani gloriæ inſerviret; verùm indè maximè culpandus, quòd vitioſos quoque affectus tàm imprimit cordi, ut pro ratione veſtis mores hominum plerùmque formentur.

10 Quatuor per quę veluti feneſtras animæ, latentes affectiones introſpicire queas, indicia Eccleſiaſ-

Vita in honeſta veſtium honeſtarum dedecus. Job 9. 31.

Deum nos ſordibus intingere, quid D. Greg.

Virgil.

Hypocrytam ſuæ veſtes abominantur.

Veſtes fomenta morum.

Luc. 7. 25.

S. Ioannis Baptiſtę laus à veſte

Veſtis delicata homines facit Arundines.

veſtes mutant mores.

Alexandri mores cum veſte corruptæ. Curt.

Veſtis index mentis. Eccli. 16. 27.

fiasticusoffert *cap.* 19. 27. Sed illa dehabitu, noſtro propoſito congruit. *Amictus corporis enuntiat de illo*, de homine. Quid enuntiat? Internos animarum affectus: Superbus ſuperbiam, fictus fictionem, diſſolutus diſſolutionem, levis levitatem, tumens tumorem, luxurioſus luxuriam. Ita nè? Ita ſane. An non iſthæ conjecturæ ambiguę, indicia ſub obſcura? Num ſub amictu ſuperbo latère nequit mens humilis, & ſub abjecto pallio ſuperbum ingenium? Quomodò ergò tàm aſſeveranter enuciare de homine amictus poſſit? Sapienter. Eſto enim aliquando veſtis fallat, tandem, quæ vera ſunt, prodit: quoniam ad ritum veſtium mores plerùmque formantur. *Amictus corporis enunciat de homine.* Habitus mentis in corporis cultu cernitur. Cordis arcana æſtimantur amictu. Interior homo demonſtratur in veſte. Inde aut levior aut jactantior, aut turbidior cenſetur; vel è contrà gravior, & ſanctior putatur. Tanta eſt concordia veſtem inter & mentem, ut pari cenſurâ veſtis notetur, ac vita.

Vſtium hypocriſis.

Concordia inter veſtem, & mentem.

11 Dira ludęis comminatur Dominus ore Sophonię Prophetæ. Homines quippè ſe perditurum denunciat; iumenta aves, piſces, ſacerdotes, principes, regales filios, aulicos, denique ad unum omnia ſe exſterminaturum prædicit. *Diſperdam omnia à facie terræ dicit Dominus.* cap. 1. 2. Tanta nè animis cæleſtibus ira? Quale porrò facinus Domini vindictam commovit? Audi: *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* Ibid. 8. Sanè totum illud caput legenti liquidò apparebit, ſcelus ludæorum fuiſſe Idololatriam, Deique contemptum. *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituum cum ſacerdotibus. Et eos qui adòrant ſuper tecta militiam cæli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchom.* Ibid. 4. Quid ergò ad tam immane facinus peregrinarum veſtium uſurpatio? Quantum hoc peccatum ad illud crimen compoſitum? Excandeſceret ira Dei in contemptores ſui Nominis; fulminaret in cultores Baal, obſervatores aſtrorum, adoratores Melchon: digni quippè ſævam vindictam Numinis experiri, qui ab illius cultu increbili inſaniâ receſſêre. Cur verò tàm exardet Domini furor, quòd veſtem peregrinam aſſumpſerint? *Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ.* Quia nimirum, cum veſte mores induerunt. Veſtiti ut fuêre Idololatrarum ritu, illicò idololatrarum ritus didicêre: tantâ quippè hæc duo conexione adſtringuntur, ut pro edem reputetur utrumque. Ideò meritiſsimas pænas luere coguntur ij; qui peregrino ornatu delectantur: Conſequens quippè ſit, ut eorum mores non diſpliceant, quorum veſtimenta perplacent. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.*

Cum veſte mores induuntur.

Sophon. 1. 3.

Ibid. 8.

Ibid. 4.

Ibid. 4.

12 Explicatiûs Chaldeus: *Animadvertam*, inquit, *ſuper omnes, qui perſtrepunt ad cultum idolorum.* Hinc expoſitio Hieronymi: *Super omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ, hoc eſt, qui pro Dei cultu venerati ſunt idòla.* Vides, ut idem ſit venerari idòla, ac veſte peregrinâ amiciri? Sât ludæorum mores patent, ubi eorum veſtis deſcribitur. Propria indumenta abjecerunt? Gentium ritu induerunt ſe ſe? Noli ampliùs quærere. Ritu quoque gentium vivent. Gentes venerantur Idola? Idola quoque venerantur Hebræi. Gentes perditiſsimæ vivunt? Eadem & vita ludęorum. *Super omnes, qui induti ſunt veſte peregrina: qui perſtrepunt ad cultum idolorum.*

Veſtis nomine deſignantur vitia.

Chald. Hieron.

Qualis veſtis, tales vita.

13 Mores itaque ex veſtibus auſpicandi. Quę quiſque idòla colat, cultus corporis edocet. Eccleſiaſticus profanis veſtibus indutus, profanorum idòla venerari creditur. Matronæ & puellæ, quæ cultu meretricio incedunt ornatæ, Cupidini thus adolère putantur. Pompoſa indumenta ſacrificuli vanitatis portant. Veſtes laſcivę, ac molles inſignia ſunt amatorum Veneris. Ergò peregrinæ veſtes deteſtandæ, ut potè quæ peregrinorum virtiorum ſunt fomenta. Deo dicatis viris nonne veſtis ſæcularis peregrina eſt? Nonnè peregrina etiam honeſtis feminis

Mores hominum veſtes incant

Quiſque veſte ſui ſtatus contentus ſit.

nis veſtis ad libidinem compoſita. Nonnè peregrina eſt homini Chriſtiano gentilica veſtis? Congruo itaque ſuo quiſque ſtatui veſtimenta portare ſatagat; nè dùm peregrinis utitur, ob peregrinos mores vindicem Dei iram inſe concitet. *Viſitabo ſuper omnès, qui induti ſunt veſte peregrinâ. Animadvertam ſuper omnes qui perſtrepunt ad cultum idolorum.* Sanè nimius veſtimentorum cultus in hoc tendit, ut verum animi cultum eliminet. Verè enim Græcus Vates apud Raderum in citatum Curtij locum.

In eo poſitus cultus, ut cultum omnem reſpuas.

DISSERTATIO II.

OCULI IRRITAMENTA Luxuriæ.

Quod chariſſimum, idem damnoſiſſimũ.

1 ITà comparata eſt humana conditio, ut quod nobis eſt chariſſimum, id quòque ferè damnoſsimum ſit. Facilè optimum abit in peſsimum: quæque nos magis delectant, magis quòque in noſtram perniciem conſpirare noſcuntur. Cælo quid pulcrius? Quid delectabilius? Quid beneficentius? Equidem ſuo aſpectu privari, duriſſimum vitæ genus, teſte Seniore Thobia cap. 5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Verùm quid illo horridius? Quid minatius? Quid truculentius? Nil gratioſius Æthere, dùm ridet. Nil horribilius, dùm iraſcitur. A quo blandiſsimè irroramur ad vitam, mutatâ ſcenâ, fulminamur in mortem: adeò amantiſsima nobis, nocentiſsima itidem eſſe ſolent; ùt diſcas, à nullo tibi magis eſſe cavendum, quàm ab eo, quem gratioſiſsimum experiris.

Tob. 5. 12.

Optima fiunt peſſima.

Oculourm officia, & utilitates.

2 Quænàm, rogò, ex omnibus corporis partibus oculo præſtantior, æſtimabilior, & charior? Clara ille lampas eſt corporis, mentis feneſtra, illuſtrator ſenſuum, phantaſmatum interiorum progenitor, ornamentum, & jucunditas totius hominis. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem,* inquit Eccleſiaſtes 11. 7. Quid plura? *Totius hominis debilitas eſt, oculos perdidiſſe*, ſcribit Gabius. Imò nè dum debilitas, verùm & mors hominis: quippè haud cenſendus eſt vivere, qui videre deſijt. *Non aſpiciam hominem ultrà, & habitatorem quietis.* His ſibi mortem comminatam Ezechias luget, apud Iſaiam cap. 38. 11. Cum quaſi mortum ſe plorat, non amplius homines ſe viſurum lamentatur: & per viſus privationem vitæ privationem exprimit: quoniam videre, vivere eſt; aſpectu carere, mori. *Non aſpiciam hominem ultrà, & habitatorem quietis.*

Eccle. 11. 7.

Non videre, mors eſt.

Videre, vivere.

Iſai. 38. 11.

3 Vide, quàm delectabilis res oculi ſint, quam læta, quàm jucunda, quàmque commoditatibus plena. Pars nulla corporis beneficentior; ſed & inſidiatior nulla. Hèu me, quanta ſtrages, quanta ruina ab oculis! Major eſt, quàm ut mente comprehendi, nedum enarrari valeat. Sed orbitæ me includo. Scortatur homo, adulteratur, laſcivit? In causâ ſunt oculi. Ji quippè ſunt irritamenta luxuriæ, Veneris conciliatores. Hoc egregiè probant omnes illę ſententię, quibus *oculi* dicuntur *fornicantes, Adulteri, concupiſcentes*; de quibus multis egimus in Expoſitione Literæ. Legat, quem delectat, Conciones cùm ſacrà, tùm profanà eruditione exornare. Ex tam multis hanc pertractare jubet. *Nec ſequantur oculos per res varias fornicantes.* Num. 15. 39. Paradoſon audire te credes. Fornicatio vitium eſt tactus. Qui ergò fornicatio tribuitur oculis, quibus tangendi officium eſt denegatum? Elegans Commutatio, ingenioque plena. Nimirùm, oculi fornicari dicuntur, quòd ipſi ſunt fornicationis authores, & luxuriæ Anteſignani. Lege *Expoſit Lit. num.* 29. Si ſapis, oculi ſunt virtutis oſores, pudicitię peſtis, virginitatis aconitum, caſtitatis funus, pudoris ſepulcrum. Igitur jure optimo luxuriæ infamia inuruntur oculi; quippè libidinis torrens ex hoc peſtilentiſsimo fonte ſcaturire dignoſcitur. *Oculos per res varias fornicantes.*

Oculorum damna.

Luxuria ab oculis.

Num. 15. 39.

Oculi fornicantes, quia fornicationis auctores.

4 Sed adhùc pulſat animum

idem Textus. Consulere namque volens Dominus ludęorum castimoniæ de oculis duntaxat inter reliqua corporis membra solicitus apparet. Ideò quippè vittas hyacinthinas eos portare jussit, nè, scilicet, vagâ oculorum licentiâ eorum periret castitas. *Ponentes in eis vittas hyacinthinas, nèc sequantur oculos per res varias fornicantes.* Cur solis oculis pręcavet, cùm à reliquis quoque sensibus periculum castitatis immineat? Nonnè pedes quoque in malum currere possunt? Nonnè manus instrumenta esse libidinis? Nonnè lingua spurciloquijs pollui? Nonnè auris veneno luxuriæ infici? Quid ergò est, quòd Dominus, quasi si nullum ab his membris immineret castitati periculum, oculis duntaxat frenum adhibendum curavit? *Nec sequantur oculos per res varias fornicantes?* Quia nimirùm, in pugnâ Veneris nullus validior hostis, quàm oculus. Hoc devicto, facilè reliqui superantur. Vexill fer ille est, cæteri gregarij milites. Pugnante eo, omnes pugnant, terga dante, recedunt. Sapientissimè igitur toti consuluit Dominus castimoniæ, cùm oculorum tantùm assultus prævavere docuit. *Ponentes vittas hyacinthinas; nec sequantur oculos suos per res varias fornicantes.*

Luxuria maximè pugnat oculis.

Oculi vexiliferi luxuriæ.

5 Explicatius: *Nec sequantur*, inquit, *oculos per res varias fornicantes.* Non pedes dixit, non manus, non os, non denique linguam; cum tamen compertum sit, in re libidinis, & hæc membra satis esse delinquentia. Sane per res varias fornicant oculi, qui nullo freno, quòcumque vident, rapiuntur. Sed & pedes libidine non carent, dùm quasi pernionibus irritati, consistere nesciunt, donèc inquinentur. Manus quòque paranymphæ sunt Veneris. Os item, & Lingua luxuriæ interpretes. Denique Aures turpitudinis Januę. Cùm tot itaque sint libidinis sectarij, & à quibus immineat castitati periculum; cur signanter Dominus ab oculis attendere monet? *Nec sequantur oculos per res varias fornicantes?* Ut doceamur, fomitem omnis libidinis esse oculum, quo semel extincto, reliqui sensus frigent. Humanus oculus quasi originalis est ignis, quo totum corpus flammatur. Vix reliqui sensus igneścunt, nisi cùm ardorem oculi subministrant. Enim verò pigritantur pedes ad faciem non visam. Ignotam voluptatem manus haùd apprehendere gestiunt. Invisa pulcritudo segniter linguam commovet. Denique levissimè pulsat aures Venus non conspecta. Igitur irritamentum quasi originale luxuriæ, oculi: ipsi quippè reliquos sensus ad delinquendum instigant. Ergò si solos oculos custodire noveris, totam sensuum republicam servabis pudicam. *Nec sequantur oculos per res varias fornicantes.*

Oculus totius luxuriæ fomes.

Oculus tentationum origo.

6 Hæc, nè liberè dicta causentur, egregiâ Basilij Seleuci placet confirmare sententiâ. Sic enim loquitur Orat. 36. *Oculorum privatio vitam facit minime vitalem. Nam si pedes affecti fuerint, corpori cursus admittitur: interim suo aspectu oculi dolorem levant. Et si morbo impediantur, amicos oculus exorat, ad subsidium trahens. Et si aures virtute sua destituantur, oculus nutibus necessitatem solatur. Extincto verò oculo sensuum colligatio universa commoritur.* Vides, ut oculus quasi vita sit sensuum cæterorum? Illis viventibus, reliqui vivunt. Illis extinctis, extinguntur cæteri. Ut ut vivat totum corpus, luminibus deficientibus, tàm illa vita est infirma, ut minimè vitalis dici possit. Sensuum vita vitalitatem ab oculis haurit: tandiu moventur, suaque functiones expeditissimè obeunt, quamdiu ab oculis animantur; mortui verò jacent, cum extinguntur illi. *Extincto vero oculo sensuum colligatio universa commoritur.* Ergo haud invidiam oculis facimus, cùm omnium sensuum luxuriam eis tribuimus: quoniam qui omnibus pro vitâ sunt; pro omnibus quoque sint mors, necesse est. Unde cum ipsos lasciviâ mori contingit, eodem veneno commoriuntur, & reliqui.

Basil. Sel.

Oculus quasi vita reliquorũ. sensuum

7 Hùc arbitror aspexisse celebrem illam Domini sententiam Luc. 11. 34. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex,*

Luc. 11. 34.

plex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autèm nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Quid eſt oculus ſimplex, niſi purus, mundus, non pravis infectus humoribus? Quid verò oculus nequam, niſi malè affectus, vitiatus, immundus? Rectè itaque oculum ſimplicem dixeris illum, qui nullis libidinoſis fœdatur obtutibus. Nequam verò, quem fœdè aſpergunt inquinamenta luxuriæ. Ergo vim illationis attende. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*: quoniam cùm oculus caſtitatis puritate reſplendet, totius corporis membra eodem nitore fulgent. *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*: quoniam cùm oculus caligine libidinis obſcuratur, illicò ſenſus reliqui tenebris ijſdem nigreſcunt. Tanta nè oculorum vis ad totum corpus vel pulcrificandum, vel fœdandum? Tanta. Et tu cupis ſenſus omnes immaculatos ſervare? Oculos pudicos habere ſtudeas. Ab his enim vel munditia pendet, vel labes. Illis nitentibus, candeſces. Illis obſcuratis, fœdaberis.

Oculus ſimplex; & nequam quis.

Totius corporis caſtitas ab oculo; & è contra.

8 Quid quòd nèc ipſi quidem clandeſtini tumultus tàm ſunt pertimeſcendi, quàm oculorum inſultus? Vix credis? Teſtem producam, huius belli non inexpertum militem. David loquitur. Pſal. 25. 2. *Tenta me, Domine, & proba me: ure renes meos, & cor meum.* Vides illum intrepidè provocare luctam, ſivè cum renibus ſit pugnandum, ſivè cum corde certandum. At qui viderit bonus Athleta, hoſtes eſſe validiſsimos cor, & renes. In renibus quippè præſidet Venus, in corde ſedet Cupido. Audet tamen *tenta me Domine, & proba me; ure renes meos, & cor meum.* Aſt idem ipſe eſt, qui aliquando clamavit. *Avertę oculos meos, nè videant vanitatem.* Pſal. 118. 37. Quid? Qui non audet cum oculis colluctare, audet cum corde, & renibus certamen inire? Extimet oculorum impetus; lumborum verò, ac cordis aſſultus non formidat? Luminum jactus, ut Deus avertat, exorat; renum & cordis jacula, ut in ſe veniant, efflagitat? Ita. Non timet ille ebullientem in lumbis luxuriam. Non pavet emergentes è corde cogitationes impuras. Formidat tamen petulcos oculorum aſpectus. Quoniam non tàm acris eſt pugna, colluctari cum corde, & renibus, contra caſtitatem tumultuantibus, quam prœliari cum oculis, contra pudicitiam innitentibus. *Tenta me Domine, & proba me: ure renes meos, & cor meum. Averte oculos meos, nè videant vanitatem.*

Magis timendum ab oculo, quam à corde.

Pſal. 25. 2.

Pſal. 118. 37.

Oculorum modeſtia.

9 Quid ni magis hos timeat, cum fortiùs oculis expugnemur, quam mente; totuſque mentis conatus veluti inermis ſit ſine oculorum ſubſidio? An ignoras, hoc expertiſsimum militem Jobum latuiſſe, cum clamabat cap. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de Virgine?* Equidem cogitationum aſſultus expavêre ſe nunciat; ſed eos, nimirum, quos oculorum petulantia irritaverit. Laudo, quod Jobus adeo vigilanter pravis cogitationibus excubat. Eſt enim cogitatio ejuſmodi, ut clancularia inſinuatione ad arcem uſque mentis penetret, diſſipet, ac diruat. *Prava cogitationes*, inquit Chriſoſtomus Ora 3. de verbis Iſai. *Omnem mentis noſtrę ſanitatem corrumpunt.* Et Bernardus ſerm. 3. de Nativit. *Torrentes* appellat *iniquitatis quę intrant uſque ad animam.* Conſonat Gregorius lib. 1. Reg. cap. 15. *Eſt autem*, ait, *cogitatio mala rivus exundans, & qui nullis obicibus repelli poteſt.* Laude itaque dignus merito cenſendus eſt Iobus, quòd pravarum cogitationum calliditatis præſcius, luminum aditus occludere ſtatuit. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de Virgine.* At meminerit egregius miles, ex aliâ parte etiam cogitationum periculum imminere quam ab oculis.

Cogitatio quę ab oculis, validior omnibus.

Job. 31. 1.

Virginis aſpectus vitandus.

Pravarum cogitationum damna Chriſoſt.

Bernard.

Gregor.

10 Nonnè & ſenſus reliqui pravarum quòque cogitationum in mente ſemina ſpargunt? Nonnè per omnes corporis ſenſus, veluti per quaſdam rimulas, peccatum animam noſtram penetrare conſuevit? Ecquid aliud nos voluit docêre Propheta, qui dixit. *Aſcendit*

Senſus corporis feneſtræ mortis.

dit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domus noſtras? Ierem. 9. 21. Profectò ſenſus corporis feneſtræ ſunt, quibus mors ſpiritualis more furis directarij animæ vitam adimit. Luculenter S. Ambroſius *lib. de Eſau, ſeu fugâ ſæculi cap.* 1. totum hoc negocium exſpoſuit. Audi, & fruere: *Reſpexit oculus, & ſenſum mentis evertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adolevit. Intravit mors per feneſtras veſtras, dixit Propheta.* Cùm itàque ab omni ſenſu poſsit immiti prava in animam cogitatio, quid eſt, quod vir ſanctiſsimus à cogitatu noxio liberum ſe putavit, ex quo cum ſolis oculis pactum inivit? *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quia, nimirùm, cogitatio, quę ab oculis venit, pugnaciſsima eſt omnium. Irrunt certè in animam, & aſenſibus alijs cogitationes hoſtiles. Verùm, ut facilè ſuperantur, ſic ceù invalidæ contemnuntur. Haùd proinde lobus cogitationem metuit aſſultantem, niſi eam oculus procax & libricus patiatur. Tum verò intetui ſe proximum formidabat, cum virginem aſpexiſſet: quoniam ea demum præ omnibus cogitatio timenda, quę oculis hauritur: namque reliqui mentis tumultus inermes ſunt, niſi aderit oculus ſubſidiarius. *Pepigi fœdus cum oculis meis ut non cogitarem quidem de virgine.*

Ierem. 9. 21.

S. Ambroſ.

Senſus cuſtodiendi.

Oculorum modeſtia.

11 Quò altiùs hæc doctrina mortalium pectori inſedeat, miſerabili exemplo illuſtrare pergam. Ecce tibi Amnonem, formoſiſsimam ſororem ſuam Thamarem inſanè depereuntem ſacra Pagina demonſtrat. Ardebat ille quidem. Libidinis facibus præcordia æſtuabant. Ignis viſceribus inhærebat. Totaſque infuſa per artus, ibat flamma, corporis vires depaſcens, vitale robur exedens. Suum tamen lethale vulnus ut cumquè tolerabat faucius iuvenis, quandiu virginis decore pro voto paſcere oculos, non dabatur. Degebat namquè Thamar in ſuo conclavè, ſe juncta à domo Amnonis. Ergò ægrotabat ille, & ſola dabat ſuſpiria. Pallebant ora præ macie, nèc tamen audebat turpe facinus aggredi: præ eligens, nimirum, uri, quàm fœdari. *Quia cùm eſſet virgo, difficilè ei videbatur, ut quippiam in honeſtè ageret cum ea.* 2. Reg. 13. 2. Puduit itaque vel impudicum iuvenem, virginis pudicitiam tentare, quando eam mente potius, quàm oculis contemplabatur. Ut verò, Patris iuſſu, venit Thamar in domum Amnon fratris ſui, & *in oculis ſuis coxit ſorbitiunculas*; tum enim verò impotenti libidine abreptus juvenis, Sororem apprehendit, apprehenſam ſubègit, ſubactam violavit. *Prævalens viribus, oppreſſit eam, & cubavit cum ea.* Ibid. 14.

Luxuria oculis, quam mente pugnatior.

2. Reg. 13. 2.

Virginis conſpectus periculoſiſsimus.

Ibid. 8.

Puellæ cautè adeant viros vel infirmos.

Ibid. 14.

12 Quis hic non jam oculorum petulantiam diris execrationibus perſequatur? Quis non eorum pellantiam probris omnibus conſectetur? Ecquis non tàm callidum, tàmque potentem hoſtem pertimeſcat? En regium juvenem libidine aflatum, luxuriâ aduſtum, concupiſcentiâ æſtuantem, ardentem denique virginem; & tamen ab eâ ſe continentem. *Quia cum eſſet virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneſtè ageret cum ea.* Languebat ille quidem, & tacebat. Flammis torrebatur amoris, nec querebatur. Infirmabatur, & imò ſub pectore vulnus celabat. Vix illi vivere conceſſum, quia non conceſſum ſcortari. Et tamen rei indignitate conterritus audet mori, quòd virginem conſtrupare non audet. Sed & ecce tibi idemmet juvenis omni pudoris reverentiâ poſt habitâ, ſtrictiſsimiſque tùm honeſtatis, tùm naturæ nexibus diruptis, non multò poſt vi puellam audet opprimere, & Filiam Regis, & virginem, & Sororem. *Prævalens viribus oppreſſit eam, & cubavit cum eâ.* Quanta in uno facinore ſunt crimina! Compone modò juvenem juveni. Anteà quamvis deperibat Thamarem, illius virginitatem reverebatur. Modò nulla eum reverentia continet. Anteà ad turpitudinis memoriam cohibuit libidinis im-

Luxuriæ audax.

Luxuriæ vel nobiliſsimas feminas non veretur.

impetum. Modò nullâ honeſtatis habitâ ratione, turpiſsimum facinus perpetrari non timet. Anteà, rei difficultate ſibi objectâ, fractus animo, nihil eſt auſus. Modò nulla tardatus difficultate, viribus ſidens irruit in virginem. Et undè putas acriorem hanc flammam concepiſſe Amnonem? Nimirum, Thamar *in oculis ſuis coxit ſorbiciunculas.* Acta res eſt. Iam oculis pugnat luxuria, quæ hùc uſque mente certaverat. Iam corâm appareret pulcritudo, quæ in animo verſabatur. Iam luminibus contemplatur juvenis puellam, quam mente geſtabat. Hinc flamma validior, impetuoſior ignis. *Prævalens viribus oppreſsit eam, & cubavit cum ea.* En ut turpiùs elidamur oculis, quàm mente.

DISSERTATIO III.

QUI AMAT PERICULUM, In illo peribit.

Eccli 3. 27.

1 COncionatorem Hebræorum audis *cap.* 3. 27. Quæ ſententia maximè locum habet in rè luxuriæ: adeo lubrica eſt, ac plena ſcrupis. Avis circa laqueum volitans, tandem capitur; papilio, circa candelam accenſam giros repetens, ad exſtremum ardet. Natatores, quos delectat ludere in undis, ſæpè merguntur aquis. Vulgò trictum, hydriam tam diù ad fontem commeare, dùm frangatur. Nec fieri poteſt, quin aſsiduè aleam jacienti, aliquando damnoſi canes inſiliant. Unde Seneca Tragicus *in Herc. Fur.*

Nemo ſe tutò diu
Periculis offerre tàm crebris poteſt.
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit.

Hac de cauſâ *oculi* dicuntur *fornicantes. Nec ſequantur oculos per res varias fornicantes.* Num. 15. 20. Quoniam, dùm curioſè feminas contemplari gaudet homo, tumenimuerò in carnis vitium prolabi conſuevit. Vaga oculorum licentia periculum eſt pudoris, & quoddam veneris lenocinium. Quodque tótius hominis eſt vitium, oculis tributum legimus; quaſi idem ſit periculum caſtitatis, & caſus: quippè ibi pudor ruere comperitur, ubi ejus periculum conſuevit ambiri.

Qui ambit periculum, in illo peribit.

Seneca.

Idem ferè periculum caſtitatis, & ruina.

2 Palàm eſt, quid hic moneamur. De periculo quæſito eſt ſermo, non de utcumque oblato. Quotus enim quiſque eſt, qui omnem oculorum aſſultùm præcavere poſsit? Vel nobis nolentibus inſidioſę elegantiæ occurrere ſolent. Bellum prętер voluntatem non rarò incidit. Verùm illud voluntariè creare, perire eſt. Sed enim ſibi bellum creat, quiſquis feminarum conſpectum, ac familiaritatem non abhorret, quinimo ſedulo inſectatur, ac quærit. *Nec ſequantur* inquit, *oculos per res varias fornicantes.* Alij: *Oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.* Non quibus inopinatò vidêre contingit, ſed qui corde oculorum ductum ſequuntur, fornicari perhibentur. Etenim qui prętер opinionem comptam mulierem offendit, periculum fortaſsè excipit, non affectat. Qui verò feminas, nullâ coactus neceſsitate, frequenter inviſit, ipſe ſibi periculum facit. Undè in fornicationem ſæpè labitur: quia qui ſcortandi periculum amat, ſcortationis barathro plerumque abſortum ſe videt. *Ne ſequantur oculos per res varias fornicantes. Oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini.*

Periculum aliud oblatum aliud quæſitum.

Sequi oculos fornicantes fornicare eſt.

3 Modò videſis quantùm periculum à periculo diſtet. Periculum, ubi non quæſieris, facile evinces. Ubi verò accerſeris eum, turpiſsimè concides. Contuere Ioſephum, & Davidem, utrumque bello Veneris incluſum, ſed non æquè fortùnatum utrumque. Et quidem, ſi amborum certamen ſedulò contemplemur, acriùs multò ac pertinatius fuiſſe, quod Ioſeph, quàm quod David ſuſtinuit, inveniemus. David quippè eminùs jaculatus à Bethſabea fuit, eâque inſciâ, idque ſemel. *Vidit mulierem ſe labantem, ex adverſo ſuper ſolarium ſuum.* 2. Reg. 11. 2. Ioſeph verò quotidie oppugnatus à Domina, idque in conclave. *Per ſingulos dies & mulier moleſta erat*

Temeritas occaſio ruinæ.

Occaſio mala vitanda.

Tentatio quando vincit, quãdo vincitur.

2. Reg. 11. 2.

Gen. 39. 10.

adoleſcenti. Gen. 39. 10. Præterea David uxoratus erat : & quidem non uni ad Thalami delicias copulatus. Ioſeph , ab omni uxore ſolutus , cælibem vitam agebat. Denique David forte tunc temporis præ ætate frigidis aſperſus canis. Etenim quinquageſimum annum jam attigerat. Conſule novam Editionem Antuerpienſem Ioannis Baptiſtæ Berduſſen. Ioſeph verò , adoleſcens adhùc , quin & adoleſcentiæ flos , & (ſi ita loqui liceat) luxuriantis ætatis, vigeſimum quippe , & ſeptimum tunc fluerat annum ingreſſus. Lege eamdem Editionem. Vidiſti & pugnæ & militum conditiones diſſimiles? Vide modò, quàm pro utriuſque conditione inſperati eventus ſucceſſerint.

David lò gęvus cognovit Bethſabee. Joſephi ętas , cum tentaretur à Domina.

4 David quippè turpiſſimè victus , totum ſe tradidit Bethſabeæ. *Dormivit cum ea.* 2. Reg. 11. 4, Ioſeph verò glorioſe triumphans, laſcivæ Dominæ eluſit inſidias. *Relicto in manu eius pallio , fugit , & egreſſus eſt foràs.* Geneſ. 39. 12. Quale hoc diſcrimen eſt, ut primo amoris ictu David caderet , & procul poſitus , & uxoribus conſtipatus , & penè effœtus ? Ioſeph verò Veneris victoriam reportaverit, & ſagittatus cominùs , & aſsiduè circumventus , & ętate fervens , & vitæ ratione cælebs ? Ratio in promptu eſt. Quia , nimirum David diſcrimen accerſijt. Ioſepho obvenit. David , dùm infixit oculos in feminam , periculum ſibi ipſi creavit. *Vidit mulierem ſe labantem*, Ioſeph , dùm laſcivis conatibus tentatur a Domina , periculum excepit , non provocavit. *Per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti.* Ideò in faciliore pugna David cadit, ubi in difficiliore Ioſeph triumphat : quippe tentatio provocata ſuperat; cum invadit , ſuperatur. *Dormivit cum ea. Relicto in manu eius pallio , fugit.*

2. Reg. 11. 4.

Gen. 39. 12.

Luxuria etiam uxoratos invadit, & grandæ vos.

Ætas caſtitati non obeſt.

5 Felix ergo lucta , in qua nobis metipſis hoſtem non parimus. Illa timenda nimis , in quam nos temere ingerimus. Feminam , ſi te expectaverit , vinces. ſi tu eam oculis fueris contemplatus , corrues. Triumphat de caſtitate libido , dum irritatur ad pugnam. Secura eſt de victoria caſtitas , quæ libidinis congreſſum non quærit, ſed offendit. Haud equidem hic me continere poſſum , imo nec volo , quin in exemplum adducam illud pudoris lillium , caſtitatis decus , virginitatis ornamentum ; D. Thomam , inquam , Aquinatem, cuius præclarum cognomen Angelici , neſcias , nùm candore vitæ, nùm ſublimitate doctrinæ illi cômparatum. Reverentiùs concedemus utrumque : quippè ut cæleſtis Ales in ſuperna volavit , & ut Angelus , purirate canduit. Sed vide conflictum , ut triumphum demireris. Iuvenis eſt , & tentatur à feminâ. Solus cùm ſolâ conſiſtit in arce ; abſque arbitris peragitur pugna , & in receſsibus fortior eſt Venus. Armatur femina in Iuvenem , & pulcritudine , & impudentiâ : pulcritudine , ut flectat blandicijs , impudentiâ ut proſternat conatibus. Quid ad hæc formoſus Thomas ? Caſtus furor arma miniſtrat. Flammam flammæ objicit, igni opponit ignem ; ſed fædum fædo , torrem torri , ut non diſſimilibus armis pugnaſſe diceretur. Ergò feminam , quæ titio erat Veneris , *titione fugavit.* Jò triumphe! Diſcite à Iuvene Iuvenes pugnandi peritiam. Quique Angelicam doctrinam ſectamini , Angelicæ quoque vitæ candorem æmulamini. Namque idem ipſe qui velut Angelus ingenij ſublimitate volavit, prius ſicut Angelus , morum puritate enituit. Verùm rogitas , unde generoſo Iuveni Thomæ adeò celebris victoria ? Nimirùm , periculo non ſe expoſuit , ſed oppoſuit. Feminæ congreſſum non quæſivit , ſed ſuſtinuit. Ad eum introducta fuit mulier ; non ille ingreſſus ad eam. Parilis Thomæ cum Ioſepho certamen ; & ideò victoria ſimilis. Etenim ibi caſtitas triumphare aſſuevit , ubi pugnæ non ſe temerariè commitit. Ioſeph igitur *relicto in manu Dominæ pallio , fugit.* Thomas procacem *mulierem titione fugavit.*

D. Thomas puritate , & doctrina Angelicus.

D. Thomas Aquinatis caſtitas victrix.

D. Thomas caſtitatis Doctor.

Felix lucta non quæſita.

6 Verùm ad Davidem contemplandum redeamus. Cauſabamur victum : æquum eſt , ut & vincenti applaudamus. Quòque triumphus appa-

appareat illuſtrior, eum ſibi metipſi comparemus. Ergò occurramus è pugnâ revertenti, quin & è Gigante palmam reportanti. Videre eſt ibi puellarum agmina, feſtivos choros ducentia in occurſum illius. *Egreſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſraèl, cantantes, choroſque ducentes.* 1. Reg. 18. 6. Mira hæc victoris laus. Sed mirabiliùs certè quod è tot ſibi applaudentium puellarum nè vel unam quidem adamaverit, aut concupiverit. Ita nè? Ita ſanè. *Et* tamen idem ipſe, qui adoleſcens, & victor nullis feminarum blandimentis emolliri ad voluptatem potuit, ętate poſtea jam ſenior, curiſque regni diſtentus, vix mulierem vidit, & exarſit. *Vidit mulierem ſe labantem, dormivit cum ea.* Scilicèt, ibi feminæ adoleſcenti occurrerant; hìc longævus occurrit feminæ. Et quando periculum caſtitatis nobis occurrit, vel adoleſcentes triumphamus. Quando verò nos illi occurrimus, vel annoſi ſuperamur.

1. Reg. 18. 6. David caſtior adoleſcens, quam ſenex.

7 Quæris noti diſcriminis cauſam? Ediſſeram. Nam ejuſmodi hoc genus prælij eſt, quòd fugiendo meliùs, quàm reſiſtendo vincitur. Nonnè peccata inhoneſta vocabulo honeſto, hominis fragilitates appellare conſuevimus? Stultiſsimè itaque agit homo, qui fragilis cum ſit, huic pugnæ ſe committere audet. Vides, ut Tauros naturæ Conditor armaverit cornibus, Leones unguibus, dentibus Apros? è contrà Lepuſculis pernicitatem dederit, celeritatem Damis, Vulpibus aſtutiam? Nimirum illis, ut fortibus reſiſtere convenit. His ut infirmis, fugere expedit. Illi reſiſtendo vincunt. Hi, non niſi fugiendo, ſalvantur. *Defert ſalutem hanc præpes, & velucripes*, inquit apud Rabiſium Auſonius. Quanta ergo ſtoliditas eſt, fragilitatem fateri, & pugnam nolle vitare? Qui ſapiunt, ut in alijs tentationibus generoſa pectora ſumant, in carnis diſcrimine, pavidi fugiunt.

Peccata carnis fuga vincuntur.

Infirma animalia celeriora fortioribus

Auſou.

8 Audet Paulus, & exclamans, ingentia pericula provocare non timet. Sic enim loquitur, imò tonat ad Romanos 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an periculum? An perſecutio? an gladius?* Omiles generoſus! Tanta nè tibi adverſus gladios conſtantia? Tantumnè adverſus tribulationes pectoris robur? Quidni? *Certus ſum enim*, addit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura ... neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Ergo in argumentum ſuæ conſtantię gladios advocat, famemque, ac nuditatem provocat, anguſtias deſpicit, & pericula, mortem contemnit, ac vitam, nulliuſque creaturę, quæcùmque illa tandem ſit, occurſus expavet. Sic ille

Luxuria fugienda.

Rom. 8. 35

Ibid. 38. 39.

Viribus egregijs, & firmo robore præſtans.

Sed enim ad Corinthios ſcribens idem Apoſtolus, luxuriæ periculum fugiendum præcipit. *Fugite fornicationem.* 1. Cor. 6. 18. Quid? Congredi audet cum gladijs, cùm nuditate, cùm fame, cùm morte, cum tyrannis, cùm dæmonibus; cùm libidine autem congredi non audet? Fugam hìc conſuit, qui alibi hortatur ad pugnam? Ita. Quia reliqua peccata reſiſtentiâ vincuntur; luxuria verò tunc egregiè triumphatur, dum fugitur. *Fugite fornicationem.*

1. Cor. 6. 18.

9 Ubinam, nunc rogo, mens illorum eſt, qui ſuptà Apoſtolum prudentiores, ac, ſi dijs placet conſtantiores, luxuriæ periculis intrepidè ſe objiciunt? Adeonè animi fortitudine vigent, ut quòd Paulus fugiendum cenſuit, ipſi aggrediendum exiſtement? Quòd ſi tantum ineſt pectori robur, ſi tantâ animis fortitudo ſubeſt, ecce habes, quibus cum glorioſè poſsis certare. Oppone itaque pectus nuditati, fami, incendiæ, paupertati. Pedes conferto cum vitæ anguſtijs, cùm iniquis perſecutionibus, cum fraternis odijs, cùm famę periculis. Ecce ex ſeptem capitalibus, ut vocant, vitijs, ſex tibi licet aperto Marte expugnare. Dimica cùm ſuperbiâ, avaritiam protere, comprime iram, perime gulam, invidiam jugula, ſignitiem excute. Ergò ſiquidem generoſus es miles, exere hìc vires, fortiter dimica, atro-

Temeritas in rè luxuriæ.

Tentatio quæ fugienda, quæ reſiſtenda.

Mortificatio quærenda.

atrocitèr in prælio iſto concerta. Hoc unum caveas, nempe luxuriam.

Audaces ad luxuriam, in cæteris delicati.

Fugite fornicationem.

Verùm, ut prępoſterè res evenire ſolent, ſæpe quòque accidit. ut ij, qui ſe fortiter acturos contra libidinem præſumunt, contrà vitia reliquia nimis ſint delicati, & puſilanimes. Inordinati ſemper; ſed fatali, ut ita dicam, conſequentiâ. Nam neceſſe ſit, ut qui audaces ſe prębent ubi timendum fuerat, timidos ſe præſtent, ubi dimicandum viriliter. Verùm qui ad reliqua certamina pavent, & ad luxuriam audent, nullum illorum vitium ſuperare noſcuntur; quoniam timidi ab illis, & audaces à luxuriâ vincuntur.

10 Nè dicas, quid mihi nocebit mulierem aſpectus, feminarum conſortium, puellarum colloquia? Tu videris. Ego ſinceram urbanitatem non damno, ſed periculoſam temeritatem coarguo. Quid tibi nocebit, inquis? Et ego: Ecquando nam tibi ſerpens momordit? Hunc tamen fugis. Quid ſi tibi aliquandò geminum infigit libido? Quid ſi infecit veneno? Quid ſi necavit? Audebis nilominus? Saniùs Medeę conſuluit vel Iaſon:

Fuge peccatum, quaſi colubrum.

Quin ipſa caſus ſępè iam expertos time.

Salus animæ vilior eſt nobis, quam corporis,

Ergò ſi tibi non charior eſt corporis, quam animę vita, animę ſaluti provide, ſicut corporis incolumitati. Eccleſiaſticum audi 21. 2. *Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te.* Alij: *tanquàm ſerpentem fuge peccatum: nam ſi acceſerit, mordebit te.* Ergo, ut ſerpentem fugis, fuge peccatum. Atqui, ſi non omninò ſtolidus es, fugies colubri nedum morſum, verùm & tactum, quin & acceſſum, imò & viſum. Prudentèr. Et hoc nè mortalem vitam periculo exponas. Cur ergò cum de animæ periculo agitur, minore ſolicitudine angeris? Ecce ſerpit voluptas, ut coluber. Accedit; edibus concupiſcentiæ. Noli ergò ſuſtinere, donèc lædaris. Mox, ut videris, fuge. *Quaſi à facie colubri, fuge peccata. Tanquàm ſerpentem fuge peccatum: nam ſi acceſſeris, mordebi te.* Elegantèr S. Paulinus *Natalit.* S. Felicis.

Eccli. 21. 2

Ut faciem colubri Salomon peccata timeri,
Horreri que monet, dicens, armata leonis S. Paulin.
Dentibus: & verè, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra voluptas.

11 Aliam dhùc temeritati tuę excuſationem prætendis. Deus, inquis, efficiet, nè cadam: tenebit me dexterâ ſuâ. Sed è veſtigio occurrit tibi D. Auguſtinus lib. 16. de *Civit.* cap. 16. & ait. *Qui non pręcavet periculum, quod præcavere poteſt, potiùs tentat Deum, quàm ſperet in eo.* Quòd tibi à Domino pròmittis auxilium, ubi periculum præcavere non vis, nimis quàm tibi indulges; nàm quam confidentiam credis, puta pura tentatio Dei eſt. Ille tutò in Domino confidere valet, qui ex inopinato incurrit periculum. Qui autem ex animi deliberatione illud quærit, temerè auxiliatricem Dei manum ſibi adfuturam ſperat. *Deus noſter refugium, eſt virtus*, inquit Pſalmographus. Felices nos, quibus tutiſsimum refugium, roburque firmiſsimum Deus eſt. Preterea: *Adiutor in tribulationibus.* Quid ergò tribulationes formidamus, contrà quas Deus validiſsimum pręſtat auxilium? Licet ergò nobis ſub tanto duce tribulationes quaſlibet provocare, pericula adire. Blasfemaris. Quò ſanam verborum intelligentiam poſsis capere, atteXe pręcedentibus ſequentia: *Adjutor* inquit *in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Pſal. 45. 2. Notaſtin? Deus refugium nobis eſt, virtus quòque, & adjutor, ſed in tribulationibus, quæ invenerunt nos: non ita in tribulationibus, quæ nos voluntarie quærimus. Si nos tentationes convenerint, ſi carnis tribulationes invaſerint; tunc præſtò Dei auxilium nobis periclitantibus aderit. Sin verò minus cauti tentationes eligimus, ſi voluptatis pericula amamus, temere tunc Dei auxilio confidimus nos jubandos.

Vana confidentia in Deo.

Auguſt.

Deus tentatis adeſt; ſed tentationes non quærentibus.

Pſal. 45. 2.

Tentatio non quærenda.

Nam,

Nam, qui adjutor eſt intribulationibus quæ invenerunt nos nimis, haud ſuam pollicetur opem in tribulationibus, quas nos ſtudiosè invenimus. Ergo a tentatione circumventi ſperent in Domino. Illi porro qui data opera tentationes inveniunt, timeant potius; ſoli quippè Deum quaſi obligant, qui inviti pericula incurrunt; Numen verò irritant, qui pro lubito, animæ diſcrimina ambiunt.

Deum irritât, qui pericula ambiunt.

Pſal. 105. 29.

12 *Irritaverunt eum in adinventionibus ſuis*, inquit David Pſalm. 105. 29. ? Qui ? Quem ? In quibus ? Iſraelitæ Deum in amplexibus cum Moabitarum feminis. Primò nota, tam grande ſcelus adinventiones appellari; ut diſcas, quanta ſit inter adinventionem peccati, & peccatum ipſum connexio, quando quidem uno vocabulò utrumque ſignari conſpicis. Peccas itaque in adinventionibus tuis; quòd eas tentationes curiosè quæris, quas vitare debueras: namque, ut ſignificetur ſcelus fuiſſe commiſſum, ſat fuit dicere, quæſitam fuiſſe occaſionem peccandi. Deinde adverte, adinventiones Iſraelitarum dici, quas tamen conſtat, fuiſſe adinventiones Moabitidum. Nam ut narrat Numerorum liber 25. 2. Moabitidæ, quò filios Iſràel caperent, invitarunt ad ſacrificia ſua, eòque dolo illaqueati ipſi, & eiſdem cæco amore, & dijs earum inſanò cultu adhæſerunt. *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua.* Magis ergò videntur irritaſſe Deum in adinventionibus Moabitidum, quàm in adinventionibus ſuis. Sed prudentiſsimè dicuntur peccaſſe in adinventionibus ſuis; nanque eam occaſionem adinveniſſe cenſetur, quàm quiſquis libentèr admittit, cum refugere debuerat. Invenis ergò occaſionem peccandi, cùm eam vel ſpontè oblatam non recuſas. *In adinventionibus ſuis.*

Peccati pericula adinvenire, peccare eſt.

Ocaſionem malam, qui non recuſat, etiam oblatam, ad inveniſſe dicitur.

Familiaritas cùm mulieribus vitanda.

13 Reſtat expendere illud: *Et irritaverunt eum in adinventionibus ſuis.* Certè cùm aliegenis commiſceri feminis, falſoſque earum Deos colere, uſque adeo grandia fuere flagitia, ut eorum quodlibet veri Numinis iram provocare ſufficeret. Quid ergò eſt, quòd non tàm ſcelerum magnitudine, quàm eorundem adinventionibus commotum Deum, Regius Propheta commemorat ? Quia nimirùm, plus Deum irritat peccatorum adinventio, quam eorum commiſsio. Quòd peccatis homo ſuccumbat, fragilitas eſt carnis; quod ea ſuis adinventionibus procuret, iniquitas eſt mentis, & perverſi cordis malitia. Illud humanum; hoc diabolicum. Ideò, ubi tàm immania ſcelera admiſſa fuere, ob adinventiones Deus commotus deſcribitur, quippè qui non tàm ſolet provocari flagitijs, quàm ad inventionibus eorum. *Et irritaverunt eum in adinventionibus ſuis.* J nunc, & in tuis adinventionibus Deum propitium tibi finge. Externas feminas adi, ama cum puellis colloquia, cùm matronis familiaritatem. Cùm his diffusâ hilaritate convivito, ſalta, tripudiaride, nuga. Et cum hæc adinveneris, tunc enimuerò Deum, nè cadas, auxilium tibi allaturum confide. Ha ! Magna eſt fides tua. Sed time, nè potiùs tentatio Dei ſit, quę tibi fides videtur: nève magis Numinis iram provoces, ubi ſtolidâ præſumptione propitium tibi promittis. Etenim nihilo magis ira ipſius, quàm adinventionibus provocari videtur. *Et irritaverunt eum in adinventionibus ſuis.* Ergò occaſionem criminis vitet, qui crimen cupit vitare: quique non vult exûri, fumum ne ambiat. Benè Plautus.

Peccata ex malitia graviſsima.

Familiaritas cùm.

Semper tu ſcito, flamma fumo proxima eſt.
Fumo comburi nil poteſt, flamma poteſt.

Plaut.

Quò etiam expectat & illud ingenioſiſsimi Poetę monitum.

Quid facies, facies veneris ſi veneris ante ?
Nè ſedeas, ſed eas, nè pereas pereas.

Adinventiones peccatorum quàm Deum irritent.

DISSERTATIO IV.

A SCINTILLA UNA augetur ignis.

Familiaritas mulierum vitanda.

Mart del Rio Eccli. 11. 34.

1 INter *Adagialia Sacra* hoc ponit, & exponit eruditiſſimus P. Martinus del Rio, excerptum ex Eccleſiaſtic. *cap.* 11. 24. S. Cyprianus lib. de *Singular. vit. Clericor.* ſententiam accomodat converſationi cùm mulieribus: modica enim cum eis familiaritas inſtar ſcintillæ proſerpens, magnum tandem libidinis incendium ſuſcitare conſuevit.

Ex minima ſcintilla maximum incendium.

Minima non ſpernenda.

D. Hieron.

Scintilla res parva eſt, inquit D. Hieronymus in cap. 5. ad Galat. *& penè dùm cernitur, non videtur. Sed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui, quamvis parvus ignis invaſerit, mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus, regionèſque conſummit.* Conſonat S. Gregorius, de Vitijs levibus, in ſententijs:

D. Gregor.

Ingentem flammam per exigua quòque ſcintilla excitat.

Curt.

Et Q. Curtius lib. 4. cap. 4. *Parva ſæpè ſcintilla contempta magnum excitavit incendium.* Et Euripides apud ſtobæum Serm. 39.

Eurip.

Parva enim facula cacumen
Idæ
Incenderit aliquis.

D. Jacob. 3. 5.

Attentos nos facit illa D. Jacobi ſententia 3. 5. *Ecce quantus ignis, quàm magnam ſilvam incendit!* Hoc eſt, quantulus ignis, aut quantillus.

D. Ambroſ. Libido. ignis.

D. Ambroſius *tract.* de 42. *Manſion.* in 36: *ecce parvus ignis.*

2 Porrò, libidinem eſſe, ignem, tùm ſacrâ, tùm profanâ eruditione convincitur. Sanctus Job 31. 12. de luxuriæ malis agens, *ignis eſt*, inquit, *uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*

Job. 31. 12.

Eccli. 9. 9.

Ecclesiaſticus 9. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit.*

Ibid. 11.

Et iterum 11: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt: colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.*

Philipp.

Philippus Abbas ad locum Jobi: *Hæc funeſta, ac deteſtabilia cogitare, vel facere, eſt ignis incentivę libidinis, omnia virtutum devorans, àtque univerſa in homine ſanctarum rerum incrementa conſummens.*

D. Gregor.

S. Gregorius ſuper 1. Reg. cap. 15. *Quid eſt libido niſi ignis?*

D. Baſil.

S. Baſilius de Ver. Virginit. *Ignis ardens eſt in omnibus membris.* Nil hâc phraſi frequentius apud Poetas Ethnicos offendes. Virgilius 4. Æned.

Virgil.

Cæco carpitur igne:

Tibullus de Sulpicia ad Cherinthum, quem perditè amabat, lib. 4.

Tibul.

Uror ego antè alias: juvat, hoc, Cherinte; quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adeſt.

Quid his, vel tonſoribus, & textrinis notis, lectorem morer, & offendam? Super ſedeo à conglobandis auctoritatibus, dum Concionatoris partes ago; nè cùm orationes inſtituo, Polyantheas tranſcribere videar.

In oculis ſcintillę libidinis.

3 Jam verò oculos eſſe Sagittarios ignitos, multis oſtendimus in *Expoſit. Liter. num.* 31. At quantula eſt oculorum ſcintilla? Linceus ut fueris, haud tibi eam videre continget. Adeo eſt illa minutiſsima; ſed mirum eſt quàm ingentes flammas ſæpè excitet. Ea una contempta totum hominem exurit.

Libidinis ſcintilla totum hominem inflammat.

Scintilla magnas parva flammas excitat:

D. Greg. Niſ.

Ac viperinum ſemen haud rarò necat.

Omne peccatum quamlibet parvum cavendum.

Ob idque noxam quamlibet parvam fuge.
Nàm parva primum ſit licèt, creſcit tamen.

Canit S. Gregorius Niſſenus in Tetraſtichis. 13. Meritò hinc oculis fornicatio tribuitur in ſacris literis: *Nec ſequantur oculos per res varias fornicantes.* Num. 15. 39. Quoniam libidinis ſcintilla, in oculis ſemel admiſſa, totos hominis artus inflammat, ni protinus fuerit extincta. Eleganter S. Orentius in Monitor.

Num. 15. 39.

S. Orent.

Congreſſus præſtat viſum, mox lumina viſu
Concipiunt flammas, parturiuntque nefas.

4 Id, ni fallor perbellè confirmat pulcerrima illa Domini ſententia: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Luc. 11. 34. Quando oculum di-

Luc. 11. 34.

Oculorum cuſtodia non crimen tantum, ſed criminis vitanda occaſio.

dicit corporis eſſe lucernam, clarè docet, quanta cùm diligentiâ cuſtodiri debeat. Parva flamma eſt lucerna, adeòque tenuis igniculus, ut leviſsimo ſpiritu illam extinguas. Perexigua tamen hæc ſcintilla neglecta, pulcerrimas domos non ſemel abſumpſit. Modò auſculta evangelici Prophetę dictum: *Omnis caro fœnum* Iſai. 40. 6. Ergò à fœno carnis amovenda eſt lucerna oculorum, nè totum corpus exardeat. Lucerna ſi fœno applicetur, vaſtiſſimum procreabit incendium, quo breviſsimè vel ſuperba ędificia, altiſsimæque turres redigentur in cineres. Oculus itàque lucerna eſt corporis, & quidem tenuiſsima; ſed à quâ totius corporrs incendium meritò timeas. David, ut oculorum lucernam fœno Bethſabeæ applicuit, fędis ignibus extuabit. Exarſit Joſephi Domina, ut pulcrum aſpexit Juvenem. *Injecit Domina ſua oculos ſuos in Joſeph, & ait: Dormi mecum* Geneſ. 39. 7. Vide ergò quantos ignes una oculorum ſcintilla progignat. Aptiſsimè ad rem, eandem metaphoram pertractat D. Chryſoſtomus hom. 3. de Verb. Dom. *Ut ignis ubi fœnum aliquod, aut culmen arripuerit, nil moratur, ſed ſimul lucidam accendit flammam; itidem & ignis concupiſcentiæ, qui eſt in nobis, ſimul atque per oculorum intuitum elegantem, ac venuſtam attingerit formam, protinùs exurit animum.*

Iſai. 40. 6.

Oculus lucerna, & caro fœnum.

Geneſ. 39. 7.

D. Chryſoſt.

5 Noli arbitrari, parvùm homini imminere incendium, ſi ſemel libidinis ſcintillà in oculis ardere incipiat. Edacior eſt, quàm ut oculorum paſtu ſatietur. Ni illicò ſtinguas, omnia corporis membra nigrò vaſtabit incendio. Conſequenter ab illa verba, hæc ſubjunxit Dominus: *Si oculus tuus fuerit nequàm, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Matth. 6. 23. Oculus *Nequam* impurus eſt, & immundus; ſicut è contra, *ſimplex* purus, & mundus, ut ſupra notavimus. Iam verò quid impurius, ac tetrius, quàm id, quod vaſtavit ignis? Ideò *Ater* ille dictus, quia quidquid attingerit, atrum reddit. Ovidius 2. *Faſtorum.*

Oculorum ſcintilla totum hominem ardere facit. Matth. 6. 23.

Ignis cur *ater* dictus.

Ovid.

Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris - Aufer.

Ergò ſi oculus nequàm fuerit, totum corpus erit tenebroſum; quoniam ubi luxurię flammis oculos funeſtari contigerit, protinùs reliqua corporis membra eodem igne fędantur. Siccanea materia eſt humana caro: citiſsimè flagrat. Non tam concipiendis ardoribus apta ſtipula, quàm illa ardere facilis impuris ignibus. Vel ſcintillulâ luxuriantis oculi incenditur homo; totòque corpore nigris flammis exardeſcit, vel oculi pupillà atro igniculo fedatâ. *Si oculus tuus fuerit nequàm, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Ergò præcavendæ huiuſmodi ſcintillæ; nequando incarnis ſiccum culmum exiliant, & totus homo turpi deflagret incendio.

Ignis libidinis ut hominem fœdat.

6 Quid ſi vel ob diutinæ caſtitatis conſtantiam, vel ob annorum infirmitatem, vel certè ob inimicam veneri conditionem luxurię ignis vix poſsit accendi? Et ego iſthęc vix adduci poſsim, ut credam: quandoquidem quotidiana experimenta contrarium ſenſuum extorquent. Ut ut ſit; quæ rariſsimè eveniunt, in admirationem ſunt, non in doctrinam. Meà quidem ſententiâ, nulla ætas, nulla conditio tàm frigida eſt, tamque inſenſibilis, ut non protinus ardeat, ſi ſemel oculis ſcintillam admiſerit. Dabo è re lapidaria mirum quidpiam, ſi non verum, certè propoſito noſtro aptiſsimum commentum. Fides ſit penes Petrum Damiani *lib. 2. epiſt.* 18. ubi hæc habet: *In quodam monte Orientis lapides ſunt igniferi, qui maſculus, & femina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli: qui, nimirum, cùm à ſe invicem procul ſunt, non accenduntur: ſi verò femina appropinquaverit maſculo, protinus ex eis ignis egreditur; ita ut omnia, quę circa montem ſunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipſis ergo lapidibus edocemur, ut ſi conſummi libidinis incendio nolumus, muliebris aſpectûs ſpeciem declinemus.* Præclarè. Quid enim lapide frigidius? Quid durius? Quid inſenſibiliùs? Et tamen ad ſolam præſentiam feminæ ardet. Non fricatione, non opus eſt tactu; uno aſpectu igneſcunt Pyroboli: tanta-

Circumſpectio omnibus neceſſaria.

Luxuria omnes invadit.

Lapidis Pyriboli natura.

taſque flammas concipiunt, ut proxima quæque in cineres, in favillam vertant. Noli ergo inveterate dierum, aut præſumptuoſus, aut negligens, oculorum ſcintillas contemnere: etenim ſi propriùs mulieris faciem intuearis, oſſa illa frigida, caleſient ſatis.

Ignis libidinis vel ſeniori-bus non parcit.

7 Vide, ut luxuria in nivibus ardet. Vide, ut ſcintilla ab oculis proſiliens, vel glacies in flammas vertit. Contuere pudicitiæ Suſannę inſidiatores. Nil ſpectabis niſi carioſos Senes, canis aſperſos, rugis aratos. *Conſtituti ſunt de populo duo Senes.* Dan. 13. 5. Has tamen nives arſiſſe comperies. *Exarſerunt in concupiſcentiam eius.* Quæ porrò tæda fuit illa, quæ glaciem in ignem convertit, & quidem non propè clibanùm, ſed piſcinam? Quid tædam commemorem? Fulmen à Iove miſſùm dices, vel ignem è cælo pluvium, qui Alpium nives flagrare coegit. Erras. Oculorum ſcintillæ tàm grande incendiùm in nivibus excitarunt.

Dan. 13. 5.

Ibid. 8.

Videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & egredientem: et exàrſerunt in concupiſcentiam illius. Ibid. 8. Senes ſunt qui ardent, ſi ſenes ſunt qui vident. Viderunt, arſerunt. Itaque vel nives ardent, ubi oculi flagrant.

Libido etiam Judices exúſit.

8 Quid quòd & ij Iudicum tùm populi fungebantur officio? *Conſtituti ſunt de populo duo ſenes judices in illo anno.* Ibid. Nec vel proprij muneris reverentia ignes compeſcere valuit. Mirum? Securibus terrebant delinquentes, lictoribus mulctabant, leges evolvebant, ſupplicia in pèccantes decernebant frequenter. Verùm in tanta ſeveritatis oſtentatione auſus prorrumpere Veneris ignis. Quis ſuſcitavit? Oculus. *Videbant eam Senes quotidie, & exarſerunt in concupiſcentiam illius.* Ut ardeant ſubſellia, ut faſces comburantur, ut Iudices flammeſcant, ſat eſt ſcintilla una oculis admiſſa. Quæ magis contraria, quàm Aſtræa, & Venus? Quid tribunali commnne cùm viridarijs? Quid virgis cùm amplexibus? Quid ſeveritati legum cùm teneritudine amorùm? Et tamen Venus de Aſtræa triumphavit; tribunal fecit æſtuare, Virgas ardere, Iudices acris ignibus flagrare. Uſque adeò impotentes incendarij ſunt oculi, ut nec frigus ætatis, nec ſubſelliorum auctoritas ab eorum inſultibus ſint immunes. *Videbant eam Senes, & exarſerunt in concupiſcentiam illius.*

9 Quoniam autem exiſtimare quis poterit, oculorum ſcintillas acerbiùs à me damnatas; audiamus Uxoris Loth triſte ſupplicium. Extremò Deus exitio nefariam Sodomorum Urbem funditùs delere juſsit. Quòque igne extingueret ignem, flammis perire voluit, quos libidinis flammâ ardere conſpexit. Ergò ſubitò cælum detonuit, atque inſolitum remugijt: ſecuta deinde crepitantium flammarum nimboſa quædam procella, quâ irruente ſuper Urbem, horribilia undique ſuſcitantur incendia. Tunc levis mulier ſtrepitu imbris flammei decidentis excita, oculos retorſit, & perijt. *Reſpiciens Uxor Loth poſt ſe converſa eſt in ſtatuam ſalis* Gen. 19. 26. Quale peccatum tantum ſupplicij commeruit? Reflexerit illa oculos vel fragore excita, vel curioſitate mota, vel pietate in patriam concita. Quantum hoc, rogo, peccatum, quòd tam grave commeruit ſupplicium? Dices: Ideò in ſtatuam obriguiſſe; quia contra Domini præceptum retro ſpectavit in Urbem. *Noli reſpicere poſt tergum.* Ibid. 17. Et id in rem meam ſonat. Namque iterùm rogo: Et cur Deus miſerorum ſupplicium prohibuit aſpicere? Nonnè vides in libidinoſos ſulphuream illam tempeſtatem immiſſam? Igitur interdixit Deus impudicorum hominum ſupplicia vel oculis aſpectare: nè forte fortunâ aliqua punitę libidinis ſcintilla in oculos ſpectantis reſiliret, quâ tota illa mil errimè conflagraret. Cavit itàque Dominus mulieris periculo, nè pietatis ſpecie calorem luxuriæ, vel caſtigatæ, quodam modò hauriret. Uſque adeò quippè hic ſceleſtus ignis eſt flammiger, ut oculos etiam procùl ſpectantes exurere valeat. Perijt itaque mulier, ne periret. Perijt ſale, nè periret igne. Luxuria quippè ſi ſpectetur, vel cùm extingitur, urit. *Reſpiciens ſta-*

Dei vindicta in libidinoſos.

Supplicium Uxoris Loth.

Gen. 19. 26.

Inobedientia Deo valde exoſa.

Ibid. 17.

Luxuria vel cùm extinguitur, urit, ſi ſpectatur.

uxor Loth poſt ſe, converſa eſt in ſtatuam ſalis.

Obiecta turpia cavenda.

10 Favet cogitatui D. Ambroſius *lib. 2. de Virgin.* ubi inquit: *Ne reſpicias retrò memor Uxoris Loth, quæ naturam ſuam, quia impudicos, licèt caſtis oculis, proſpexit, amiſit.* Caſti licèt ſint oculi, & caſti aſpectus, digni tamen ſunt, qui pereant, ſiquidem in impudica obiecta diriguntur: quoniam & ſi primo aſpectu fortè haüd flammentur, abſdubio æſtuabunt, ni protinus avertantur. Non sàt eſt homini, quod caſtis oculis polleat: cautos quóque habeat oportet; Ignea nàmque illis natura. Vel caſtiſsimus eorum ardebit, ſi impuris ignibus adhęrère non refugit. Cave ergô, vel flagrantem Sodomam videre, nè, dum ultrices flammas curiosâ contemplaris pietate, ſceleris ulti recordatione conflagres. Fuge ergô vidêre, ſi non vis ardêre. In monte ſalvum te fac: nam quò remotior, eò ſecurior.

Curioſitas periculoſa.

Quantùm oculis, animo tam procul ibit amor.

Canit Poëta, quotidianaque experientia teſtatur.

DISSERTATIO V.

FUCATA PIGMENTIS mulier luxuriam portat in facie.

1 FEminei ornatûs haüd fuerim ruſticus cenſor. Indulgeam quidquid approbat modeſtia: coarguam quidquid illa reprehendit. Agreſtem & inhumanam negligentiam nimis agreſtis eſt qui laudarit: mundiciem nimis excultam & exquiſitam, qui non reprobat, is profectò ſtultiſsimę mentis eſt homo, àtque vanitatis ſectator ſtolidus. Ego in feminâ decentem ornatum probo, àtque ad modeſtiam com poſitam faciem. Improbo ſtudioſè cultam, fucorumque lenociniis expictam. Quidni improbem? *Lenocinia formarum*, inquit D. Cyprianus lib. de Habit. Virg. *non niſi proſtitutis, & impudicis feminis congruunt.* Quid enim turpiùs, quid libidinoſiùs, quàm crines calamiſtro rotare, tingere genas, ungere faciem, prôducere ſupercilia, oculos pingere? Hoc certè ornatus non eſt, ſed quoddam ſcortationis ingenium. Crede Deo, ſi mihi credere renuis.

Mulierum ornatus vanus improbatur.

D. Cyprian.

Lenocinia formarum.

2 Sic enim loquitur de quadam femina, apud Oſeam 2.2. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua.* Eggregia ſane Commutatio! Notaſtine? Arbitror. Ergô & facie meretricium exercetur: niſi enim turpitudines illæ proſtarent in facie, haüd moneret Deus, ut tollerentur ab ea. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua.* Sed ſcire aves, quas Dominus appellet fornicationes faciei? Vatablus ex Lyra noſtro refert ad medicamina faciei, & ad ementitos genarum, & labiorum colores. Optimè. Facies ergô turpiſſimè fornicatur, dùm pingitur: quippè formæ lenocinia apud Domini Lexicon fornicationes dicuntur. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua.* Videant, quid hic noſtri ſæculi Virgines, nuptæ, matronæque reſpondeant. Quinimò earum Doctores hoc videant, *qui* (verba ſunt Doctiſsimi Expoſitoris Riberę ad hunc locum) *mirâ facilitate hoc excuſant, & cauſas hinc inde quæritant, ac nèc reprehendendum quidem iam in feminis putant.* Caſtos animos ſe habere jactitent. Eſto. Quandiu verò adulterina formæ ornamenta non reſpuerint, fornicationes in facie geſtare dicentur. Quod apud mundi Dictionarium cultum ſignificat, apud cœleſte Vocabularium putidum ſonat: quoniam meretricium eſt apud Deum, quod apud homines elegantia creditur. Ergô, quæ Deo non meretrix probari cupit, *auferat fornicationes ſuas à facie ſua.*

Facies fornicantes, quæ Oſeæ. 2. 2.

Lyra. Vatabl.

Doctores nimis blandi.

Riber.

Meretricium eſt apud Deũ, quod apud homines venuſtum appareat.

3 Quid quod medicamina formæ non adulteria dixit, ſed fornicationes? Nota hanc differentiam cùm Hieronymo hic: *Fornicaria eſt, quæ cùm pluribus copulatur; Adultera, quæ unum virum deſerens alteri jungitur.* Vides, ut non unam libidinem geſtet in facie mulier fucata? Non illa in vultu adulteria, quod ſatis foret in fame, ſed fornicationes geſtare deſcribitur: quaſi quæ non unius luxurię, ſed omnium prætereuntium ſit expoſita: adultera quippè certæ libidini ſub eſt: fornicaria incertæ & vagę ſubſervit. Inde quippè dictas fornicarias ſcimus, quod ſub fornibus,

Fornicariæ ab adultera differentia, D. Hieron.

Fornicaria unde dicta.

bus, id eſt, arcubus, turpem quæſtum exercebant. Seneca Controv. lib. 1. *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* Et Juvenal. Satyr. 3.

Senec.

Juven.

Lennonum pueri quocùmque
in fornice nati.

Quòque magis laſcivientium animos pellicarent, fornices ipſos quanto poterant artificio ornabant, proprio in eorum fronte cujuſque nomine inſcripto. Martialis *epigram.* 46. *lib.* 11.

Mart.

Intraſti quoties inſcripta
limina celle.

Vide quę diximus *tom.* 1. *commut.* 3. *diſſert.* 11. *num.* 6. Non ergò inter adulteras, ſed inter vagæ libidinis ſcorta numerat Deus feminas illas, quæ pigmentorum artificio faciem colorant; quoniàm ſub pictis genibus, & oblinitis oculorum ſuperciliis, quaſi ſub fornicibus pellicatum exercere videntur. Tollat ergò à facie ſuâ fucorum uſus, quæ faciem fornicariam geſtare non guadet. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſuâ.*

Scribere faciem, cur feminæ dicatur. D. Nazianz.

4 Ne nimis acer noſter calamus putetur, advoco in ſubſidium Magni Nazianzeni pennulam: ſic enim ille ad quandam ſuę formę nimis amantem loquitur in Præcept. ad Virg. *Ne ſcribas faciem infelix.* At qui femina, quæ venuſtandæ faciei gratiâ medicamentis utitur, meritò eam expingere dicitur. Equidem oculos circumducto nigrore fucare, genas acquiſito rubore perfundere, labia purpureo colore inficere; quid aliud eſt, quàm graphicè pingere vultus? *Quanta amentia eſt, effigiem mutare, naturæ picturam quærere?* inquit Auguſtinus lib. de *Serm. Dom.* Aſt quo pactò ſcribere faciem dicitur, quæ eam variis oblinit coloribus? Arbitror nihil probroſius fucatę feminæ potuiſſe obijci. Vulgarium meretricularum impudentia fuit, propria nomina frontibus inſcribere. Undè Cordubenſis Philoſophus *lib.* 2. *controv.* 2. (ſic corrigendus error tomi prioris loc. cit.) *Stetiſti cùm meretricibus: ſtetiſti ſic ornata, ut populo placere poſſes: nomen tuum pependit in fronte.* Impudentiam ergò taxat Nazianzenus in feminis, curantibus faciem, cùm non eas pingere vultus, ſed ſcribere notat: etenim faciem ſcriptam geſtare, earum dumtaxat eſt mulierculorum, quibus pudor nullus in fronte. *Ne ſcribas faciem infelix.* Vide quibus cùm comparari ſis digna, dum ornatior apparere ſatagis.

Facies picta quæ.

D. Auguſt.

Senec.

Nomina meretricium frontibus inſcripta.

5 Aliqua forsàn dicat: Non eſt mihi opus, vitæ meæ rationem hominibus probari: nec humanum teſtimonium requiro: quod, ſicut ab oculis externa ſolùm conſpicientibus, pendet; ita de internis falſus teſtis frequenter eſſe ſolet. Deus conſpector eſt cordis: quò quidem illi placere poſſum, vel cùm corporis cultum non negligo. Argutula nimis ratio, quæque ſimplicium mentibus egregiè imponere valeat. Oſtende mihi cordis pudicitiam ſinè pudore vultus: & ego ex vultus pudore tibi cordis pudicitiam oſtendam.

Feminarum ſe pingentium excuſatio frivola.

Mulieres bonæ ſuæ famæ conſulãt.

Quid agunt in corpore caſto
Ceruſa, & minium, centumque
venena colorum?

Claud. Mar.

Quærit Claudius Marius Victor in *epiſtol.* ad Salmononem. *Excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis, & pudica: redarguit te cultus improbus & impudicus,* inquit D. Cyprianus, de *Habit. Virgin.* Quis credet tibi dicenti caſtam te habere mentem, ubi viderit te non caſtam faciem geſtare? Quid quod lingua pudicam aſtruat, quam facies turpem declarat? Sane Dominus intuetur corda, ſed homines de facie judicant. Et ubi nil honeſtum vident, nihil honeſtum ſuſpicari conſuerunt.

D. Cyprian.

Haũd caſta putatur, quæ vultu non apparet.

6 Quæ feminarum Judithâ ſanctior, aut caſtior? Virum, defuncto viro, vel dives, vel pulcra, vel ætate florens, non agnovit: jejunavit in epulis, oravit in caſtris; quòdque ſtupendum magis, propè lectum luxurioſi Principis ſola, & extranea caſtitatem ſervavit. *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Judith 13. 20. Hoc autem caſtitatis miraculum, pudoris lilium, honeſtatis ſpeculum audet impurus Vagao de pudicitia tentare. Sic eam alloquitur turpiſsimus leno: *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur antè faciem eius.* Honeſto vocabulo rem in honeſtam ſignificavit, conſuetà nimirùm aulicorum phraſi, apùd quos tunc demùm principes feminas honorare cen entur, cùm polluunt. Sed de hoc alias jam dixiſſe me memini. Quæro ad pro-

Judith. 13. 20.

Ibid. 12 13

Honor infamis.

Apud Aulicos corrumpere feminas, honorare eſt.

propoſitum. Quid in caſtiſsima Matronâ vidit Eunuchus, quò ſpem fecerit ſibi, oblatos eam Principis amplexus admiſuram? Fuerit Judith pulcra nimis; ſed & oris majeſtate fulgebat: ut quos pulcritudine alliceret, majeſtate arceret. Eſt quippè pulcritudo venerabilis, ubi venuſtati oris gravitas frontis accedit. Quid ergò fuit, quòd honeſtiſsimam feminam tentare Vagao non eſt veritus? Nimirùm, advertit præter veſtium elegantiam, oris quoque lenocinia in auctuarium pulcritudinis. *Unxit ſe mirò optimo.* Unctio itàque fuit occaſio ſuſpicandi de femina caſtiſsima, non caſtè: crediditque expertiſsimus leno, haùd vehementer recuſaturam libidinem, quam unguentis fucatam ſpectabat. Undè ex familiàri laſciviæ indicio rem metitus, audet pudiciſsimæ Matronæ pudicitiam tentare: quoniam, ut eſt hominum opinio, haùd creditur honeſta, quæ pictam faciem præſefert. *Unxit ſe mirò. Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur antè faciem ejus.*

Pulcritudo non nocet gravitati adjuncta.

Turpitudinis indicia.

Ibid. 10. 2.

7 Et quidem, quòd Judith ornavit ſe, quòd ſe lavit, quòd ſe unxit, quòd purpura rubuit, quòd auro micuit, quòd calamiſtris, mitrâque reniduit; non utique femineæ levitatis fuit artificium, ſed eximiæ virtutis ſtudium; quin imò divini conſilij ingenium; quod ſacer Calamus teſtatum reliquit conceptis his verbis: *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideò Dominus hanc illi pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* Ibid. 4. Nihilominus tamen haùd potuit evadere, quin ſiniſtram de ſe ſuſpitionem incurreret, imò quin veluti minùs caſta tentaretur. Qualem ergò hominum cenſuram promittent ſibi feminæ ceruſſatæ, unguentatæ, pictæ; quarumque compoſitio, ſi non ex quæſitâ libidine, certè ex virtute caſtitatis non pendet? Quæ Dei conſiliò ſe ornavit, imò, quæ Dei manu fuit ornata, credita eſt non adeò invincibilis pudicitiæ femina; & ſperat audiri honeſtiſsima, quæ diabolicò ingenio oris pulcritudinem exaggerat? Per me licet. Neque enim in ferendo piò de honeſtate ſuffragiò durus ero: quin omnes admonitos velim, nè temerè judicium præcipitent. Sed valdè dubito; nùm tantam pietatem velit permittere fucus ipſe. Neque itèm tàm facilè tentarentur fucatæ, ſi non tàm faciles crederentur. *Unxit ſe mirò optimò. Non vereatur bona puella, introire ad Dominum meum, ut honorificetur antè faciem eius.*

Judith Sanctè ſe ornavit.

Cap. 10. Ibid. 4.

Fucus tentationum occaſio.

Mulier fucata vix creditur honeſta.

8 Non his acquieſcit ingenium mulierum: & ut ſunt ornatûs ſui nimis amantes, Judithæ exemplò vanitatis phaleras excuſare pergunt. Ergò inquiunt: Culta Judith, & unguentata Deo placuit. Quid ni placebimus & nos ceruſſatæ, & excultæ? Parùm illa fecit hominum judicia, conſcientię puræ teſtimonio contenta. Cur non & nobis licebit nigram Vulgi cenſuram contemnere, ubi impuritatis nil nos conſcientia redarguit? Deliratis, bonæ feminæ, deliratis. Ecquæ nam ex vobis eſt, quæ tàm ſanctè ſe ornaverit, ut Juditha? Illa ſe ornavit, ut hoſtem religionis proſterneret, ut patriam ſalvaret, ut Cives à dirâ fame, gladiòque imminente vindicaret. Hùc tetendit Judithę myron, calamiſtrum, calantica, chlamis, ſandalia, dextraliola, lilia, in aures, annuli, & ſi quæ aliæ ſunt pulcritudinis phalerę. Vide, nùm eodem quo Juditha animò corporis procuraveris cultum. Nùm rogo; compta procedis, ut hoſtes animæ eneces; an fortè, ut amicos oblectes? Num unguentò te illinis, ut patriam ſerves; an forsâm ut concives inflammes? Nùm liliis, & floribus vernas, ut miſerorum conſulas inediæ; an forſitàm, ut opulentos depauperes? Nùm divini Nominis zelus pulcritudinis tibi arma miniſtrat, quibus exturbentur Idolatrę; an fortè Cupidinis ęſtus tela ſub miniſtrat ſua, quibus veri Dei cultores veneri porrigant herbam? Nimirùm, hoc timendum, illud haùd tibi ſperandum. Laudabimus ergò feminas, ſi quæ eodem animò, quo Juditha, ſe ornaverint.

Judithæ ornatus mulieribus non favet.

Damnatur cultùs feminarum nimius.

9 Néque eſt quòd glorieris de candore mentis apud Deum, dùm faciem geſtas depictam. Falleris, ſi putas, Deo placere fucatas. Surrexit randem ſponſa, ut dilecto ſuo, fores pulſanti aperiret. *Surrexi, ut aperi-*

Fucatæ Deo non placent.

Cant. 5. 5. *rirem dilecto meo.* Cant. 5. 5. Verùm, quę blandè pulſantem audivit in lecto, ubi fores aperuit, ingemuit abſentem. *At ille declinaverat, atque tranſierat.* Ibid. 6. Quæ nam hæc tam ſubita amoris mutatio? Cur ſtatim fugit, qui vehementèr adeò exoptabat admitti? Ita nè quieſcentem excitat, ut excitatam declinet? Ludit Sponſus; an ſeriò agit? Ludit; at ſeriò, qui ludit in orbe terrarum. Sanè quàm culpa fuit Dilectæ, quod Sponſus fugit? Qui vero illa offendit amaſsium? Unguentorum, nimirùm, redolenti. *Surrexi*, inquit, *ut aperirem dilecto meo; manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſsima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque tranſierat.* Sic textus habet interruptus ibid. 5. 6. Ergo Sponſam illam quam tenerrimè cœleſtis deperierat Sponſus, ut unguentatam præſenſit, declinavit; documentò ſanè præclaro, ut feminæ diſcerent, fucatas ſe Chriſto placere non poſſe, cùm profligatum eum odorum illecebris viderint. *At ille declinaverat, atque tranſierat.*

Ibid. 6.

Pigmenta Chriſtum excludunt.

Chriſti Spōſas pigmenta dedecent.

Ibid. 6.

10 Et quidem Sponſæ manus tantum & digiti unguentorum exudabant deliciis: neque enim manus ori admoverat, ut id perliniret quoque; & tamen Chriſtum abegit. Quod ſi Sponſam dedignatus eſt Dominus, eamque Reginam, & cubiculo incluſam, & uni ſibi notam, quòd manus tantùm delibutam olfecit: Chriſtum dulciſsimè attrahent feminæ a mamillis ad verticem uſque ceruſatę, unguentatæ, pulverulentæ, vagæ, quæque ſe theatris, ſpectaculiſque comunt? Et quid dico ſpectaculis? Haùd honeſtiore ornatu Templis ſe componunt, quàm Theatris. Æquali ſe pompâ menſæ divinæ ſiſtunt, ac ſolent profanis. Quid? Delibuti myrrhâ digiti Sponſæ excluſêre Dilectum: & infelices feminæ, oneratæ peccatis, tetrum unguentorum exhalantes odorem, purpuriſſo illitę, myrôque perfuſæ, Deum intra mentis cubile peramantèr excipient? Nolite errare. Deus non irridetur. Fucatæ illi non placent: quin adulterinas facies averſatur quàm maximè.

S. Euchariſtiam modeſto ornatu revereantur feminæ.

Faciem fucatam averſatur Deus.

11 Emphaſin habent verba illa Domini, quibus in eodem Epitalamio Sponſam alloquitur. *Oſtende mihi faciem tuam.* Cant. 2. 14. Sat erat dixiſſe, *faciem*; quid opus fuit addere *ſuam*? Quot facies poteſt habere femina? Natura quidem unicam, ſed arte plurimas. Illa eſt propria; reliquæ aſcititię. Legitima illa; adulterinę reliquæ. Et Deus propriam cujuſque faciem ſibi detegendam flagitat: quippè ut ſimplex, legitimaque illi placet, ſic pigmentis adulteratam averſatur. *Oſtende mihi faciem tuam.* Sunt quæ faciem ſuam abſcondant, nè videantur. Laudandę, ſi id pudoris amore præſtarent. Verùm cùm figmentis ſe fucant, in id totę ſunt, ut pro verâ facie commentitiam oſtendant. Ex quo fit, ut quo magis faciem abſcondunt, eò impudicitiores appareant; quoniam adulterinam faciem pudicę ſuperimponunt. Deponat itaque femina pigmentorum larvam, ſi Deo formoſa apparere cupit, qui ut amans eſt veri, nequit non deteſtari mendacium. *Oſtende mihi faciem tuam.* Oſtende itaque Deo faciem tuam mulier. Oſtende Factori tuo faciem, quam ipſe finxit. Dele quam tu tibi ipſi pinxiſti. Cur Creatoris injuriâ audes mutare, quod nata eſt? Deo nulla eſt deformis, niſi fucata, nulla pulcra, niſi ſimplex.

Cant. 2. 14.

Fucata mulier plures habet facies.

Deo nulla deformis niſi fucata.

12 Et quid Deo dico? Vel profanis Amatoribus, (nimirùm vanitatis oraculis) ſolę nativæ facies commendantur. Unde Propertius *lib.* 1. *Eleg.* ad Cynthiam.

Pulcritudo nativa gratioſior.

Quid juvat ornato procedere vitta capillo,
Et tenues Cea veſte movere ſinus?
Aut quid Oronthea crines per fundere myrrhâ?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus necato perdere cultu?
Nec ſinere in proprijs membra nitere bonis?
Crede mihi non ulla tuæ medicina figurę eſt.
Nudus amor formâ non amat artificem.

Propert.

Tibullus quoque *lib.* 1. *Eleg.* 8. eodem ſenſu occinit.

Tibul.

Quid tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos,
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?

Quid

Quid fuco ſplendente comas ornare? Quid ungues
Artificis docta ſubjecuiſſe manu?
Fuſtrà jam veſtes, fruſtra mutantur amictus.
Arctàque conſtrictos cogit aluta pedes.
Ipſa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda compſerit arte caput.
Quid queror heu miſero carmen nocuiſſe? Quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxilijs.

13 Et putas, infelix mulier, poſſe non diſplicere Deo, quod vel impuris amatoribus non placet? Et unde te Deus agnoſcet, ſi imaginem, quam ille formavit, fœdis coloribus deles? Ecce ut quærit faciem in facie. *Oſtende mihi faciem tuam.* Faciem videt, & faciem quærit; quia faciem quam videt fucatam, non agnoſcit. Id ſolùm agnoſcit Deus, quod ipſe fecit. Unde cùm faciem in te videt, quam ipſe non finxit, de aliâ ſolicitus inquirit; quoniam ſuperpoſita facies te illi incognitam reddit. *Oſtende mihi faciem tuam.* Quæ te ſors, miſera, ſpectat; cùm in die diſcuſſionis dicat tibi Dominus: *Oſtende mihi faciem tuam?* Oſtende, inquam, tuam; nam ipſa, quam geſtas, non eſt tua. Non eſt quam ego in te finxi. Non eſt quam ego formavi. Sed quam tu te tibi figuraſti, coloraſti, pinxiſti: Etenim, quam ego formavi faciem, ſimplex eſt, caſta eſt, pulcra eſt. Ipſa vero quam oſtendis, turpis eſt, & corrupta, adulterina, & fœdata. Oſtende imaginem meam, namque, quam oſtendis, non agnoſco. *Oſtende mihi faciem tuam.* Audi ſuper hac re fulminantem S. Cyprianum lib. de Habit. Virgin. *Non metuis, oro, quæ talis eſt, nè cùm reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non cognoſcat? Ad ſua præmia & promiſſa venientem removeat, & excludat? Increpans vigore cenſoris, & judicis dicat: Opus hoc meum non eſt, nèc hęc imago noſtra eſt: cutem falſo medicamine polluiſti, crinen adultero colore mutaſti: expigmentata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt. Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſint, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit: De inimico tuo compta, cum illo pariter arſura.* Cuncta cùm tremore penſanda. Fulgura ſpiſſat, ut mentes illuſtret. Sed quieſcat iam calamus à labore ferè fruſtraneo; quippe ſtudium medicandi vultus immedicabile fere vitium feminarum eſt. Unde &

Tędet ſacrilegas matrum percurrerè curas,
Muneribus dotata Dei,
quæ plaſmata fuco
Inficiunt, ut pigmentis cutis illita perdat,
Quod fuerat, falſo non agnoſcenda colore.

Prudent.

Concludo cùm Prudentio in *Amartigenia, ſivè de origine Peccatoris*, Verſ. 338.

Facies fucatas Deus no agnoſcit.

Dies Iuditij quàm timenda fucatis fœminis.

S. Cyprian.

DISSERTATIO VI.

B. LUCIA VIRGO, QUÆ puriores haberet oculos, nullos maluit.

1 INter tot laſcivos oculos occurrunt puriſſima S. Luciæ virginis Lumina, èo præcioſiora magis, quò ab ipſa nullo precio habita. Venuſtas quippè jactata vileſcit, ſpreta laudatur. Nèque enim multùm commendabile eſt in femina, quòd pulcra ſit nata; valde verò prædicatione dignum, quòd pulcritudini libenter renuntiet. Mira ſanè Luciæ venuſtas, pulcritudo eximia,

Argumentum de S. Lucia virgine

Laudabilior pulcritudo neglecta.

Eius pulcritudo mira.

Si dedit egregiam faciem natura puellis.

Strozius.

Canam cum Strozio. Cælum diceres Virginis faciem, & oculos ſidera; quia veluti ſidera in cælo rutilant, ſic in illius facie oculi renidebant. Sanctiore avena caneret Ovidius lib. 1. Metam.

Viget igne micantes
Sideribus ſimiles oculos.

Ovid.

Porrò quanti illi ſtetit tanta oculorum venuſtas? Nimirùm, perdidit,

eos, nè quem pulcritudine perderet: quoque puriores haberet, prælegit habere nullos. Rem narrat Sabellius *lib.* 4. *Exemplor.* cap. 8. Sentiens quippe Virgo ob oculorum pulcritudinem se expeti à Tyranno, oculos sibi eruit, eosque ad Tyrannum misit, hoc dicto: *Scito nihil amplius in me super esse, quò à te mihi timeam injuriam.* Mira Luciæ oculorum castitas! Feminarum aliæ plenos luxuria oculos gestant, dum expingunt: ut in præcedente Dissertatione dicebamus. Lucia vero plenos pudore portat, dum expungit. Illis præcipit Dominus, ut luxuriantes facies emaculent. *Auferat fornicationes suas à facie sua.* Oſe. 2. 2. Luciæ non habuit Deus ut id mandaret: quoniam, nè vel minima impudicitiæ labes purissimum ejus vultum inficere posset, eum privavit luminibus: tantò proindè à fœditate immunior, quanto à venustate remotior.

Sabell.

Lucia oculos sibi eruit, & amasio misit.

Oſe. 2. 2.

2 Porrò quantum hoc facinus, laudeque dignum, in puella præsertim; malle pulcritudine carere, quàm fœdari! Tantus quippe est erga formam feminarum amor, ut vel vitam ipsam oris deformitati posponere haud dubitent: nulla quippe ipsis pœna durior, quam pulcritudinem amittere. Hinc illa apud Horatium lib. 3. Ode 26. Galateæ vota:

Feminæ plùs amant pulcritudinem quàm vitam.

Horat.

O, Deorum,
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones.
Ante quam turpes macies decenteis
Occupet malas, teneræque succus.
Defluat prædæ, speciosa quæro
Pascere tygreis.

Vides feminarum ingenium. Nec leones expavent, nec tygrides, dummodo integra formâ pereant. Non jam illis chara vita, ubi in vultu vernare gratia desijt: nec mors amara, dùm florentes adhùc depascat. Plus sibi timent ab annorum tyranide, quàm à leonum sævitie; leones quippe possunt adimere vitam; anni venustatem corrodunt. Et usque adeò obstinata feminis est cura de formâ, ut magis paveant deformitatem incurrere, quàm inter ferarum ungulas vitam halare.

3 Claret, unde Luciæ laudes remetiri queas. Plus illa egit, quàm quod puellaris indoles paritur, plus, quam feminarum ingenium tolerare consuevit. Pulcerrima cum esset, devenustavit se ipsam, passàque est haberi deformis puellarum speciosissima; quoniam cùm oculos sibi eruit, totum vultûs fœdavit decorem. Egregium sane facinus! Hoc unò sexûs, & ætatis conditionem evicit. Vitam postponere deformitati speciei, puellarum id genius est. Deformitatem verò eligere, superstite vitâ, id Virginis Luciæ virtus est, eàque virilis. Aliæ feminæ libenter mortem subibunt, dummodò formosis eis concedatur mori. Lucia etiàm vultu fœdata, libentissimè vixit. Meritò ergo plusquàm feminam prædicabis eam: quippè quæ pulcritudinis studium feminis innatum, strenuè superavit.

Lucia pulcritudinem aspernando sexûs conditionem superavit.

4 Sed nè inhonestarum feminarum comparatione castissimam Luciam me commendare voluisse criminetur quis, producam honestissimam puellam, eàmque non parum de pulcritudinis laude solicitam: Sponsam Salomonis audies: Ita loquitur in canticis 1. 4. *Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem.* & immediatè iterum 5. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decoloravit me sol.* Vides, ut pulcritudinem suam deffendat, quamvis nigram se fateatur? Quid quòd statim quasi se ipsam corrigens, non nigram se dicit, sed fuscam; idque non à natura vitium obtigisse sibi, sed à solis injuria? *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Elegantissimo artificiò, vitium formæ excusat, quod negare non potest: utque se formosissimam probet, nigredinis deformitatem miro ingenio elevat; tota est in excusando vitium formæ, tota in defendendo pulcritudinem suam. Et illa honesta puella? Et casta? Et pudica? Quin & honestatis symbolum, & pudoris emblema, & castitatis idea. Nimirùm pulcritudinis laude usque adeo delectantur feminæ, ut vel castissimas etiam pulsset hæc gloria. *Ni-*

Amor pulcritudinis etiam tangit honestas.

Cant. 1. 4. 5.

Excusare vitia formæ mu liebre ingenium.

gra ſum , ſed formoſa. Nolite me conſiderare quod fuſca ſim , quia decoloravit me ſol. Honeſtiſsima quamvis ſit femina , haud æquo animo fert deformitatis cenſuram. Fęda ſit licèt , pulcram ſe ſe venditavit. Formoſam ſe dicet , nigra: percuſam à ſole , fuſca : totaſque ingenij vires exeret , ſi quo quomodò formæ vitium abſtergere , & venuſtatem queat reddere commendabilem. Scitè Poeta:

Delectant etiam caſtas præconia formæ.

Luciam haud delectarunt præconia formæ.

5 At verò Luciam minimè delectarunt præconia , quę etiam caſtas delectant ; namque pulcritudinis prodiga , tam neglexit formæ laudes , quàm non eſt verita apparere deformis. Honeſta fuerit Salomonis ſponſa. At non eſt paſſa haberi minùs pulcra ; extimuit quippè dici ſubfuſca , quæ caſtitatis decòre pollebat. Lucia verò ſuprà ſexûs conditionem eminens , & caſtitatis honorem promeruit , quod ſolent deformes ; & pulcritudinis laudem contempſit , quod vel honeſtæ non ſolent. Formoſiſsima herelè Salomonis Sponſa ; at nigritudinis injuriâ non caruit , quam ei objecerent Sionides puellæ. Luciæ venuſtas nulli puellarum fecit invidiam; quippè ſuprà omnem invidiam radians , cunctis admirandam ſe prębuit. Et tamen illa formæ ſuę ſtudioſiſsima , quęrit audiri pulcra. Hęc , ſui incurioſa decoris , haud erubuit videri deformis. Honeſta illa ſanè. Quid ni honeſtiorem Luciam prædicemus ? Illa quippè ambivit , vel minùs pulcra , pulcritudinis gloriam. Hæc , vel decòre præeminens , formę præconia neglexit.

Honeſtior, quæ formæ præconia negligit.

Invidia inter ęquales.

Vana gloria magis tangit imperfectiores.

6 Altiùs quid dicam. Non vulgare fuit , quod neglexit eximię pulcritudinis laudem. Sed longè præſtantius , quòd præciderit etiam. Hęc quippè fuit ratio , cur ſibi oculos Lucia eruerit. Nimirùm , ſenſit oculorum ſuorum venuſtatem , nimiùm ab amaſsio iri collaudatam: ideo celebritatem pertæſa , decoram faciem nitidis privavit luminibus : ut evulſis ocellis , omnem quoque laudis occaſionem evelleret. Vide nunc pręclarum amoris de amore triumphum. Pugnat in feminis propriæ laudis amor: pugnat in Lucia amor caſtitatis. Amor ille gloriæ non rarò triumphat in feminis ; amor hic caſtitatis in Lucia triumphum reportat. Triumphat ille amor in feminis non rarò ; quoniàm poſponere ſolent honeſti nominis claritatem pulcritudinis famę. Vincit in Lucia hic amor , quoniam candoris zelò gloriam venuſtatis protrivit. Ingeniosè Veteres duos ſimul amores pinxère , Cupidinem, ſcilicèt , & Anterotem , quorum ille quidem palmæ ramum manu tenebat , alter verò eum ab illo nitebatur auferre. Habet in Lucia hæc umbra veritatem. Pugnabant in ea Cupido & Anteros ; hoc eſt , pulcritudinis amor , & amor puritatis. Offerebat ille palmam in formę pręconium. Arripuit alter in pudoris teſſeram : quoniàm in Lucię pectore novit caſtitatis amor triumphare de Cupidine formę. Favet Alciatus hoc carmine:

Feminæ non raro malunt audiri pulcræ quam honeſtę.

Cupido , & Anteros amores contrarij. Duplicis amoris pugna.

Amor amore vincitur.

Alciatus

Aligerum aligeroque inimicum pinxit amori.
Arcu arcum , atque ignes igne domans Nemeſis.
Ut que alijs fecit , patiatur. At hic puer olim,
Intrepidus geſtans tela miſer lacrymat.
Tèr ſpuit in ſinus imos (res mira) erematur
Igne ignis , furias odit Amoris Amor.

7 Victorem dices fuiſſe Lucię amorem ; at nimis durum. Verùm ſcire abs te vellim , quiſnam amor delicatus fuerit unquam. Sanè aùt amor non eſt , aut durus eſt. Quia ut inquit , qui meliùs novit amare: *Fortis eſt ut mors dilectio : dura ſicut infernus æmulatio.* Cant. 8. 6. Durus itàque fuit Luciæ amor : ut potè qui chariſsimis eam oculis privavit. Sed non tàm canderet Lucię puritas , ſi non tàm duram vim amoris tolleraſſet. Nuſquam quippè albicavit pudor ſinè pugna. Ecce ut à Joanne deſcribuntur Triumphatores cæleſtes. *Amicti ſtolis albis , & palmæ in manibus eorum.* Apoc. 7. 10. Bella conjunctio ſtolę albicantis & palmę; quo-

Lucię candor à lucta.

Amor durus.

Cant. 8. 6.

Caſtitas non ſine pugna.

Apoc. 7. 10.

Caſtitatis amor triumphat in Lucia amorem pulcritudinis,

quoniam ubi lucta præceſsit, candor emicat. Quiſquis palmam geſtat in manibus, ſtolis candidis amicitur : quia is duntaxàt, qui novit è pugna reportare triumphum, candoris teſſerâ inſigniri meruit. Candor in ſtolis albitudinem deſignat pudoris : & mirificè albicavit Luciæ pudor, cùm cruentum illud amoris ſuſtinuit certamen; quoniam ubi palmam proprio ſanguine irrigavit, ibi candorem puritatis meſsuit. Albicavit, quia pugnavit. Candor ille mentis, & corporis luminum ſanguine nituit, quòque cruentior apparuit Lucia, eò candidior eſt viſa. *Amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum.*

8 Verùm quid oculi Luciæ peccaverunt, quò tam dirè in eos deſævijt? Nimirum, tota culpa eorum fuit, venuſtos eſſe. Vixiſſent, ſiquidem vitio aliquo laboraſſent; quia eximia eos pulcritudo decorabat, perierunt. Aſt quale peccatum eſt; naſci pulcram? *Decor*, inquit Tertulianus lib. de Cultu femin., *non eſt quidem accuſandus, ut felicitas corporis, ut divinæ plaſticæ acceſsio, ut animæ aliqua veſtis urbana.* Si ergò pulcritudo innocens, cùr tam ſeverè Lucia in oculorum ſuorum decôrem animadvertit? Quis Tyranorum deſævijſſet immaniùs? Fortaſsè dicas. Pulcritudinem quidem rem eſſe innocentem, timendam tamèn ob ſpectatorum violentiam. Qua propter & pater fidei Abraham in uxoris ſui ſpecie pertimuit, ut habetur Geneſ. 12. 11. Scio equidem, rem eſſe venuſtatem diſcrimine plenam, nullumque hoſtem magis pudicitiæ timendum: quòd vel profanos non latuit Authores. Undè eſt illud Juvenalis *Satyr.*

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit.
Rara eſt adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ——

Quò ſenſu dixit etiam alius externus Poeta:

Lis eſt cùm forma magna pudicitiæ.

Sed quid hęc ad Luciam? Adeò nè infirmæ caſtitatis eam fuiſſe arbitraris, ut ſibi à ſua forma timuerit? Apage illiberale judicium. Neque enim ſatis pudica eſt, cui decor nocere poteſt, teſte eodem juvenale ibid.

Sed caſtæ quid forma nocet?

Non itàque timor in cauſa fuit, cur gratioſiſsimis oculis ſe Lucia virgo privavit. Cur ergò tam dirè in eos deſævijt? Nimirum, aliena pericula hoc grande vulnus fecerunt. Etenim non ſibi timuit, ſed alijs. Eruit nàmque ſibi oculos ſtatim ac ſenſit Juvenem eorum pulcritudine captum. Quantùm hoc facinus, quàm pręclarum, quàm mirum!

9 *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Domini pręceptum eſt apud Matth. 18. 9. Dura videtur ſententia, & à pijſsima Chriſti conditione aliena. Talis videbitur ijs, qui cutem ſuam nimis curant. Quibus verò ſpiritalia bona ſunt in precio, ſuavis illa apparet & amabilis. Enim verò à pietate chirurgi deſcendit, quòd vel nobiliſsimum membrum præcidit, ut totiùs corporis ſalutem vindicet. Piè itàque Dominus animæ perniciem afferentem oculum præcipit eruendum : expedit quippè homini, monoculum æternum beari, quàm binoculum damnari. Quâ quidem ratione ſuam idem Dominus ſententiam fulcivit infra cap. 18. 9. inquiens : *Bonum tibi eſt, cùm uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti ingehennam ignis.* Quamquam locutio eſt metaphorica, & exaggerationi eleganter ſubſerviens. Non enim vult Dominus, ut nobis ipſis oculos eruamus. Sed ut in exaggerationibus accidit, ſub intelligatur exceptio; ſi fieri poſſet, aut liceret. Vult itàque Salvator docêre, quodvis potiùs damnum debere nos ſubire, quàm culpam. Et ſiquidem aliter peccatum vitare non poſſumus, tum enim verò vel oculum perdendum, quamvis membrorum chariſsimum. Sed quia ſemper illæſis oculis poſſumus vitare peccata, nefas eſt aliquam nobis corporis partem abſcindere. Vide literatiſsimum Joannem Maldonatum. Sed enim quamvis aliâs culpâ non vacet, luminibus ſe ſe hominem privare, laudabiliter id præſtitit Vir-

Pulcritudo non eſt accuſanda.

Tertul.

Pulcritudo timenda.

Geneſ. 12. 11.

Juven.

Concordia formæ, & pudicitiæ rara.

Pulcritudo caſtis non nocet.

Lucia non timuit ſibi, ſed alijs.

Matth. 18. 9 Occaſio mala tollenda.

Spiritualia cæteris pręferenda.

Matth. 18. 9.

Oculos eruere quomodo intelligendum.

Quodvis damnum potiùs eligendum quàm culpa.

Maldon.

Lucia ſpeciale Dei inſtinctu oculos ſibi eruit.

Virgo Lucia ; quoniàm communi legi haùd tenetur animus, quem peculiaris Dei afflatus gubernat. Hæc pro expeditiore Textûs intelligentiâ notare placuit, nè cui fortè rudiori menti periculum aliquod efficere poſſet.

10 Ergò ſcandalizantem oculum juvet Dominus abſcindere. Sed multùm intereſt conſiderare, quibuſnam hęc ſit impoſita pœna. Hinc enim pendet ſublimior Luciæ gloria. Iterùm ſententiam recolito. *Si oculus tuus*, inquit, *ſcandalizat te, erue eum.* Nota illud : *Si ſcandalizat te.* Si offendiculum tibi fuerit ; ſi te ad peccandum ſolicitaverit ; ſi aſpectu ſuo te ad libidinem pellexerit ; tunc *erue eum*, *& projice abs te.* Vides, ut hæc pœna in eos tantùm ſit ſtatuta, qui à ſuiſmet oculis patiuntur ſcandalum ? Ecquid ſi alij in tuis oculis impingunt ? Quid ſi illorum venuſtate illecti, impuros indè cogitatus hauriunt ? Quid ſi ſpectantium corda tuis luminibus inflammari obtigerit ? Eruendi nè ob id tibi oculi tui erunt ? Minimè profectò. Nec enim ab alienâ malitiâ inſurgentia ſcandala ullus vitare tenetur. Non enim quia alius nequàm eſt, ideò ſtatim ego deſinam eſſe bonus. Pullulantia in hortulo tuo acconita eradicare debes, nè videlicèt mortem & tibi, & aliis aſciſcant. Sed non itidem exterminandæ roſę, quòd nocent ſcarabęis. Ergò infeſtos tibi oculos tuos Dominus, ut eruas, præcipit. Incolumes verò tibi relinquit, quamvis alij offendantur in eis : quoniam noluit Dominus, ut oculi innocentes perirent, quòd eorum pulcritudine interdum laſcivas mentes fœdari contingat. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Plus Lucia præſtitit, quâ Chriſtus mandavit.

Quęnam ſcandala vitare tenemur.

Scandalizari faciles.

11 Compone modo Chriſti Domini mandatum præclaro Luciæ facinori. Videbis equidem plùs illam præſtitiſſe opere, quàm Dominus voce ſancivit. Lex quippè illa de oculo eruendo, eum duntaxàt comprehendit, qui geſtantem offenderit. Lucia verò oculos abs ſe projecit, quamquam nè vel minimum quidem ſibi nocuerant. Quid quòd nec Dominus in oculos luxuriantes tàm diram imperavit lanienam, quantam in caſtiſsima ſua lumina exercuit Lucia ? Prȩcepto illo Salvator laſcivos oculos non tàm effodere juſsit, quàm frȩnare. Et Lucia haùd contenta eos intrà pudicitię metas cohibuiſſe, penitùs evoluere ſtatuit. Acriùs in caſtiſsima lumina excanduit honeſtiſsima Virgo, quàm Virginis Filius in oculos petulantes : quoniam ubi ille peccantes blandè corripit, innocentes illa lethali vulnere ſauciat.

Sancta in ſuos oculos Luciæ ſævitia.

12 Quid plura ? Luciæ pudor incomparabilis. Sacra volumina evolvo. Quæro exempla, nec invenio. Non mihi objicias pudiciſſimas Suſannas, honeſtiſsimas Judithas. Quid enim harum feminarum caſtitas, quamvis alioquin ſummis præconiis digniſsima, Luciæ puritati collata ? Et Juditha quidem ſui amatorem, nè ſe contaminaret, jugulavit. Sæviit in amaſium, nè in amplexus meditatos impotentèr irrueret. Suſanna item mori potiùs elegit, quàm adulteris commiſceri. Digna utraque femina inter caſtiſsimas celebrari. Sed in eo, quòd utráque præſtitit, proprio tantùm nitori conſuluit. Non quippè id curarunt, nè turparentur amaſij ; ſed nè polluerentur ipſæ. Joſephum Patriarcham objicies. Ut caſtiſsimum non difiteor, vix tamen, quòd cùm Lucia noſtra de palma contendere poſsit conceſſerim. Quid ille præſtitit, quò ſe probavit caſtiſsimum ? Nimirùm, pallium conceſsit Ægyptiæ, quò ſe totum illi denegaret. Nudari eſt paſſus, nè candorem exueret : maluitque algere nudus, quàm ardêre veſtitus. *Relicto in manu ejus pallio, fugit.* Geneſ. 39. 12. Sed quantùm hoc, Luciæ facinori comparatum ? Jactavit ille chlamydem ; Lucia oculos. Nudavit ſe Joſeph ; excęcavit ſe Lucia. Pallium ille in manibus dimiſit adulteræ : oculos illa remiſit amaſio. Quantóque lumina pretioſiora ſunt veſte, tanto Luciæ

Luciæ caſtitas incomparabilis.

Excellit Suſannam.

Et Judithan.

Et Joſephum.

Occaſio mala fugienda, vel cum dispendio temporalium bonorum.

Gens. 39. 12.

Charitas erga proximum.

caſtitas præcellit continentiæ Joſephi. Ad hęc, nudavit ſe Joſeph, nè arderet ipſe. Excæcavit ſe Lucia, nè amaſius comburetur. Quòd veſtem projecit Joſeph, non alieno pudori conſuluit, ſed proprio. Quòd ſe Lucia privavit luminibus, haud ſuo pudori proſpexit, ſed alieno. Cedat ergò caſtiſsimus juvenis Virgunculæ puriſsimæ.

13 Ecciur non libentiſsimè cedat generoſus Juvenis? Sed enim quòd palmam ille Virgini concedit, non urbanitatis officium, ſed rectitudo æquitatis extorquet. Et enim ſi ab effectibus utriúſque caſtitatem metimur, longè feliciorem fuiſſe Luciæ pudorem inveniemus, quàm Joſephi. Animum advertas. Reliquit Joſeph pallium in manu Ægyptiæ. Remiſsit Lucia oculos ad manus amaſij. Tenuit illa pallium. Tenuit iſte lancem. Vide utriúſque manus idolorum ſuorum ſpoliis occupatas. Sed & vide in ſimillimo caſu eventus valdè diſsimiles. Ægyptia quippè conſpecto pallio induratur in odium: acrioribus modò irarum flammis correpta, quàm anteà fuerat amoris. *Cùmque vidiſſet mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam, vocavit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos, ingreſſus eſt ad me, ut coiret mecum.* Ibid. 13. 14. Luciæ verò amaſius oculorum ſpectaculo compunctus, nèdum amator ſit caſtitatis, verùm & ſæcularem vitam in religioſam commutat. Joſephi veſtes haud caſtam fecêre impudicam feminam. Lucię oculi reddidêre honeſtum juvenem laſcivum. Magna Joſephi caſtitas, ſed ſterilis; major ergò Lucię, quia fæcunda. Illius pallium caſtos non procreat. Hujus oculi generant pudicos. Nimirùm adeò mirificè honeſtos promeruit oculos, quæ, ut puriores haberet, maluit extinctos.

Luciæ occuli pallio Joſephi caſtiores.

Ibid. 13. 14.

Luciæ oculi extincti amaſium reddunt pudicum.

DISSERTATIO VII.

PUERULUS JESUS

Cupido verus.

Argumentum in Chriſti Nativitate.

1 CUpidinem Cupidini objicio, verum ficto, Cœleſtem profano, Filium Virginis filio Veneris. Neque fanè mea eſt iſthæc cogitatio. Plato in Sympoſio, geminam ponit Venerem cum gemino Amore: primam cœleſtem, & pudicam, Matrem amoris pudici. Secundam terreſtrem, & impudicam, matrem inhoneſti amoris. Nomem utrique *Eros*, quòd faciat amare. Sed hoc intereſt, ut tradunt Ammonius, Phornutus & alij: quod *Eros* per Omega ipſum Cupidinem & flagitioſum amorem ſignificat. *Eros* verò per Omicron pudicum & bonum amorem deſignat. Venereum Amorem Puerum finxêre Profani: ingenioſe quidem; namque illa ætas mire conciliat amorem. Undè Propertius *lib.* 2.

Gemina Venus cum gemino amore.

Amores duo, purus & impurus.

Uterque puer

Propert.

Quicumque ille fuit puerum, qui pinxit amorem,
Nonnè putas miras hunc habuiſſe manus?

Amor quoque divinus ſe in Pueri formam arctavit: quod fides docet, & eleganter cecinit chriſtianus Poeta, mihique dulciſsimus P. Emmanuel Pimenta lib. 3. *de Chriſt. Nat.* eleg. 4.

Piment.

Se pia majeſtas puero metitur & æquat:
Nec tamen æquando redditur illa minor:

Amorem turpem libido finxit Deum.

Puer ergo ille amor turpis; ſed à libidine in Deum effigiatus. Deus iſte Amor cœleſtis; ſed quem virginitas formavit in Puerum.

2 Diſce illud priùs, vel ab ore profano. Ita enim loquitur Seneca Tragicus in *Hippol.* act. 3. neſcias chriſtianè magis, an ethnicè,

Senec

Deum eſſe amorem, turpiter vitio favens
Finxit libido: quóque liberior foret,

foret,
Titulum furori numinis falſi addidit.
Natum per omnes ſcilicèt terras vagum
Erycina mittit, ille per cœlum volans
Protervâ tela molitur manu,
Regnumque tantum minimus in Superos habet?
Vana iſta demens animus adſcivit ſibi,
Veneris numem finxit, atque arcus Dei

Idem in *octav.*

Volucrem eſſe amorem fingit immittentem Deum
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſque ſacros inſtruit ſæva face:
Genitumque credit venere, Vulcano ſatum.

Iſai. 7. 14. Alterum audi ex ore profetico Iſaiæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomem ejus Emmanuel.* i. e. nobiſcum Deus. Conſonat & Oraculum Sybillæ Perſicæ, his numeris adſtrictum à laudato Pimenta lib. 1. *Oracul. Sybil.*

Amor divinus puer factus à Virginitate.

Piment.

Matre Deus ſummus naſcetur Virgine; ſolum
Virgine par naſci eſt parturiente, Deum.

Subolfecit & Virgilius hoc arcanum ex Sybillinis Oraculis, undè intonuit in Pallione Eclog. 4.

Virgil.

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Et cætera, quæ Servius & Polirianus ipſe *Miſcellan.* 89. alijque Interpretes malè ad Auguſtum transferunt, cui minimè valeant accommodari. Hinc illa dulciſſima apoſtrophe Aurelij Prudentij ad Chriſtum naſcentem, in *Cathemir.* verſ. 1606.

Prudent.

Emerge dulcis puſio,
Quem matris edit caſtitas.

3 Sed jam utriuſque Amoris diſcrimem ab ore Virginis Matris audiamus. Sic illa ſibi metipſi blanditur, *Eccleſiaſt.* cap. 24. v. 24. *Ego mater pulcræ dilectionis.* Sapienter loquitur. Eſt quippè dilectio turpis & illecebroſa, qualis eſt dilectio luxurioſi, & turpiter amantis: & eſt dilectio pulcra, & honeſta. Illam inſpirat Cupido, Veneris filius. Iſtam puerulus Jeſus docet, Virginis Proles. Jure ergò ſe Matrem pulcræ dilectionis Virgo dicit; quoniam eſt & Mater turpis dilectionis Venus. *Ego Mater pulcræ dilectionis.* Eant nunc inſani amoris cultores, & ſui Cupidinis celebrent pulcritudinem. Deliret Pamph.

Ecclei. 24. 24.

Beatiſſ. Virgo Mater pulcræ dilectionis.

Venus Mater dilectionis turpis.

Pulcer tibi dat Cupido tela faceſque.

Inſaniat Ovidius 3. *de Pont.*

Amor profanus, turpis.

Ovid.

Dùm peragunt juvenes pulcrum certamen amoris.

Ineptiat Pontanus:

Pontan.

Nigraque formoſo furata eſt lumina amori.

Apul.

Fabuletur Apuleyus lib. 5. *Illum ipſum Cupidinem formoſum Deum.* Egregiè mentiuntur. Turpis eſt, quem canunt pulcrum; ſordidus, & obſcænus, quem formoſum prædicant; namque pulcer amor non proſtituræ Veneris eſt filius, ſed Virginis Matris. *Ego Mater pulcræ dilectionis.*

4 Verùm quibus pulcrum amorem conciliat puerulus Jeſus? Aſt quibus non conciliet? Pedes, manus, caput, os, genę, occelli, denique totus ſanctum inſpirat amorem.

Puerulus Jeſus inſpirat amorem; ſed eum in fuentibus.

Perque genas ſcintillat amor, perque ora manuſque;
Perque comas, fului verticis ignis abit.

Piment.

Modulatur idem Pimenta lib. 3. *de Chriſt. Nat.* Hoc ſolum verò reſtat, ut videat homo, oculoſque ſuos huic paryulo admoveat. Sanè oculi ſunt præcipui amoris canales, iis ſe ſe ille in præcordia fundit. Haud facilè amabis, quæ non videris: ſicut & dificile ad modum eſt, viſæ pulcritudinis amore non corripi. Verè ille dixit: *Oculi ſunt in amore duces.* Ideò in præſenti Commutatione oculis tribuitur cogitatio, fornicatio, adulterium, totuſque inſani amoris proceſſus; quoniam validiores cordis affectus oculorum proſpectu generantur. Et

Amor ab oculis.

putas

putas efficatiorem terrenam pulcritudinem eſſe ad impurum amorem excitandum, quàm cœleſtis venuſtas ad pijſsimos affectus commovendos? Ergò vide, ut ames.

Pulcritudo Infantium mirificè conciliat amorem.

Quis enim tàm duri cordis erit, qui infantuli pulcritudine conſpectâ, non ſtatim in illius amorem teneretcat?

Moyſes pulcritudine ſervatur incolumis. Exod. 2. 9. 10.

5 Ecce tibi Pharaonis filia puerulum Moyſem è naufragio liberat, liberatum educat, educatum adoptat. *Puerum iſtum nutri mihi. Quem illa adoptavit in locum filij, vocabitque nomem ejus Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. 9. 10. Mirum profectò videri debet, quòd regia puella tanto erga infantulum ignotum, & expoſitum amore flagraverit. Et quid dico ignotum? Imò notus illi fuit; ſed quâ minùs pietatis officium ſperari poſſet. Novit quippè eum Pharaonis filia; ſed novit, quòd filius eſſet Judęorum. *Ait: De infantibus Judęorum eſt hic.* ibid. 6. Porrò haùd te latêre crediderim, tanto odio Pharaonem in filios Hebręorum deſæviſſe, ut omnem eorum maſculam prolem occidi juſſerit. *Quidquid maſculini ſexûs natum fuerit, in flumem proijcite.* Ibi. cap. 1. 22. Et contra Patris edictum audet filia? Et ſervare haùd timet, quem perdendum Rex decreverat? Extrahit è flumine, quem in flumen ille proijciendum edixerat? Quid quòd non contenta puerulum præſenti diſcrimine liberaſſe, regiis quóque ſumptibus educandum tradidit; atque jam adultum ſibi adoptavit in filium? Meritò exclamat Auguſtinus in Locut. in Exod. *Novum miraculum, genus fecit miſericordiæ filia parricidæ.* Sed enim hæc miracula pueri pulcritudo effecit. Erat infans Moyſes, vel in eâ ętate & corpuſculo eximiâ venuſtate decorus. Quod legitur ibid. 2. *Videns eum elegantem.* Ergò in conſpectum Thermutis adductus miros regiæ puellæ extorſit amores. *Mirè placuit puer, quod eſſet pulcer*, inquit Joſephus. lib. 2. *Antiquit.* cap. 5. Etenim ea eſt gratiæ pueriliſ efficacia, ut in ſui amorem corda ſpectantium mirificè rapiat.

Et adoptatur in filium á filia Pharaonis.

Pulchritudo etiam hoſtes inflectit.

Ibid. 6.

Exod. 1. 22.

Amor nihil timet.

D. Auguſt.

Joſeph. Iud.

6 Quòd ſi tanta in formoſo infante Moyſe gratia fuit ad conciliandum amorem, quantam æquum eſt, ut credamus, puerulo Jeſu fuiſſe ad humana corda ineſcanda? Fuit nè belliſsimò hoc Infantulo pulcrior Moyſes? Apage. Nequè enim iis aſſentior, qui Chriſtum deformem corpore fuiſſe putant. Audio Davidem elegantiorem eum ſupra cunctos mortales prædicantem: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Pſalm. 44. 3. Audio ſponſam ab incomparabili eum pulcritudine collaudantem. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cant. 5. 10. Qualia ergò corda non rapiat belliſsimus Infans? Accede, cominus inſpice, illius pulcritudinem contemplare, oculis puellum gratioſiſsimum explora; &, mihi crede, amare diſces, quem adeò formoſum videris: raptis quippè oculis, corda rapiuntur. *Mire placuit puer, quòd eſſet pulcer.*

Pueruli Jeſu pulcritudo corda rapit.

Chriſtus pulcerrimus omnium.

Pſalm. 44. 3.

Cant. 5. 10.

7 Eſt adhùc quòd miremur magis in efficacia venuſtatis puerilis. Infantulum Moyſem totis Pharaonis filia adamavit præcordiis. Extranea extraneum, Ægyptia Hebræum, Filia Regis ſerui filium. Ita ne? Ita ſanè. Uſque adeò emolliendis animis infantilis gratia prævalet, ut nullum tàm averſum cor ſit, tamque extrarium, ac ſuperbum, quòd illius jugo non libentèr colla ſubmittat. Qui ſunt illi viri, quos antè cunabula pueri Jeſu proſtratos vides? Chaldæi ſunt, Idolatræ ſunt, Reges ſunt. *Procidentes adoraverunt eum.* Matth. 2. 11. Quid porrò in Infantulo illo conſpexêre, quo permoti ſubmiſiſsimè antè illum genuflectunt? Nulla ibi humanæ pompæ refulgentia, nulla terrenę majeſtatis ſpecies: quin Parentum humilitas, faſciarum vilitas, ſpeluncæ horror, cunarum abjectio, paupertatis umbra. Et tamen ibi incurbantur Aliegenæ, adorant Idolatræ, Reges nudantur. Nimirum, hâs victorias fecit pueruli Jeſu venuſtas eximia. Videre illam Ma-

Chriſti Epiphania.

Matth. 2. 11.

Pueruli Jeſu venuſtas, & Extraneos, & Idolatras, & Reges devincit.

Magi, & corda dederunt. *Procidentes adoraverunt eum.* Ne voluntarium excurſum cauſeris, ecce tibi graviſſimi Cornelij à Lapide authoritatem ſupra id loci: *Vultus Chriſti pueri divinus cæleſtis lucis radium evibravat, qui oculos, & magis mentem Magorum feriebat, & illuſtrabat.*

Corn. à Lap.

8 Verùm libet id ipſum confirmare præclarâ illa Davidica ſententiâ, quâ Chriſto Domino corporis elegantiam gratulatur; quam paulò antè quidem attigimus; ſed ſupereſt nucleus, quo iterum paſcamur. Ergo canit regius Vates: *Speciosus forma præ filijs hominum.* Pſa. 44. 3. Tertulianus *cont. Judæ* legit: *Tempeſtivus decore citra filios hominum.* Quinta Editio: *Pulcritudine floruiſti præ filijs hominum.* Cur Chriſti Domini pulcritudo tempeſtiva? Quia, nimirum, pro ætatis convenientiâ fuit opportunè decorus. *Sua cuique parti ætatis tempeſtivitas eſt data*, inquit Cicero *de ſenect.* Ergo & puer, & ephebus, & adoleſcens, & juvenis, ſpecioſus fuit Dominus præ filijs hominum. Verùm quamvis perpetuò ſpecioſior cunctis, neſcio quid dulcius, ac delectabilius tenerâ in fronte monſtrabat. Ideò ſignanter florida ipſius pulcritudo commendatur: *Pulcritudine floruiſti præ filijs hominum.* Chriſtus ergò tempeſtivè decorus; ſed maximè in flore: etenim ſtatim ac apparere eſt dignatus, vel remotiſsima Regum corda in ſui amorem pellexit. Opportunè Lorinus in hujus Pſalmi expoſitione. *Tempeſtivus in eo decor fuit, quia ſtatim natus, Magos ad ſe pertraxit.* Cupis, O Homo, à Chriſto trahi? Cupis illius amore raptari? Admove huic Puerulo oculos tuos. Decorus eſt, formoſus eſt, belliſsimus eſt; & quidem tempeſtivâ pulcritudine, florida venuſtate. Sine capi oculos, & cor amore vincietur.

Pulcritudo Chriſti tempeſtiva, & florida, cur.

Pſalm. 44. 3.

Tertul.

Edit. 5.

Cicer.

Florida pulcritudo gratioſior.

Lorin.

——— *Rapinæ*
Prima oculi fuerint præda, ſecunda cor eſt.

Cecinit Chriſtianus Poeta.

9 Habet hic convenientem locum ſcitu digniſsima quæſtio: Cur, nimirum, Chriſtus infans eſt natus, ſecus atque Adam creatus? Etenim dubiò procùl perfecta illum mole membrorum divinus Artifex finxit. Cùr Ergò Chriſtus in imbecilla ætate procreatus apparuit? Hanc quæſtionem movet D. Auguſtinus lib. 2. *cont. Pelagiam.* cap. 37. Ejus tamen ſolutio noſtro inſtituto, quod quidem vehementer optaremus, non deſervit. Aſt difficultas increſcit ex eo vel maximè, quòd Chriſtus Dominus ſecundi Adami titulo eſt inſignitus; & quidem Cæleſtis, cum prior ille fuerit terrenus. Id quòd conceptis verbis expreſsit Apoſtolus 1. Cor. 15. 45. 47. ſcribens: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſsimus Adam in ſpiritum vivificantem. Primus homo de terra, terrenus, ſecundus homo de cælo, cæleſtis.* Quid ergò eſt, quod Chriſtus longè primò Adamo excellentior, non perfectâ, ut ille, corporis ſtaturâ apparuit in ortu, ſed puerili infirmitate membrorum? Quid eſt, quòd

Cur Chriſtus infans natus eſt, ſecus atque Adam.

D. Auguſt.

Chriſtus ſecundus Adam, cæleſtis.

1. Cor. 15. 45. 47.

Qui non ſpatijs terræ, non æquoris unda,
Nec capitur cælo, parvos confluxit in artus?

S. Damas.

uid eſt, quòd

Ipſe Opifex, opus ipſe ſui, dignatus iniquas
Ætatis ſentire vires, & corporis huius,
Diſsimiles ſentire modos hominèmque ſubire?

Sic occinit Claudianus poeta ethnicus, vel potius S. Damaſus Papa, de *Laud. Chriſti.* Sed enim ingenium amoris fuit, quòd parvulus natus eſt. Non tam virilis forma dulces conciliat amores, quàm teneræ pulcritudinis blandimentum. Illa quippè, ſiquidem viro digna fuerit, reverentiam extorquet, quæ timorem habet adjunctum. Unde Seneca in Hypolyto, Act. 2. in chor.

Chriſtum naſci parvulum, ingenium amoris.

Viros quæ forma deceat.

Virilis forma reverentiam, puerilis amorem conciliat.

Quàm grata eſt facies torva viriliter.

Iſta ſuâ ipſius teneritudine dulciùs inſpirat amorem. Ideo itaque Chriſtus in ſpecie parvuli mortalium oculis conſpiciendum ſe dedit; ut, nimirum, illorum

corda ſuaviùs in ſui amorem compelleret.

10 Amari voluit; quique humani cordis indolem perfectiſsimè novit, faciliorem quoque viam, qua traheretur, invenit. Ergò non ſolum virilem oris venuſtatem oſtendit; ſed puerilem etiam noſtris objecit obtutibus. Illa divinum, ac plenum majeſtate ſignabat; hæc humaniorem, ac contrectabilem magis oſtendebat. Et mortalium cordibus flectendis non tàm valet majeſtatis fulgor, quàm acceſsibilis gratia. Chriſtum recèns natum piè ubi Magi quærere fatagunt, feliciter invenire promeruerunt. Hoc tamen intereſt, quòd quęrentes Regem, invenere Puerum. Audi, ut interrogent: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judeorum?* Matth. 2. 2. Vide, quid invenerint: *Invenerunt puerum cùm Maria matre ejus.* Ibi. 11. Quamobrem voluit apparere Puer, qui Rex fuerat conquiſitus? Cùr qui Rex erat cęli, & terræ, non regiam pompam explicuit? Et quidem valde congruum videretur, ſi adventantibus regibus regiâ quoque majeſtate ipſe commendabilior redderetur. Falleris. Nam ad alliciendas hominum voluntates potentior eſt benignitas Pueri, quam regalis ſplendor. Ideò qui Regibus cælèſtem amorem inſpirare voluit, in humilis Pueri formâ illis apparuit, vel cùm Rex quęrebatur ab ipſis. *Ubi eſt, qui natus eſt Rex? Invenerunt puerum.*

Chriſti benignitas amorem ferit.

Chriſtus piè quærendus.

Matth. 2. 2.

Ibi. v. 11.

Chriſti humilitas.

11 Quid porrò neceſſe haberet beliſsimus Infans, aſcititijs fulgoribus ſe mortalium oculis commendare? Profectò non is eſt Deus natus, qui emendicatis illecebris humana corda tenêret. Ideò in ſummâ paupertate natus, ex Matre pauperrima, abjectiſsimo loco, denique nudus, nulla humana pompâ conſpicuus. Quęſitis namque ornamentorum favoribus ſpectantium oculos perſtringere, terrenorum Principum infirmitas eſt. Etenim ijs omnibus ſi ſpolientur, nihilo magis apparebunt glorioſi, quàm de popularibus quiſque. Hinc illa amara irriſsio Micholis in David Regem. 2. Reg. 6. 20. *Quàm glorioſus fuit hodiè rex Iſrael diſcooperiens ſe antè ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* David, quandiù ſplendenti trabeâ inceſsit amictus, regios honores retinuit. Ut verò purpuram exuit, atque nudatus apparuit, vel à propriâ Uxore inter viliſsimos hiſtriones reputatus eſt. Adeò mundialium Principum honos ab his externis adminiculis dependet. At Puer iſte nullis indiget emendicatis auxilijs, ut ab hominibus maximo habeatùr in honore, nullâ pompâ, ut revereatur, nullis oculorum præſtigijs, ut ametur. Ipſe ſolus, ipſe nudus ſufficit Mortalium, & Immortalium corda rapere. Nudatus David deſpicitur; nudatus Jeſus impenſiùs amatur. Dùlciſsimè, ut aſſolet, Luſitanus Olor lib. 4. de Chriſt. Nat.

Jeſus puerulus ſe ſolo corda trahit.

Principum mundi gloria áb ornamentis.

2. Reg. 6. 20.

Apúd mundiales ſola exteriora valent.

Bella ſupercilio movet ignea: pugnat ocellis,
Qui puer in nudo corpore corda ferit.

Pimen.

12 Vel certè dicamus ita: Nudum Chriſtum voluiſſe naſci, ut nos verum amorem doceret. Amor namque ſpurius, quæ circumſtant dilectum potiùs reſpicit, quàm dilectum ipſum. Amor verus nihil in amato videt præter ipſum amatum. Nudum itaque in præſepio ſe Chriſtus noſtris preſentavit obtutibus, ut veri amatores diſcerent, nihil aliud debere ſe amare in Chriſto præter Chriſtum. Ità novit amare cęleſtis Sponſa, cuius hæc ſunt verba. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Cant. 1. 3. Gratulor tibi, ò Anima fortunatiſsima, felicitatem tuam. Introduxit te Rex in cellaria ſua. Delicijs affluëris, nullâ non voluptate repleberis. Quid enim in Regis opulentiſsimi promptuarijs non pretioſum, non magnificum, non pulcrum, non denique jucundiſsimum aſſerbabitur? Exulta ergò, & lętare, feminarum beatiſsima, quia ijs omnibus perfruendi tibi à chariſsimo Principe copia facta. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Quàm inanis gratulatio! Quàm plenum ſtultitia jubilum! Vide quid illam oblectet; *Exultabimus,*

Verus amor nudum Chriſtum amat.

Nihil in Chriſto præter Chriſtum.

Cant. 1. 3.

in-

Ibid.

Aulici & ſervi ſua commoda quærunt.

inquit *& letabimur in te.* Ibid. Rarus amor, ſed verus, inter regales delicias, & opes nihil animam deſiderare, preter Regem. Oculis explorat repoſitoria ditiſſima, & cùm tot deſiderabilia ſpectet, ſolâ dilecti præſentiâ lætatur. Non id amat in Rege, quo ſe queat locupletari, non quo abundare delicijs, non quo lautè vivere poſsit; hoc ſolum exoptat, nimirum, dilecto frui; cætera ipſi vileſcunt. Verus quippè amor non res quærit amati, ſed amatum. *Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultavimus, & lætabimur in te.*

Chriſtus in ſummâ paupertate natus.

13 Amorem hunc nobiliſsimum Jeſus Puerulus nos docuit, cùm adeo paupèr & nudus mundo conſpiciendum ſe prębuit. Rex ille regum & Dominus dominantium: & tamen ubi homo inter homines apparuit, nihil regale ſecum tulit; quin omni creato decôre ſpoliatus, mirâ paupertate amictus orbem terrarum intravit. Namque ubi, rogo, palatium marmoribus ſplendidum? Ubi Aula regia diverſis populis perſonans? Ubi haſtatæ militum caterve? Ubi equites regalibus phaleris inſignes? Ubi currus auro, oſtroque fulgentes? Ubi Mater ejus diademate coronata, aut in lecto eburneo recumbens? Ubi Puer byſſo & purpurâ involutus? Nihil horum utique, inquit Chriſoſtomus ſuper Matth. 2. *Sed potius anguſtum & humile tugurium, vile, ſqualidùmquè præſepium, & magis animalibus, quàm hominibus aptum. Puer vilibus pannis involutus, Mater vix unam habens tunicam, non ad ornatum corporis, ſed ad tegumentum nuditatis.* Et quare rerum Dominus in tanta paupertate naſci voluit? Quia, nimirum voluit amari ipſe ſolus. Removit ergò quicquid humanos ſenſus poſſet allicere. Objecit id ſolùm, quo anima caperetur. Quia eò nobilior amor eſt, quò ad ornamenta terrena cæcutior, in nudum tendit amatum. *Introduxit me Rex in cellaaia ſua, exultabimus, & lætabimur in te.*

Chriſti humilitas.

Chriſoſt.

14 Quamquàm, ſi res penitiùs contempletur, nullum in mirabili hac Scena uſum habitura terrena quęque ornamenta comperies. Quid enim ubi Jeſus parvulus aderat, creata gloria ſplendeſceret? Quid decora omnia micarent? Quale habitura pretium vel pretioſiſsima? Sordêrent cuncta, Jeſu preſente. Succurrit D. Cyprianus pulcerrimis hiſce verbis: *Ornamenta, quæ deerant, etiam ſi adeſſent, non haberent oculos inſpectores; quia præſentia parvuli ſic eorum, qui aderant oculos occupaverat, ſic illuminaverat animos; ſic corda illexerat, ut in hoc ſummo bono omnium bonorum unita collectio videretur; nec opus eſſet mendicari quòd ſe ſemel in ſe unò fidelibus Omnipotens Infantia præſentabat.* Viluiſſent profectò cuncti creati ſplendores, regiæ pompę, ſuperbę divitiæ ubi ſolus hic Puellus emicabat. Nudus ipſe, omnique aſcititio decore deſtitutus, ſpectantium oculos præocupare, cordàque rapere ſufficit. Crediderim ſponſæ patefacta cellaria in examen amoris; vel certè id benevolentiæ, & charitati Sponſi tribuamus. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Verùm quid magnificus ſponſus illâ divitiarum ſuarum oſtenſione conſecutus eſt? Nùm oblectamentis illis Dilectam exhilaravit? Nùm ditiſsimis illis promptuarijs jucundiorem reddidit? Quin potius ea omnia ipſa contempſit, nec vel flocci habuit. Et theſauros ditiſsimos? Et regales delicias? Ità. Aderat Sponſus cęleſtis. Aderat, inquam Jeſus. Et ubi Jeſus adeſt, omnia pretioſa vileſcunt: nihilquè fidelis anima diligere novit præter ipſum. *Exultavimus, & lætabimur in te.*

Jeſus parvulus omnem terrenam gloriam obſcurat.

Ciprian.

Amoris examen.

Veri amoris idea.

15 Quid ſplendidiùs ſtellâ Magorum duce? Non illam rutilantia firmamenti ſidera vincunt, non cæli nocturna Lampas, non denique vel ipſe luminum parens. Canit Eccleſia in Feſto Epiphaniæ.

Quem ſtella quæ ſolis rotam
Vincit decore, ac lumine,
Veniſſe terris nuntiat
Cum carne terreſtri Deum.

Hæc tamèn ad præſentiam pueruli Jeſu diſparuit. *Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos uſque*

Matth. 2. 9. *que dùm veniens ſtaret ſuprà, ubi erat puer.* Matth. 2. 9. Sui luminis pompam noctu, diuque explicuit, donec ad conſpectum divini pueruli non pervenit. Ubi autèm ad illum acceſsit, confeſtim evanuit. Nulla quippe creata gloria non diſsipatur, nullus fulgor non evaneſcit, ubi adeſt Omnipotentis infantia, quæ eò magis omnem perituram gloriam diffugere cogit, quò ipſa ſuę Divinitatis ſplendorem humiliore velo tenerrimi corpuſculi obſcuravit. Quid Reges adoratores Infantuli? *Apertis the-*

Ibid. 11. *ſauris ſuis, obtulernnt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Ibid. 11. Viſo puerulo Jeſu & theſauros ſuos aperiunt, & exhauriunt Monarchę. Jam non illis placent theſauri, niſi ut ad pedes Domini projicianr. Jam illis aurum pallet, jam aromata fætent, quamdiu in Dei obſequium & illud non rutilat, & iſta non ardent. Divitias Arabi Reges, & delicias contemnunt, ſpectato cælorum Rege in præſepio. Nil mirum, in conſpectu pueruli Jeſu omnia terrena vileſcunt. Formoſior eſt ille cunctis: auro pretioſior, omnibus aromatibus ſuavior. Nil ergo extra illum jam amare cupiunt, quoniam ipſe ſolus apparet dignus amore. Faceſſant itaque ab antro Bethlehemitico regales pompæ, mundani faſtus, ſplendor opum, divitiarum ſuperbia. Non enim haberent oculos inſpectores. Adeſt quippè Omnipotentis Infantia, ad cujus conſpectum terrena bona diſpàrent, & creati fulgores obſcurantur. Ideò nudus, & pauper naſci voluit, ut præter ipſum nil inveniret homo, quod amaret. Exclamare cogor cum Aurelio Prudentio noſtro *Apoteos. Verſ.* 1095. *Tantus amor terræ, tanta eſt dilectio noſtri.*

***



COM-

JESUS, MARIA, Y JOSEPH.

COMMUTATIO SEXTA.

OCULI TANGENTES.

EGO QUOQUE CONFRINGAM, ET NON PARCET oculus meus. Ezech. 5. 11.

EXPOSITIO LITERALIS.

1 VErba ſunt irati Numinis, & quibus impiæ Jeruſalem deſtructionem minitatur. Paucis hiſce verbis concludit longam ærumnarùm ſeriem, quibus ſceleſtem Urbem toto illo capite ſe vaſtaturum prædicit. Fame, peſte, cæde, gladio, captivitate, & diſperſione exterminandos Judæos enuntiat, adeòque miſera clade affligendos, ut patres filios, & filij patres comedant, ſintque opprobrium, ac ſtupor Gentibus, quarum ſuperarunt ſcelera. Eſt ergò Synopſis totius capitis: Jubet Deus Ezechieli, ut radat caput, & barbam, atque unam partem capillorum comburat igne, alteram concidat gladio, tertiam diſpergat in ventum; ut per hoc portendat, tertiam partem civium Jeroſolymę conſummendam peſte, & fame, tertiam gladio, & tertiam diſpergendam per orbem.

Senſus loci aperitur.

2 Quam quidém amaram Prophetiam multa ſęcula funeſtaſſe comperimus. Namque tempore Nabuchodonoſoris Chaldęorum gladius præcipuum Judæorum robur, ac pulcritudinem reſecuit. Deinde non multó poſt Judæorum re-

Iudæorum calamitates.

reliquias, quæ non audientes Domini præceptum à Jeremia nunciatum, cùm Johanan filio Carec fugerunt in Ægyptum, idem gladius penè devoravit, ut patet ex eodem Jerem. 44. Reſtabat tertia, & ultima pars, nimirùm profugorum Judæorum, Dei providentia quaſi in angulo pallij colecta, atque à vaſtatione Chaldayca ſervata. Verùm & hæc quóque ob nova peccata à Macedonibus, præſertim Anthiocho Epiphane graſſante inſtar ignis, ferè tota in cineres eſt redacta. Poſteà ex his favillis revirente Judæorum germine, ſceleribùſque multiplicatis, incredibili ſtrage à Tito, & Romanis fuit exterminatum. Tùm enim tota domus Iſraël everſa eſt, atque in omnes ventos diſperſa, juxta ejuſdem Prophetæ vaticinium, ibidem. Denique D. Hieronymus hùc refert cladem Judæorum, quam annis 50. poſt Titum, intulit Ælius Adrianus, uſque ad ſolum deleta urbe, adeó ut priſtinum quoque nomen amiſerit. Cecîdit namque ad quinquaginta Judæorum millia, totamque gentem protrivit. Vide Euſebium lib. 4. *Hiſtor. cap. 6.*

Ierem. 44.

D. Hiern.

Euſeb.

3 Tantorum ergô malorum congeriem, totiuſque Judaicæ Gentis deplorandam cataſtrophen brevi illa periodo Dominus teſtatam reliquit: *Et non parcet oculus meus.* Sententia quidem facilis; modus loquendi ſubobſcurior. Quid eſt enim: *Non parcet oculus meus*, ubi de effuſione ſanguinis agitur, de Judæorum cæde, de Urbium everſione, de Templi incendio, dèque ſuperbiſsimi Regni extremâ deſolatione? Num oculorum eſt, enſes premere, contorquere ſpicula, ignes tractare? Hæc, & ſimilia non niſi medio *contactu* poſſunt exequi, eoque violento, qui potiſsimùm manibus fit, propterèa quód ipſę ſunt *organum organorum*, ut vocat Ariſtoteles *de part. Anim.* Et ut inquit Galenus lib. 1. de Uſu part. corpor. human. cap. 2. *Homini, quia ſapiens eſt hoc animal, & ſolùm eorum, quę ſunt in terra, divinum, præ ominibus ſimul defenſorijs armis manus dedit natura, inſtrumentum quidem ad omnes artes neceſſarium; paci vero non minùs quàm bello idoneum.*

Oculis non parcere, quid. Textûs obſcuritas.

Manus organum organorum.

Ariſt.

Galen.

4 Hâc proinde ratione non immeritò Manus hominis pro poteſtate, pro fortitudine, pro virtute, pro percuſsione, ſive plaga poni conſuevit, quod ſpiſsa exempla docent tùm ſacra, tùm profana. Geneſ. 16. 12. *Manus eius contrá omnes, & manus omnium contrà eum.*

Manus pro poteſtate, fortitudine, virtute, & plaga. Geneſ. 16. 12.

Exo-

Exod. 13. 9. *In manu forti eduxit te Dominus de Ægypto.* Et in eodem. 14. 31. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contrà eos.* 1. Reg. 5. 6. *Aggravata eſt manus Domini ſupèr Azotios, & demolitus eſt eos.* Et ibid. 9. *Fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Pſalm. 20. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Pſalm. 31. 4. *Gravata eſt ſupèr me manus tua.* Job. 23. 2. *Manus plagę meę aggravata eſt ſupèr gemitum meum.* Pſalm. 76. 3. *Manibus meis nocte contra eum.* Pro quò B. Hieronymus in Pſalterio juxta Hebraicam veritatem tranſtulit: *Manus mea nocte extenditur*, id eſt, *plaga mea nocte extenditur.* Hanc ſignificationem illuſtrat D. Ambroſius in Pſalm. 37. poſt initium. *Manum*, inquit, *Dei, virtutem intelligimus puniendi. Hæc manus Regem Ægyptiorum proptèr Abrahæ injuriam ob tentatam Saræ pudicitiam flagellavit. Hæc manus Ægyptiorum currus* &a. Univerſim itàque quidquid eſt in poteſtate, arbitrio, vel diſpoſitione alicujus, dicitur eſſe in manu illius. Geneſ. 24. 10. *Ex omnibus bonis eius portans ſecum.* Hebręi legunt: *Omnia bona Domini ſui in manu ſua*, id eſt, *portans ſecum in poteſtate ſua.* Num. 21. 26. : *Et tulit omnem terram quæ ditionis illius fuerat.* Lectio Hebraica: *Et tulit omnem terrám de manu*, id eſt, *de poteſtate illius.* Et in eod. 31. 6. *Et tubas ad clangendum tradidit ei.* Hebr: *Et tubas ad clangendum in manu ejus*, i. e. in poteſtate. Ibid. 49. *Numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra.* i. e. ſub poteſtate. Joſue 8. 20. *Non potuerunt ultrá hùc illùcque fugere.* Hebr. *Non fuerunt in eis manus ad fugiendum.* i. e. Non fuit in eis poteſtas, ſeu virtus. Si plura cupis, lege Vocabularium Hebraicum Complutenſe. Eâdem formulâ profani quòque Authores manus pro poteſtate uſurparunt. Plautus in Amphit. *In illis fides eſt, in quibus res eſt in manu.* Terentius Hecyr. *Tibi in manu eſt.* Ariſtides in Cimone: *Graviter autèm gemuit Aſia, ab illis percuſſa ambabus manibus robore belli.* Et iterum in oratione Panatheanica: *At ille utrâque aderat manu, ducens uſque ad Atticam Græcos ſimul, & Barbaros.* Virgilius:

Juvenum manus emicat ardens.

Exod. 12. 9. — 1. Reg. 5. 6. — Ibid. 9. — Pſalm. 20. 9. — Pſalm. 31. 4. — Job. 23. 2. — Pſalm. 76. 3. — D. Hieron. — D. Ambroſ. — Geneſ. 24. 10. — Num. 21. 26. — Ibid. 31. 6. — Ibid. 49. — Joſue 8. 20. — Vocab. Complut. — Plaut. — Terent. — Ariſt. — Virgil.

Dare manus, victorem agnoſcere.

5 Hinc proverbiali figurâ, *dare manus*, idem eſt ac victorem agnoſcere, ac victum ſe fateri. Namque habitus de-

Thren. 5. 6.

dedititiorum eſt, manus adverſario tendere, quaſi nectendas Threnor 5. 6. *Ægypto dedimus manus, & Aſsyrijs, ut ſaturaremur pane.* Id eſt, dedititij facti ſumus. Scio alios alitèr interpretari: Stipitem dedimus manu porrectâ; quód non placet, & longè minùs, quod Chaldæus exponit: *Dare auxilium.* Nec enim id fuiſſet tanto luctu dignum. Similitèr quòque paſsim loquuntur viri docti. Sidonius Apollinaris ſub carmin. 13. *Do quidem abſens obtrectatoribus manus.* Id eſt, concedo, victum me fateor. Cicero: *ſapienter igitùr manus dediſti.* Idem: *Atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur.* Arnobius lib. 1. *Sed concedamus, manum veſtris opinationibus dantes.* Symmachus epiſt. 41. lib. 1. *Cùm ipſum Annibalem fides certa ſit, bello invictum manus dediſſe Campaniæ.* Jul. Firmicus lib. 1. cap. 3. Matth. *Da manus.* Caſſiodorus Pſalm. 67. verſ. 35. *Ætiopia feſtinet manus dare Deo, methaphora à bellantibus tracta, qui ne crudelitèr intereant, manus ſuas victoribus dederunt.* Novatianus lib. de Trinit. cap. 11. *Nè hæreticis, aùt manus dediſſe, aùt loquendi materiam commodaſſe videamur.* Conſonant Poëtæ. Lucretius lib. 2.

Sidon. Cicer. Arnob. Symmach. Iul. Firm. Caſsiodior. Novatan. Lucret.

——————— *Sed magis acri*
Judicio perpende; & ſi tibi vera videntur,
Dede manus, aut ſi ſunt falſa, accingere contrà.

Virgil.

Virgilius lib. X. II. Æneid.

—— *Victi, & victum tendere palmas*
Auſonij vidêre.

Digitum, & manum tollere, eſt victum ſe fateri. Cicero. D. Hieron. Perſius.

6 Conſimile eſt huic, *Digitum, & manum tollere*, quod apùd bonos Authores victum ſe fateri ſignificat. Cicero apud Lactantium lib. 3. cap. 8. *Cedo, & manum tollo.* D. Hieronymus adverſus Luciferianos: *En tollo manum, cedo, victi.* Perſius Satyr. 5. *Nil tibi conceſsit ratio? Digitum exere, peccas.* Vetus Interpres: *Digito ſublato oſtende victum te eſſe à vitijs, tractum à gladiatoribus, qui victi, oſtenſsione digiti veniam à populo poſtulabant.* Sidonius in Narbone Carm. 23.

Sidon.

Et ſi pulpita perſonare ſocco
Comędus voluiſſet, huic levato
Palmam, tu digito dares Menander.

Id eſt, *victum te fatereris, Comicorum Princeps Menander,* ut exponit Joan. Savaro Claromontenſis. Et in Epiſt. 7. lib.

Claromont.

lib. 5. *Hi ſunt, quorum comparationi digitum tollerent Narciſſus, Aſiaticus, Maſſa.* Athenæus lib. 6. ex Antiphane refert hos verſus in tragicos Poetas, quos latinos fecit Eraſmus in Adagijs, Athenæ.

Ubi nil habent, quod dicere queant ampliùs,
Sed prorſus hærent in explicanda fabula,
Repente tollunt machinam, digiti vice.

Et geſtus faventis.

7 Non me latet, digitorum & manuum elevationem geſtum etiam eſſe faventis, ac comprobantis. Quò ſenſu accipiendus eſt Simachus epiſt. 15. lib. 7. *Quarè ſi tu quôque huic ſententiæ manum porrigis, adde te ruſticantium numero.* M. Tullius lib. in Verrem 6. *Accurrunt tàmen tutores, digitum tollit Junius Patruus*, nimirùm, geſtu comprobantis, aut ſe profitentis emptorem, ſivé conductorem; ſiquidem & hoc pactô olim ferebantur ſuffragia, ut in auctionibus eodem, qui volebat, declarat ſe emptorem, aut conductorem. Idem Cicero lib. 3. de finibus. *Criſippus quidem, & Diogenes, detractâ utilitate, nè digitum quidem ejus cauſâ porrigendum eſſe dicebant, quibus ego libenter aſſentior.* Item lib. 5. ejus operis: *Ne manum quidem verſuros fuiſſe.* Idem pro Cæcinna: *Denique iſta, quâ dominatur in Civitate, potentia, in hoc ſolo genere quieſcit, quid agat, quomodô aggrediatur, indicem quâ denique digitum proferat, non habet.* Non longé abeſt, quód Quintilianus monet lib. 11. *Quin & hodiè manum erectam invertimus, quoties diſcrimen minimum ſignificamus.* Apud Plutarchum in vita Timoleontis, quidam miſſus ad Andromachum, poſt multa inhumanitèr, ac barbaricè dicta, manum denique porrexit, ac modò ſupinam, mox pronam oſtendit, minitans hôc geſtu, ſe ſuberſurum illorum civitatem. At Andromachus ridens, niſi quòd manu ſimiliter ſupinata, ac mox verſa, juſsit illum quám primùm abire, niſi vellet talem reddi navem ipſius. Simach. Cicer. Quintil.

Digitus pro robore.

8 Iam, quoniám fortitudo, ac potentia deſignatur manu, fit, ut *Digitus* quôque, qui particula manûs eſt, pro *Robore* ſumatur. Exod. 8. 19. *Digitus Dei eſt hic.* Quibus verbis coràm Pharaone confeſsi ſunt Magi, artibus ſuis maleficis divinum Numen eſſe potentius. Luc. 11. 20. *Si in digito Dei ejcio dæmonia profectò pervenit in vos regnum Dei.* Digito Dei, hoc eſt, vi & energiâ divinâ. 3. Reg. Exod. 8. 19. Luc. 11. 20.

3. Reg. 12. 10. 12. 10. inſolentèr nimis ſtultus Roboamus, dùm ſuas vires extolit: *Minimus meus digitus groſsior eſt lumbis patris mei.* Quin & metonymicos *digitum* pro totâ manu poni conſuetum, indè patet, quia, quod in illo Exodi *Digitum Dei*, hòc alibi manum Domini appellat Scriptura Exod. 3. 20. *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum.* Et Numer. 11. 23. *Numquid manus Domini invalida eſt?* Et Iſai. 59. 1. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini.* Et quod Pſalm. 8. 4. dicitur: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti*, verſus 7. ejuſdem de iiſdem ait: *Conſtituiſti eum ſupèr opera manuum tuarum.* Utrumque unâ ſententia videtur conjunxiſſe idem Regius vates Pſalm. 143. 1. *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Fateat tamén, multos Patres inter manum, & digitum diſtinctionem agnoſcere; ut per Manum intelligatur Verbum Divinum, (manus enim velut gignitur ex corpore) per Digitum Spiritus Sanctus; (digitus enim ex corpore, & manu procedit.) Sed enim, ut putat doctiſsim. Martinus del-Rio *Adag.* 69. myſterium potiùs adumbrarunt, quàm literalem locutionem explicuere, pro quâ ſolâ nos in præſentiarum ſoliciti ſumus.

Exod. 3. 20. Num. 11. 23. Iſai. 59. 1. Pſalm. 8. 4. Ibid. v. 7. Pſalm. 143. 1. Del Rio.

9. Deſignant præterea huiuſmodi phraſes ſingularem Dei favorem, gratiam, & auxilium, juxtà illud Pſalm. 138. 5. *Poſuiſti ſuper me manum tuam, & manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Iſai. 49. 2. *Sub umbra manus ſuæ protexit me.* Pſalm. 36. 24. *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Undè illa Jobi deprecatio, 14. 15. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Et Davidis Pſalm. 16. 7. *A reſiſtentibus dexterę tuæ cuſtodi me.* Et iterùm Pſalm. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Et illa Domini conſolatio Iſai. 42. 6. *Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſanavi te.* Quamquàm & interdum manum imponere ſuper aliquem, ſignum damnationis ſit. Ideó teſtes imponebant manus ſuper caput ejus, qui reus erat mortis. Levit. 24. 14. *Educ blaſphemum extrà caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſupèr caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Ad quem ritum ſpectantes iniqui illi ſenes apùd Danielem 13. 34. *Poſſuerunt manus ſuas ſupèr caput ejus*, videlicet Suſannę. Ideó illa ſtatim, *flens ſuſ-*

Manus pro favore, gratiâ, & auxilio. Pſalm. 138. 5. Iſai. 49. 2. Pſalm. 36. 24. Job. 14. 15. Pſalm. 16. 7. Pſalm. 143. 7. Iſai. 42. 6. Ponere manum ſuper aliquem ſignum damnationis. Levit. 24. 14. Dan. 13. 34. Suſanna cur fleve-

ſuſpexit ad cælum, videns ſe ab hominibus morti ad judicatam. Sic Seniores populi ſupèr hoſtiam immolandam manum ponere jubebantur, Levit. 4. 15. *Et ponent ſeniores populi manum ſuper caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulô.* Ideó clamat Job. 13. 21. *Manum tuam longè fac á me.*

rit, poſt manuum impoſitionem.

Levit. 4. 15.

Job. 13. 21.

10 Per manus itáque univerſim potentia deſignatur, maximè apud Hebræos, in quorum idiomate *Jad*, id eſt, manus, multò plura ſignificat, quàm manus apud Latinos, ut videre eſt in *Vocab. Complut.* & conſtat ex teſtimonijs adductis. Hinc manus pro omni inſtrumento accipi conſuevit. Unde rebus omnibus attribuitur, quibus aùt homo, aùt quodlibet aliud animal ad agendum utitur, quod & docet ſapientis. Sanctius in Daniel. 8. 4. *Omnes beſtiæ non poterant liberari de manu ejus.* i. e. Arietis. At qui aries cornibus petit, non manû. Sed manibus pugnare dicitur animal cornupeta, quià quodlibet inſtrumentum operationis manûs vocabulô comprehenditur. Non ab ſimile eſt illud ſuprà datum Joſu. 8. 20. *Non potuerunt ultrà hùc illùcque diffugere.* Hebraicé: *Non fuit illis ampliùs manus ad fugiendum.* Quis manibus diffugit unquam? Sed apùd Hebræos manus eſt omne id, quo utimur ad agendum. Transfertur etiam ad inanimata. Jerem. 18. 21. *Da filios eorum in famem, & deduc filios eorum in manus gladij.* Job. 5. 20. *In fame eruit te de mo.te, & in bello de manu gladij.* Pſalm. 62. 11. *Tradentur in manus gladij.* Quâ loquendi formulâ vis, ac potentia gladij, vel ictus vehementior denotatur. Quamquám etiàm per *Hypallagen* manus gladij pro gladio manûs ſit poſitum: hoc eſt, manu apprehenſo: vel certè pro manu, ut ita dicam, gladiatâ, & armatâ ferrò. Lege Pinedam in Job. 5. 20.

Manus gladij quid.

Ierem. 18 21.

Job. 5. 20.

Pſalm. 62. 11.

Manus gladij quid.

Hypallage. in S. Scriptura Pined.

11 Tàm ampla ſignificandi vis, indè oritur, quód manus ſit generale inſtrumentum, immò *organum organorum* ad opera, ut ex Ariſtotele diximus. Undè etiam ex Latinorum uſu id ſignificat, quô aliquid apprehenditur, tenetur ac conjungitur, cujuſcumque demùm illud figuræ ſit. Sic harpagones manus appellamus ferreas, & elephantorum proboſcides, quia cibos capiunt & ori admovent, quod manuum munus eſt: ſic uncini, quibus poma capiuntur, & comprimuntur libri: ſic vitiûm capreoli, ſeu claviculæ,

Manus dicitur omne id quod apprehendit, tenet, & jungit.

quæ

quæ obvium quodque apprehendunt, & lapſuros palmites ſuſpendunt, ac ſuſtentant, & ſexcentum alia ejuſdem uſus, & generis. Ex qua doctrina Sanctius illud 3. Reg. 10. 19. *Et duæ manus hinc, atque indè tenentes ſedile*; exponit non quidem de manibus in propria ſignificatione, ſed de prominentijs quibuſdam, quæ in eo magnifico ſolio regium ſedile tenebant, ac ſuſtentabant; quarum incertam fuiſſe figuram, indè patet, quia quę hoc loco dicuntur manus, lib. 2. *Paralip.* 9. 18. nominantur *brachialia*. Manus porrò vocari quidquid aliquid conjungit, & connectit, túm manus ipſius uſus, tùm natura docet, & familiaris loquendi modus. Facit ad hoc etiam locus ille Habacuc Prophetæ 2. 11. *Lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* In Hebræo eſt *Caphis*, &, ut exponit Hieronymus, lignum eſt, quod ad continendos parietes in medio ſtructurę ponitur, & apud Græcos vocatur *imantoſis*, id eſt *colligatio*, ſeu *ligamen*. Montanus dicit, vocem illam ſignificare *manus*, quòd quaſi manus quędam tranſverſos aſſeres ſuſtentent. Ex quibus liquet, manus dici quodvis inſtrumentum, quod apprehendit, colligat, ac nectit; indé deductâ metaphorâ, quód hæc munera præſtare, proprium manuum officium ſit. Quæ omnia, oculis convenire tám repugnat, quàm quòd oculi manus eſſe non poſſunt.

Sanct.

Manus throni ſalomonici quales. 3. Reg. 10. 19.

2. Paral. 9. 18.

Habac. 2. 11.

Caphis Hebr. quid.

Imantoſis Græcum quid.

12 Sed & quó magis locutionis duritiés emergat, quâ *oculi tangere* dicuntur, varias hujus verbi acceptiones opere pretium erit ſeduló inveſtigare. Latè patet, & ſimpliciſsimè corporis ad corpus conjunctionem ſignificat, quâ deficiente prorſùs impoſsibilis eſt tactus, ſeú Tactio. Undé datur regula à Lucretio.

Tangere plura ſignificat.

Simplicem corporum conjunctionem.

Tangere, vèl tangi niſi corpus nulla poteſt res.

Ariſtot.

Adſtipulatur Ariſtoteles 1. *de Gener. & Inter. cap.* 6. atque ſedem tactûs corpulenta dicit. 2. *de Part. Animal. cap.* 8. & 2. *de Gener. Anim. cap.* 4. corpus eſſe, vel corporis animalium. Ob eandem conjunctionem, ſivé approximationem ſignificat etiám ex freto ad littus acceſſum. Qui modus loquendi frequentiſsimus eſt. Symachus epiſt. 59. lib. 4. *Cùm homines tui Tyberina tetigiſſent.* Sidonius epiſt. 10. lib. 1. *Comperi naves quinque cùm ſpeciebus tritici, ac mellis oſtia Tyberina tetigiſſe.* i. e. appulliſſe. Virgilius:

Appellere portum. Symach. Sidon.

—*Ni*

——————— *Ni littora tantùm*
Nunquàm Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

Heluius de Teleſo: Helu.

Nàm Graij Trojam peterent cùm mille carinis,
Tangeret & claſsis litus adacta ſuum.

Catullus: *Tetigiſſent littora puppes.* Catul.
Rutilius in Itin. 1. *Tangimus Umbronem.* Rutil.
Victor Uticen lib. 1. *Quædam multitudo Africanum attigiſſet littus.* Vict. Utic.
L. 1. C. de naufragijs: *Et reliquam terram attigerit*
Plautus Amphitri: *Ut primùm terram tetigimus.* Præterea *tangere* ſignificat uxoritium uſum: quô pacto D. Paulus uſurpat 1. Cor. 7. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Uxoritium uſum. 1. Cor. 7. 1.
Geneſ. 26. 11. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Et in eodem 20. 4. *Abimelec verò non tetigerat eam.* Geneſ. 26. 21. Geneſ. 20. 4.
Et Martialis Epig. lib. 1. 74. Mart.

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Cæciliane, tuam.

13 Interdùm etiam idem eſt ac movere, aut commovere animum, ſivé id dolore, ſivè voluptate fiat. Virgilius Et animi commotionem.

Turne per has ego te lacrymas, per ſi quid Amatę
Tangit honos animum. Virgil.

Ovidius lib. 1. Triſt. *Tituli tangebar amore.* Ovid.
Sic & Lucretius lib. 3. dixit: *Tangere pectus dulcedine.* Lucret.
Horatius etiam de Art. Poet. verſ. 98. Horat.

Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querelâ.

Terentius in Eunucho: *Quid Gnato, quô pactô Rhodium tetigerim in convivio?* Id eſt, fuerim conviciatus. Eôdem etiam ſenſu Maro: Terent.

Nec ſolos tangit Atridas —— Iſte dolor. Virg.

Verùm *tangere* hic metaphoricé ſonat: quâ figuratâ locutione increpare, accuſare, taxare, circumvenire quoque ſignificat. Claudianus de *Laud. Seren.* Claud.

Non improbus audet ——— Tangere Cymothoen Triton.

Turpilius Demeta. Turpil.

At etiam ineptus meus mihi eſt iratus pater, quia
Se talento argenti tetigi veteri exemplo amantium.

Idem Laucad.

—— Hoc quæro ignoſcere
Iſtic ſolent nè rei minoris noxias

Herum ſi fortè quaſi alias res velim, tango.

Lucil. Ita eos mendoſiſsimos verſus emaculamus. Lucilius.

Et Muſconis manu perſcribere poſſe tagace.

Pomponius Aleonibus.

At ego ruſticatim tangam, urbanatim neſcio.

Tangere ulcus quid. Undé ortum Proverbium: *Tangere ulcus.* i. e. movere dolorem, ejuſque rei facere mentionem, quæ nos magnopere urat. Terentius: *Quid minus neceſſe fuit, quàm hoc ulcus tangere?* Quam metaphoram Marcus Tullius oppidó quàm eleganter expreſsit in Clodium, qui populum fame jam exaſperatum, concionibus item ſeditioſis in rabiem agebat, *ut tu*, inquit, *in hoc ulcere tanquàm unguis exiſtere.* E contra *Palpari* prò *adulari* ſumitur, & adulatores Palpones vocamus à ſimili metaphora, tractâ ab equiſonibus, qui ferocientibus equis plauſu manibus blandiuntur, quò eorum ferociam emolliant. Quâ de re ſic Virgilius, 3. Georgic.

Terent. Cicer. Adulatores cur Palpones dicti. Virg.

Tum magis átque magis blandis gaudere magiſtri
Vocibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.

Sapienter Horatius hâc metaphorâ ſibi cautionem adhibuit, ne tempore importuno Cæſari laudes obtruderet. Ita enim loquitur *Satyr.* 1. lib. 2.

niſi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem,
Cui malè ſi palpere, recalcitrat undique tutus.

Horat.

Verùm nè longius abire videar, quàm hoc inſtitutum patiatur, miſſo metaphorico ſenſu, literalem perſequar.

Et gravi damno afficere. Job. 1. 11. & 2. 5. & 19. 41.

14 *Tangere* item lædere eſt, gravique damnô aliquem afficere, ut patet ex locis quàm plurimis. Job. 1. 11. *Tange cuncta quæ poſsidet*, Et iterum 2. 5. *Tange os ejus, & carnem.* Subinde 19. 21. *Manus Domini tetigit me.* Quibus in locis graviſsimæ temporalium bonorum jacturæ, & acerbiſsimæ corporis plagę illo divino tactu ſignificantur. Unde Angelus, qui cúm Jacobo luctabatur, quò eum graviter debilitaret, *tetigit nervum femoris ejus, & emarcuit.* Geneſ. 32. 25. Gen. 32. 25. Et Deus mortem primogenitorum Ægyptijs minitans, *Adhuc*, inquit, *unâ plagâ tangam Pharaónem, & Ægyptum.* Et Sapiens de incendio in Hebræos cælitùs miſſo, diſſerens, *Tetigit*, inquit, *tunc & juſtos tentatio mortis: & commotio in eremo facta eſt multitudinis.* Sap. 18. 20.

Exod. 11. 1. Sap. 18. 20.

Et

Et Michæas de duriſsimo ſupplicio : *Deſperata eſt plaga ejus: quia venit uſque ad Judam : tetigit portam populi mei uſque ad Jeruſalem.* Mich. 1. 9. Idcò & fulminum ictus hoc quôque verbo exprimi ſolet. Job 1. 16. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oves, puerôſque conſumpſit.* Pſalm. 103. 32. *Qui tangit montes, & fumigant.* Pſalm. 143. 6. *Tange montes, & fumigabunt*, & ſtatim exponit, qualis ſit iſte tactus : *Fulgura coruſcationem.* Verbum *tangendi* in hâc ſignificatione probis Scriptoribus Latinis mirificè placuit : frequentérque illud accommodant terribili ſtragi, quæ fit fulminibus, undè res cognominantur tactæ : ideſt, fulminatæ, fulguritæ, fulmine ictę, percuſſæ, afflatę, crematę, ſideratæ. Hôc modô *tactum* Cicero dixit, qui urbem condidit, *Tuſc.* 3. Tacitus quatuordecim urbis regiones, *Annal.* 14. Suetonius Cæſarum ædes, & Capitolium, Templùmque Flavianę gentis, & monumentum Druſij patris, in *Galba cap.* 1. & in *Domitiano cap.* 15. & in *Claud. cap.* 45. Gellius ſtatuam Horatij Coclitis Romæ in comitio poſitam, *lib.* 5. *cap.* 4. Cato Villam, *de re Ruſt. cap.* 14. Videſis noſtrum Bulduccium in *cap.* 1. *Job verſ.* 16. & Lorinum in *Pſalm.* 143. *verſ.* 5. Conſonant Poetę. Virgilius Eclog. 1.

Dè cælo tactas memini prædicere quercus.

Ovidius *lib.* 2. *Triſt.*

Quæ fuerat ſævo fulmine tacta Jovis.

Propterea verò *tangi* dicuntur hujuſmod res, quamvis adeò graviter leſſæ, quoniàm accidit ſæpè, fulminibus tacta corpora non abſumi, ut obſervavit Minuntius in *octav.*

15 Porrò aliás *tangendi* verbum ſumit Scriptura pro leviore etiam damno. *Geneſ.* 26. 29. *Non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te lęderet.* 1. Paral. 16. 22. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Ubi tangere eſt etiam leviter percutere, aut lædere, ut explicat D. Auguſtinus lib. 17. *de Civit. Dei.* cap. 9. Zachar. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ubi Hieronymus : *Tactum pro vexatione, & injuriâ accipe, juxta illud, quod legimus : Molite tangere Chriſtos meos.* 2. *Reg.* 7. 14. *Si iniquè aliquid geſſerit* (Salomon) *arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* Quod Auguſtinus legit ubi proximè : *In tactibus filiorum hominum*, exponens plagas correptionis, per quas incommoditates mino-

Mich. 1. 9.
Et fulminú ictus.
Job. 1. 16.
Pſalm. 10. 3. 32.
Pſalm. 143. 6.
Cicer.
Tacit.
Suetou.
Gell.
cat.
Bulduc.
Lorin.
Virgil.
Ovid.
Et pro leviore damno.
Geneſ. 26. 29.
1. Paral. 16. 22.
D. Auguſt.
Zachar. 2. 8.
D. Hieron.
2. Reg. 17. 14.
D. Auguſt.

ICS

Ludov. Viv.

res ſignificari cenſet Ludovicus Vives *in Comment. hui. loc.* Et non obſcurè id ipſum ſignificatur per ea verba, quæ ſtatim Dominus appoſuit: *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie meâ.* Verbo itaque *tangendi* haûd perpetuò ſęva plaga deſignatur, aut grave damnum; ſed quandóque etiam leviora incommoda, quod diſcrimen ex ijs, quæ orationem circumſtant, prudens lector facilè recognoſcet.

Nodus difficultatis.

16 Cùm itàque *percutere*, *ferire*, *occidere*, quamvis denique moleſtiam corpori inferre, non niſi medio tactu fiat, cui proinde ferè manus famulantur, quòd membrum omnium aptiſsimum ijs miniſterijs pręſtandis, ſolers natura condiderit; Quâ ſermonis proprietate hęc omnia *oculis* attributa legimus? Sublimiſsimi hujus certè ſenſus proprium eſt res ſpeculari, non tangere. Simpliciſsimo namque intuitu objecta corpora contemplatur, quin vel minimúm immutet; ſpiritualior quippè ejus eſt operatio, quàm ut ſentiri poſsit á re corporea. Ut enim docet Abulenſis Antiſtes in 4. Reg. 19. 22. *In partibus noſtris non eſt aliqua pars, quæ magis accedat ad conditionem ſpiritualem, quàm oculus.* Hinc oculi ad mentem celebris analogia. Egregie Philo Judæus lib. de Special. leg. *Quod mens in animo, hoc eſt oculus in corpore: videt uterque; alter intelligibiles, alter res ſenſibiles: viſus mentis ad noſcenda incorporea, oculi ad contemplationem corporum.* Quale ergò commercium contemplationem inter & tactum, ut quod hujus proprium eſt, de illâ quoque nuntietur? Aut quale fędus manus inter & oculos, ut quæ manus tangendo prięſtant, eadem ipſa oculi ſimiliter factitare dicantur?

Oculorum eſt contemplari, non tangere.

Abulenſ.

Oculus pars corporis ſpiritualior.

Manuum actiones oculis tributæ. Oculi tangentes

17 Id ut evidentius agnoſcas, ſubjecta teſtimonia expende, in queis manuum peculiares actiones oculis leguntur adſcriptæ. Vide *Tangentes*: *Tetigit me quaſi viſio hominis.* Dan. 10. 18. *Quia vidiſti* (quia palpaſti) *me Thoma, credidiſti.* Joan. 20. 29. Vide Interficientes *Cogitavi, ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* 1. Reg. 24. 11. *Neque parcat ei oculus tuus, ut miſereatis, & occultes eum; ſed ſtatim interficies.* Deuter. 13. 8. 9. *Peribunt à facie tua.* Pſalm. 9. 4. *Judith filia Merarì in ſpecie faciei ſuę diſſolvit eum.* i. e. occidit. Judith. 16. 8. Vide *Belligerantes*: *Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam ſubjugabis*

Dan. 10. 18. Joan. 20. 29. Interficientes. 1. Reg. 24. 11.

Deuter. 13. 8. Pſalm. 94.

Belligerantes.

gabis mihi. Judit. 2. 6. Ibid. 4. 1. *Timuerunt valdè à facie ejus.* Item 16. 14. *Perierunt in prælio à facie Domini.* Job. 41. 1. *Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? Nolite timere à facie eorum.* 2. Eſdr. 4. 14. Vide Percutientes: *Ego quôque confringam, & non parcet oculus meus.* Ezech. 5. 11. Vide Excæcantes: *Super domum Juda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cęcitate.* Zach. 12. 4. Vide Repellentes. *Facies Domini diviſit eos.* Thren. 4. 16. *Oculus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos.* 1. Eſdr. 5. 5. Vide Opprimentes: & Elevantes. *Eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.* Eccli. 7. 12. *Facilè eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* Ibid. 11. 23. Vide Beneficos: *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Levit. 26. 9. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Tob. 4. 7. *Non pepercit ſupèr te oculus, ut faceret tibi unum de his, miſertus tui.* Ezech. 16. 5. *Invenit gratiam in oculis meis.* 1. Reg. 16. 22. & alibi ſępè. Vide Roborantes. *Oculi Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.* 2. Paral. 16. 9. Vide Solventes: *Proſpexit de excelſo Sancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum.* Pſalm. 101. 21. Vide denique veluti Armatos, tremore animos concutientes: *A facie ejus turbatus ſum.* Job. 23. 15. *Vultum Regis, ac Reginæ ferre non ſuſtinens.* Eſth. 7. 6. *Noli reſiſtere contrà faciem potentis.* Eccli. 4. 32. *Non timent faciem Domini.* Eccle. 8. 13. *Protege me à facie impiorum.* Pſalm. 16. 9. *Aufer impietatem,* (i. e. ſęvitiam, & crudelitatem) *de vultu Regis.* Proverb. 25. 5. *Vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Pſalm. 33. 17. Obitèr nota, quod & monuimus tom. 1. *Commut.* 4. *Expoſit. liter. num.* 17. Vultum, & faciem pro oculo in his teſtimonijs uſurpari, ſicut & in illo Ezech. 13. 17. *Et tu filij hominis pone faciem tuam contra filias populi mei.* Origenes: *Faciem oculum vocamus.* Habes itàque oculis ea negotia tributa, quæ non niſi manibus contingentibus præſtari poſsint. Ecce arduam, plenamque ſcrupis Commutationem, in cujus explanatione plurimi, nec parvi lapides nobis erunt evolvendi.

Judit. 2. 6.
Ibid. 4. 1. & 16. 14.
Job. 41. 1.
2. Eſd. 4. 14.
Percutientes.
Ezech. 5. 11.
Zach. 12. 4.
Repellentes.
Thren. 4. 16.
1. Eſd. 5. 5.
Opprimentes, & elevantes.
Eccli. 7. 12.
Ibid. 11. 23.
Beneficos.
Levit. 26. 9.
Tob. 4. 7.
Ezech. 16. 5.
1. Reg. 16. 22.
Roborantes.
2. Par. 16. 9.
Pſalm. 101. 20. & 21.
Turbantes.
Job. 23. 15.
Eſt. 7. 6.
Eccli. 4. 32.
Eccle. 8. 13.
Pſalm. 16. 9.
Prov. 25. 5.
Pſalm. 33. 17.
Facies pro oculo
Ezech. 13. 17.
Origen.

18 Primó itàque hanc difficultatem ſolves, ſi dicas, hominem deſignari per *oculum*; totum, nimirum, prò parte,

1. Expoſitio.

Oculus pro cujus eſt oculus.

Synecdoche in Scriptura.

Synecdochicôs. Quæ figurata locutio frequentiſsima eſt, præſentique Commutationi, ſicut & multis alijs, valdè opportuna! Eâ quippè ſolâ facillimo negotio nodos quàm plurimos diſſolvere quibis. Itàque cúm oculi quidpiam efficere dicuntur, de illo, cujus ſunt oculi, id enuntiari, intelligere oportet. Expone ergo: *Non parcet oculus meus.* i. e. non parcam. *Nolite timere à facie eorum*, i. e. ab eis. *Noli reſiſtere contrà faciem potentis.* i. e. contra potentem. *Non timent faciem Domini.* i. e. Dominum. *Protege me à facie impiorum.* i. e. ab impijs. *Cogitavi ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* Hebraice: *Dixit, ut occideret te, ſed pepercit tibi, & dixit: non extendam manum meam in Dominum meum.* Clarius ſeptuaginta: *Nolui occidere te, ſed peperci tibi.* Otioſum foret omnia adducta teſtimonia percurrere. Sub eadem figurâ continentur & iſthæc: Levit. 19. 15. *Nec honores vultum potentis.* i. e. potentem. Thren. 4. 16. *Facies Sacerdotum non erubuerunt.* i. e. Sacerdotes.

Hebraj.

Septuag.

Facies pro perſona.

Levit. 19. 15.

Tren. 4. 16.

19 Quin & rebus inanimatis ſolet hæc formula accomodari. Sic dicitur *facies terræ.* Pſalm. 1.4. *Facies ignis.* Pſalm. 67.3. *Facies abyſsi.* Geneſ. 1.2. *Facies regionis.* Ibid. 11.9. *Facies agri.* 1. Reg. 14. 25. *Facies templi.* 3. Reg. 6. 3. *Facies gladij.* Job 19. 29. *Facies venti.* Ibi. 21. 18. *Vultum cæli.* Ibi. 26. 9. Si plura cupis, vide Lorinum in cap. 6. Deuter. v. 15. In his ergo omnibus rei præſentia denotatur, non tamen ſola, ſed efficax adeò, ut effectus á ſola præſentia oriri videantur. Quâ etiam ratione Latini dixerunt, *faciem reipublicæ*, ut Saluſtius; & faciem civitatis, Senatuſvé, ut Cicero pro Flac. Gellius in Job. 13. cap. 28. ex profeſsò docet, Latinam vocem *faciei*, non hominis duntaxât eſſe in ore, oculis, genis, ſed modum omnem, & formam, & facturam quandam corporis totius, à *faciendo* dictam. Verba ejus ſunt: *Quidam faciem eſſe hominis putant os tantum, & oculos & genas, quod Græci Proſopon dicunt; quando facies ſit forma omnis, & modus, & factura totius corporis, à faciendo dicta, ſicut ab aſpectu ſpecies, & à fingendo figura. Non ſolum autem in hominum corporibus, ſed etiam in rebus cujuſque modi aliarum facies dicitur. Nam mentis & cæli, & maris facies, ſi tempeſtivè dicatur, probè dicitur.* Quam rem confirmat idem ex Pacuvio, Plauto, Quadrigario, Saluſtio. Latiùs autem ſumitur *facies*, procujuslibet rei preſentiâ, etiam ſi corpore careat. Sic

Facies etiam de rebus inanimatis dicitur.

Pſalm. 1. 4. & 67. 3.

Geneſ. 1. 2. & 11. 9.

1. Reg. 14. 25.

3. Reg. 6. 3

Job 19. & 28. 18. & 26. 9.

Facies apud Latinos, quid.

Gellius.

fa-

facies iræ, & *indignationis* dicitur Pſalm. 101. 11. *A facie iræ, & indignationis tuę.* Pſalm. 37. 4. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.* Et in eodem. V. 6. *Corruptę ſunt cicatrices meę à facie inſipientiæ meæ.* Oſe. cap. 10. 15. *Sic fecit vobis Bethel à facie malitię nequitiarum veſtrarum.* 4. Reg. 19. 6. *Noli timere à facie ſermonum, quos audiſti.* Facies ergo, & oculi alicujus idem ſunt ac aliquis, ſeu aliquid.

Facies pro preſentia cuiuſcumque rei etiam incorporeę. Pſalm. 101. 11. & 37. 4.

Oſe. 10. 15.

4. Reg. 19. 6.

20 Hâc regulâ non erit operoſum obſcuras alioquin, hiſque finitiſsimas locutiones extricare, quę crebriter apud ſacram Paginam obviæ. Qualis eſt illa Geneſ. 18. 3. *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis.* Et 1. Reg. 16. 22. *Invenit gratiam in oculis meis.* Et Eſth. 2. 9. *Invenit gratiam in conſpectu illius.* Quid autem eſt invenire gratiam in oculis, aut conſpectu alicujus, niſi placere illi? Idem ſonat *deprecari faciem*; namque homo per faciem circunſcribitur; ita ut facies hominis idem ſit, quod homo. Job. 11. 19. *Deprecabuntur faciem tuam plurimi.* Septuaginta: *Tranſmutati multi rogabunt te.* 3. Reg. 13. 6. *Deprecare faciem Domini Dei tui... Oravitque vir faciem Domini.* Pſalm. 44. 13. *Filij Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur.* Pſalm. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Pſalm. 26. 8. *Exquiſivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.* Proverb. 29. 26. *Multi requirunt faciem principis.* Vide ut per faciem graphice adumbretur perſona; quid enim à ſola facie ſpectare poſſet, qui petit? Aut quænam gratia ab oculis obvenire conſuevit, ut rogitentur?

Invenire gratiam in oculis, quid. 1. Reg. 16. 22. Eſth. 2. 9.

Deprecari faciem, quid.

3. Reg. 13. 6. Pſalm. 44. 13. & 118. & 26. 8.

Prov. 29. 26.

21 Favet huic Expoſitioni ejuſdem phraſis energia: *Deprecari* quippè alicujus *faciem*, eſt gratiam, favorem, & benevolentiam potentioris ſibi conciliare. Idque vel muneribus, ut in illo Pſalm. cit. *Filij Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Eâ nimirum arte, quâ Jacob placare ſtuduit muneribus præcedentibus, & poſteà videre fratrem ſuum Eſau, ut narratur Geneſ. 32. 20. Vel obſervantiâ, ut in illo: *Multi requirunt faciem principis.* Quod ſeptuaginta legunt: *Multi colunt facies ducum.* Vel proſtratione. Deuter. 9. 18. *Et procidi antè Dominum ſicut prius.* Grecè: *Et deprecatus ſum coràm Domino ſecundò, ſicut & prius.* Ubi Lorinus, proſtrationem, inquit, verba Hebræum, & Chaldæum,

Deprecari faciem eſt benevolentiam aucupari.

Muneribus.

Geneſ. 32. 20. Obſervantiâ.

Proſtratione. Deuter. 9. 18.

Lorin.

dæum important. Prætereà Græcum *deiſin* indicat indigentiam, & metum, quæ duæ res facilé ſuadent orationem demiſſam. Eſt autem *deomai* etiam *indigeo*, & *deos* metus, à quo ipſo nomine nomen Deus aliqui derivant, qui maximé metuendus eſt. Quam etymologiam Clemens Romanus dat epiſt. 1. Id quod ſtatius Papinius. lib. 3. *Tebaid.* & Petronius Arbiter, iſtum ſecutus, inuere videntur, cúm ita canunt:

Nomen Deus á timore, græcè.

Stat.

Lactant.

Primus in orbe deos fecit timor.

Sic & Mintanor Muſicus apud Lactantium in hunc locum: *Deum doloris quem prima compunctio Humani finxit generis.* Unde Lucanus: *Quæ finxére timent.* Sed de hujuſmodi inflexione vide Gregorium Girald. *Syntagm.* 1. *Hiſtor. Deoru.* Alioqui *deiſin* deprecationem rectè interpretaberis, quod propriè eſt de avertendo malo, quod timetur. Quo ſenſu canebat Naſo 1. de Ponto eleg. 2.

Lucan.

Deprecandi verbum proprié de avertendo malũ.

Ovid.

Sæpè precor mortem, mortem quòque deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat oſſa ſolum.

Precor dixit, ut tantarum ærumnarum levamen. *Deprecor*, quaſi precor, mortem non mihi dari in hac terrâ. Conſule de hoc verbo Aulum Gellium *lib.* 2. cap. 19. qui tamen non probatur Laurentio Vallę *Elegant. lib.* 6. *cap.* 24. Cum igitur á ſola facie nihil boni, aut mali ſperare quis valeat, quód illius non ſit dare, nec auferre; liquidó conſtat, quòd ubi oculi, aut facies deprecari dicuntur, non ipſæ partes deſignantur, ſed earum ſubjectum, cui propriè convenit rogata beneficia præſtare. Et hic dicendi modus, ſicut planiſsimus, ita & apud Interpretes communiſsimus eſt.

Aul. Gel.

Laur. Val.

2. Expoſitio.

22 Sed non minore plauſu excipienda illorum declaratio videtur, qui ejuſmodi phraſim exponunt per Metalepſin; nam quia cordis motus, quibus tandem manus obediunt, oculi declarant; pulcerrimâ tranſumptione tangentes eos, manùſque opera exequentes deſcribit ſacra Pagina: *Ego quôque confringam, & non parcet oculus meus.* Ergô per ſignum, id quod ſignatur, figuraté datur intelligi. De quâ formulâ ſæpè ſępiùs pertractavimus, cogente, nimirum, argumentorum affinitate eandem incudem aſsiduè tundere; quàmquám, opinor, haûd uniſonis ictibus. Ità enim propoſito inſervire ſtatui, ut non per eandem lineam, quod aiunt, ferram reciprocarem. Tamètſi nè-

Oculi tangentes, locutio metaleptica.

Signum pro ſignato.

que

que hoc tàm ſcrupuloſè vitare ſtudui ; ut argumentum jejunum abire paterer , né delicatis Lectoribus facerem ſtomachum. Ergô ea ſolùm attingam , quæ inſtituto magis ſunt peculiaria. Oculos eſſe mentis ſpeculum , multis probavi *tom.* 1. varijs in locis , ſed præcipuè in *Expoſ. liter. Commutat.* 4. *à num.* 11. In oculis itàque , & toto adeò vultu, iram appingi , ſatis declarant illa verba 1. Reg. 18. 8. 9. *Iratus eſt autem Saul nimis , & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte.* Et quod ſubinfertur verſ. 9. *Non rectis ergô oculis Saul aſpiciebat Davíd á die illa.* Et Geneſ. 4. 6. *Quarè iratus es ? & cùr concidit facies tuá ?* Talis námque faciei caſus geſtus eſt hominis irati , átque machinantis vindictam. Undè eſt illud Pſalm. 16. 11. *Projicientes me nunc circumdederunt me , oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Gellius inter iræ ſigna enumerat oculos truces , os turbidum. Cicero iratum Verrem proprijs coloribus pingit , dum ita in eum invehitur Declamatione 5. *Ipſe inflammatus ſcelere in forum venit : ardebant oculi , toto ex corde crudelitas emicabat.* Facit & illud Ovidij:

Ora tument irâ , nigreſcunt ſanguine venæ:
Lumina Gorgoneo ſęvius angue micant.

Ira apparet in oculis. 1. Reg 18. 8. 9. Geneſ. 4. 6. Pſalm. 16. 11. Gell. Cicer. Ovid.

23 Cur autem ira tàm claret in facie , cauſa eſt, quód animi commotio ſerenitatem vultûs immutat. *Ira* , inquit Lactanctius , *eſt commotio mentis , & perturbatio , quæ perinde ac ſæva tempeſtas , tantos quandoque motus excitat , ut ſtatum mentis immutet.* Unde ajebat David Pſalm. 6. 8. *Turbatus eſt à furore oculus meus.* Et 30. 10. *Conturbatus eſt in ira oculus meus.* Similitèr Job. 17. 7. *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Et de Deo irato inquit idem 16. 10. *Collegit furorem ſuum in me , & terribilibus oculis me intuitus eſt.* De Nabuchodonoſore quoque narratur Daniel. 3. 19. *Repletus eſt furore , & aſpectus faciei illius immutatus eſt.* Seneca lib. 1. *de Ira* irati hominis deformitatem mirificé depingit. *Flagrant* , inquit , *& micant oculi , multus ore toto rubor , exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine , labia quatiuntur , dentes comprimuntur , horrent , ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus , ac ſtridens , articulorum ſe ipſos torquentium ſonus , gemitus , mugitùſque , & parum explanatis vocibus ſermo præruptus , & complosæ ſępiùs manus , & pulſata humus pedibus , & totum concitum corpus , magnaſque iræ minas agens,*

Ira vultum perturbat. Lactanct. Pſalm. 6. 8. & 30. 10. Job. 17. 7. & 16. 10. Dan. 3. 19. Senec. Irati hominis pictura.

fœda viſu & horrenda facies depravantium ſe, atque intumeſcentium. Videas irati hominis faciem vel rubôre ſuffuſam, vel pallôre ſubalbidam, ſanguine, nimirum, occupante vultum, aut deſerente. Et hæc eſt cauſa naturalis, cùr iratis immutetur facies. Idem Seneca lib. 3. cap. 3. *Nulli certè affectui pejor eſt vultus, quem deſcripſimus, nùnc ſubitò retrorſum ſanguine fugato, pallentem, nùnc in os omni calore, ac ſpiritu verſo, ſubrubicundum, & ſimilem cruento, venis tumentibus.* Vetus interpres Philonis in Geneſim cap. 7. *Denſitas inde rabientis beſtiæ ex irâ, rubeſcit enim in ſanguinem viſum.* Succurrunt agmine denſo Poetæ. Lucretius lib. 3.

Cur irâ turbatur facies.

Lucret.

Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,
Cùm ferveſcit & ex oculis micat acrius ardor.

Ovidius lib. 8. *Matamorp.*

Ovid.

Sepè ſuum fervens oculis dabat ira ruborem.

Et lib. 8. de Apro: *Sanguine, & igne micant oculi.*

Virgil. *Æneid.* 12.

Virgil.

Ardentes oculos ſuffecit ſanguine, & igne.

Claudianus *de Bel. Get.*

Claud.

Finxerat, immanique oculos infecerat irâ.

Valerius Flac lib. 2.

Val. Flac.

Hirtæque genis pallentibus iræ. Et dolus, & rabies.

Sidon.

Laudat proindè Sidonius Appollinaris Theodoricum Gothorum Regem à genarum rubore, verecundo quidem, non irato. *Lactea illi cutis*, inquit lib. 1. epiſt. 2. *quæ propriùs inſpecta juvenili robore ſuffunditur. Nàmque illi crebrò colorem non ira, ſed verecundia facit.* Turbatur itàque facies tota, àtque adeó oculi, ijs, qui iracundiâ fervent, impotentique bili exæſtuant.

24 Hinc, quoniam ira apparet in vultu, eadem figurâ *facies* pro ira ſæpe quàm uſurpari ſolet, præſertim apud Hebræos. Sic Pſalm. 21. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui.* Quod explicat in ſequenti: *Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Pſalm. 33. 17. *Vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Thren. 4. 16. *Facies Domini diviſit eos*, i. e. vultu irato eos aſpiciens, diſperſit. Pſalm. 67. 3. *Sic ut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Pſalm. 103 32. *Reſpicit terram, & facit eam tremere.* Habac. 1. 9. *Facies eorum ventus urens.* Idem. 2. 20. *Sileat à*

Facies pro ira. Pſalm. 21. 10.

Pſal. 33. 17.

Thren. 4 16.

Pſal. 67. 3.

Pſal. 103. 32. Hab. 1. 9. & 2. 20.

fa-

facie eius omnis terra. Unde illa oratio Davidica Pſalm. 50. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Ubi *faciem* ſumit pro ira, quô pacto exponit D. Auguſtinus in Pſal. 44. *Videre Dei animadvertere eſt, & punire: ideo Judex, quod punit animadvertere dicitur*, i. e. *animo illud vertere, intendere utique ad puniendum: tu à peccatis faciem noli avertere, ſi vis, ut Deus ab ipſis avertat faciem ſuam.* Hinc *commutare faciem* idem eſt, ac triſtem, & iratam faciem in hilarem, & ſerenam frontem mutare; quâ figurâ eleganter admodum utitur Job cap. 9. 26. *Commuto faciem meam, & dolore torqueor.* i. e. quamvis acerrimis excrucior doloribus, qui vultu ſe prodere conantur; faciem tamen ad hilaritatem compono, quò facilis & acceſsibilis omnibus me præbeam. Verbum præſentis temporis *commuto* mentis propoſitum deſignat, & ponitur pro futuro *commutabo*, i. e. ſerenabo faciem. Chaldæus cauſam pro effectu poſuit: *Dimittam iram meam.* Et ſanè commutare faciem geſtum eſſe diſsimulantis internum dolorem, loculentèr oſtendit ficta illa Davidis inſania, quâ 1. Reg. 21. 13. dicitur *immutaſſe os ſuum coràm ſervis Achis.* Ad locutionem pertinet illud Senecæ in Thyeſte:

Pſal. 50. 11.

Videre Dei punire eſt. D. Auguſtinus.

Commutare faciem quid.

Job. 9. 26.

Verbum præſens pro futuro.

Commutare faciem diſsimulantis eſt.

1. Reg. 21. 13.

Senec.

—— *Miſeri*
Temporis omnes dimitte noxas,
Veterem ex animo pelle Thyeſtem,
Redeant vultus ad læta boni.

Et illud, quod ex alio Poeta refert D. Bernardus *ſerm.* 71. in Cant.

D. Bern.

—— *Super omnia vultus* —— —— *Acceſsere boni.*

Vultus variare prudentis eſt.

Itidem & quod quidam ſcitè dixit, prudentiæ fore, ſiquis norit *vultus variare ſuos.*

25 Verùm & ſi facies perſæpè iram ſignificet, non hic porrò perpetuus illi mos eſt: quinimo benevolum quoque affectum haud raró denotare comperimus. Num. 6. 25. 26. *Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem:* benignum, & faventem ſe tibi præbeat. Pſalm. 12. 1. *Uſque quô avertis faciem tuam á me.* Pſalm. 26. 8. 9. *Faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam á me.* Pſalm. 79. 4. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Pſalm. 104. 4. *Quærite faciem ejus ſemper.* Pſalm. 85. 16. *Reſpice in me, & miſerere mei.*

Facies pro benevolentia.

Num. 6. 25. 26.

Pſalm. 12. 1.

Pſalm. 26. 8. 9. & 79. 4. & 104. 4.

& 85. 16.

Pſalm.

& 43. 24. Pſalm. 43. 24. *Quarè faciem tuam avertis.* Et ſæpiſsime aliâs *Facies* itáque quandóque in malam, quandóque in bonam partem accipitur, quod ex adjunctis colligi debet. Accipitur ergô in malam partem, cùm à Deo petitur, ut eam avertat, vel cùm puniens deſcribitur: tunc quippè irata eſt. Jam verò in bonam, cùm deſideratur; tunc namque ut fons totius bonitatis exprimitur. Hanc eamdem ſignificationis ambiguitatem in oculis quoque obſervare convenit. Frequentiſsimè in ſacra Pagina ocurrit hæc formula: *oculus Domini ſuper aliquem*, quæ quidem tùm in bonum, tùm in malum conſonat. In bonum ſumptum, ſignificat benigne aſpicere, ac vultu ipſo oſtendere, quàm benè ſpectato velit, ut 1. Eſdr. 5. 5. *Oculus autem Domini factus eſt ſuper ſenes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos*, divinâ, nimirum, aſsiſtentiâ & favore iuvante, ut perficerent opus, quod eâdem excitante fuerat inchoatum. Deuter. 11. 12. *Quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit: & oculi ejus in ea ſunt à principio anni uſquè ad finem ejus.* i. e. Dei oculus benignè aſpiciens terram promiſsionis, perpetuò amœnam reddit, ac fertilem. Pſalm. 10. 5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Et 32. 18. *Oculi Domini ſupèr metuentes eum, & in eis qui ſperant ſupèr miſericordia ejus.* Eccli. 34. 15. *Oculi Dei in diligentes ſe.* Et 19. *Oculi Domini ſuper timentes eum.* Jerem. 39. 17. *Pone ſuper eum oculos tuos.* In malum; ut in illo proximè citato. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Job. 7. 8. *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.* Et 24. 23. *Oculi autem ejus*, Dei, *ſunt in vijs illius*, nempè impij, ut judicet, & puniat. Utrúmque conjunxit Amos 9. 4. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.* Qui loquendi modus Latinis quoque placet, dùm dicunt *oculis aliquem æquis, aùt non æquis aſpicere*, blandis, aut acribus. Baptiſta Pius.

Obnubitque caput, blandos obnubit occellos.

Valerius Flac. lib. 6.

Ac ſimùl acres hùc oculos, ſenſúſque refert.

Oculus Domini ſuper aliquem, in bonum, & in malum.

1. Eſdr. 5. 5.

Deuter. 11. 12.

Pſal. 10. 5. & 32. 18.

Eccli. 34. 5. & 19.

Jerem. 39. 17.

Job. 7. 8. & 24. 23.

Amos. 9. 4.

Bapt. Pius.

Val. Flac.

26 Profectò verum eſt illud Eccleſiaſtici affatum 13. 31. *Cor hominis immutat faciem illius, ſivè in bona, ſivè in mala.* Diverſa quippè cordis, & animi affectio faciem hominis ad hilaritatem ex porrigit, vel ad ægritudinem contrahit. Elegantèr Juvenalis *Sat.* 9.

Eccli. 13. 31.

De—

Deprehendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprehendas & gaudia. Sumit utrumque
Indè habitum facies.

Undè apùd Hebræos *Vultus idem, ſeu immutatus* animum tranquillum, minimèque perturbatum denotat. Quâ phraſi de Anna Samuelis Matre 1. Reg. 18. dicitur, quòd *Vultus illius non ſunt amplius in diverſa mutati.* Nam cùm triſti, & amaro animo anteà fuiſſet ob prolis defectum, poſteà, ſivè ex oratione immediatè, ſivé ex ſacerdotis oraculo recreata, ſemèl átque hilarem vultum aſſumpſit, nuſquam depoſuit. Videſis Martinum del Rio *Adag.* 174. et ex eo Mendozam ad hunc locum. Favet quàm plurimùm Hebræa littera: *Et facies ejus non fuerunt ei ultrà.* i. e. Non fuit ampliùs triſtis. Nam *facies*, ut paulò antè dicebamus, ſæpè pro mœrore, vel ira uſurpatur, eo nempè quòd homo mœrens, vel iraſcens vultum hilarem, & mitem in ſeverum, & minacem commutat. In quem ſenſum non inviti trahi poſſunt Pagninus, & Vatablus trasferentes: *Iráque illius non fuerit ei ultrà.* Ubi iram pro triſtitia figuratè poſuerunt; néque enim Anna irâ fuerat correpta, ſed triſtitiâ: quâ depulſâ, perpetua deinceps in ejus vultu jucunditas enituit. Placuit hęc forma Petro Damiano, illamque Chriſto D. accommodavit *Serm.* 1. *de Exalt. S. Cruc.* in ordine 48. ubi quæſtionem movens, cur Dominus paſſus fuerit, ſibi faciem ſputis & colaphis fœdari, reſpondet: *Ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur; & diceretur de te: Vultus ejus non ſunt amplius in diverſa mutati.* Voluit enim Chriſtus, vultu in paſsione deturpari, ut glorioſus poſteà æterno fulgore radiaret. Claudianus ipſe inde meritò Mallium Theodorum commendat, quòd placidos ubîque vultus geſtaret: Sic enim in Paneg. ejuſdem.

Temperiem ſervant oculi, nec lumina fervor
Aſperat, aut rabies diffundit ſanguine venas.
Nulláque mutati tempeſtas proditur oris.

Claret ex his, quantâ cum elegantia, nèdum proprietate ſermonis, oculis tribuuntur túm iræ, tùm benevolentiæ actiones; nam cùm pro affectuum varia dominatione vultus quoque hominis commutentur, de ijſdem

Vultus idem, ſeu immutatus animi tranquilli index. 1. Reg. 1. 18.

Mart. del Rio.

Mendoz.

Hebr.

Pagnin. Vatabl.

Petr. Dam.

Claudian.

ut de ſignis manifeſtis enunciatur, quidquid prodere conſueverunt.

3. Expoſitio per amplificationem.

27 Sunt etiam, qui *Oculis non parcere, non miſereri*, per amplificationem dictum velint; quaſi tantùm terroris, tantùmque vitium noxiarum oculis inſit, ut ipſo ſolo aſpectu, ſi abſint cætera nocendi inſtrumenta, obvios quoſque proſternant, & enecent. Sic doctis. Gaſp. Sanct. Gaſpar Sanctius in cap. 1. *Habac.* 9. Quæ metaphorica locutio ab ijs feris deſumpta eſt, quibus ea vis eſſe in oculis creditur, is in vultu terror; ut vel ipſo tantùm intuitu conficiant, & exaniment. Quod de Catoblepa narrat Plinius, & de Baſiliſco lib. 8. cap. 21. Similitèr & de Gorgone Atheneus lib. 5. *Internecio*, ait, *humani generis, omnibus, qui oculos ejus videre, confeſtim inſpirantibus.* Eadem & Baſiliſci ſerpentis eſt vis, qui Lucano lib. 9. dicitur

Oculi, in quibus noxia vis creditur ineſſe.

Catablepæ, Baſiliſci.

Lucan.

Ante venena nocens.

Nimirum, aſpectu venenum ſpargens, & hominem, quem vidit, interimens. Idem refert Ælianus, & alij, quos citat Buſtamantinus, lib. 3. de *Reptil.* qui cap. 17. diſputat phyſicè de contagioſo oculo hominis ipſi baſiliſco, ſi prior homo aſpexerit, & de contagioſo baſiliſci oculo ipſi homini, ſi prævenerit baſiliſcus aſpiciendo. De Amphisbæna quoque docet Georgius Pictorius in *Lerna.*

Buſtam.

Amphiſbenæ.

Georg. pict.

Eſt gravis in gemino ſurgens caput Amphiſibænę
Serpens, qui viſu enecat, & ſibilo.

An ſit faſcinum.

Villarroel.

Sed & in quorundam hominum, ac feminarum oculis hanc peſtiferam vim ineſſe, quam *faſcinum* dicunt, multorum ſententia eſt, quam noviſsimè illuſtrat, ac propugnat Eruditiſsimus Benedictinus P. Emmanuel de Villarroel *tom.* 4. *Tautalog.* 3. *Expoſit. liter. à num.* 39. latiſsimè. Negant faſcinum alij Authores & numero, & pondere nihilo inferiores. Pro hac ſententia nervosè pugnat ex eadem præclara Familia P. Benedictus Hieronymus Feijoò in ſuo *Teatr. Critic. tom.* 5. *Diſc.* 5. §. 9. quem citare haud pudet, quamquam Hiſpano ſermone ſcribit; námque non video cur in eo linguam latinam deſideres, ſivé copiam ſpectes, ſivè proprietatem, ſivè candorem, ſivè majeſtatem, ſivè quodcumque

Magiſter Feijoô laudatur.

que aliud ornamentum dictionis. Sanè monſtravit ſcriptor eloquentiſsimus, quàm non ſit infans Hiſpanienſis ſermo. Quamquam nèc video, cùr ſpernenda ſit doctrina, quæ Latinam linguam non ſonat.

28 De rè ipſa nihil definire audeo. D. Baſilius *homil.* 11. *de Invid.* opinionem *de faſcino*, ut anilem fabulam contemnit. *Ego*, inquit, *horum ſententiam dimittam, ut vulgò latam, ac per mulieres vetulas in opinionem mulierum ſubinductam.* Temperatior D. Hieronymus *in cap.* 3. *epiſtol.* ad Galatas Dei ſcientię hoc arcanum reſervandum putat. Ejus verba ſunt: *Dicitur faſcinum propriè infantibus nocêre, & ætati parvulæ: & his qui nec dùm firmo veſtigio figant gradum.* Undè & quidam è gentibus (Virgilium intellige Eclog. 3.)

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Hoc utrùm verum, nec nè ſit, Deus viderit; quia poteſt fieri, ut & dæmones huic peccato ſerviant. Quod plerúmque accidit; nàm ex pacto dæmonis ad cujuſpiam aſpectum malignum, vel malitioſam laudem plura noxia inferri, multis eſt experimentis comprobatum. Vide Del-Rio *in Diſquis. Magic. lib.* 1. *cap.* 3. q. 4., & fusè lib. 3. p. 1. q. 4. *Sect.* 1.

Faſcinum vetularum commentum.
D. Baſilius.
D. Hieron.
Faſcinum res incerta.

29 Verùm, ſi faſcinum res eſt fabuloſa, & vana, quomodò poteſt conſiſtere Expoſitio præſens, quæ comparatione ad faſcinum, oculorum immanitatem declarare conatur? Adeò nè ſtulti ſumus, ut ſacrarum Literarum veritatem ſuprà rem fictitiam benè conſtructam iri putemus? Videris mihi non ſatis morem Scripturarum edoctus. Scire itáque debes, ſacras literas haud omnino abhorrere vocabula fabularum gentilium; non quòd fabulas approbent, ſed quoniam inſtruendis gentilibus aptiora judicabant vocabula, quibus ipſi erant aſſueti. Undè verbum *faſcino* libentèr uſurpant Scriptores canonici. Salomon, vel quiſquis fuit Author libri Sapientiæ, cap. 4. 12. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Apoſtolus item ad Galat. 3. 1. *Quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Ergô, utilitati conſulentes, populares ſermones ſanequàm prudenter uſurpabant. Lege Ambroſium lib. de *Fid.* ad Gratian. Auguſt. cap. 1. Hieronymus ubi nuper luculenter totam rem declarat.

Scriptura fabuloſis nominibus veritatem docet.
Sap. 4. 12.
ad Gal. 3. 1.

Ait

D. Hieron. Ait enim : *Quòd autem ſequitur* : Quis vos faſcinavit , ? *Dignè Paulo* : *qui & ſi imperitus ſermone , non tamèn ſcientiâ , debemus exponere* : *Non quò ſciret eſſe faſcinum , qui vulgò putatur nocêre ; ſed uſus ſermone ſit trinij , & ut in cęteris , ita & in hoc quoque loco, verbum quotidianæ ſermocinationis aſſumpſerit. Legimus in Proverbijs* : Donum invidi cruciat oculos. *Qui apud nos invidus , in Græco ſignificantiùs ponitur , faſcinator. Et in ſapientia , quæ Salomonis inſcribitur* : Faſcinatio malignitatis obſcurat bona. *Quibus docemur exemplis , quòd vel invidus aliena felicitate crucietur ; vel is in quo bona ſunt aliqua , alio faſcinante , id eſt , invidente , noceatur. Nunc illud in cauſa eſt , quod ex opinione vulgi ſumptum putamus exemplum : ut quomodo ætas tenera noceri dicitur faſcino : ſic etiam Galatę in Chriſti fide nuper nati , & nutriti lacte , & non ſolido cibo , veluti quodam faſcinante , ſint nociti , & ſtomacho fidei nauſeante Spiritus Sancti cibum evomuerint.* Hucúſque Max. Doctor: quo nihil præclariùs dici poteſt.

Invidus dicitur faſcinator.

Loca Script. de fabulis. 30 Hinc intelliges alia Scripturæ loca , fabuloſum quid ſonantia. Quale 2. Reg. 23. 13. ut legit idem Hieronymus : *Vallis Titanorum.* Et Judith. 16. 8. *Nec filij Titan percuſſerunt eum.* Iſaias quoque 34. 14. *Onocentauros* narrat , & *Lamias* , quarum etiam Jeremias meminit *Thren.* 4. 3. *Arcturum* item , & *Oriona*, & *Hyadas* apùd Job legimus 9. 9. Et in eodem cap. 42. 14., ubi Vulgata habet : *Et nomen tertiæ Cornuſtibij* , Græci legunt : *Cornu Amaltheæ.* Ut ipſô , nimirum, fabuloſo nomine tertię filiæ impoſito , proverbiali ſchemate ſignificaret Job beatam rerum omnium affluentiam & copiam , ex pace , & cultu pietatis , átque virtutum exercitio mirificè promanantem : quo ſenſu vel Horatius cecinit *lib.* 1. *epiſt.* 12. *verſ.* 28.

2. Reg. 23. 13. Judit 16. 8. Iſai. 34. 14. Thren. 4. 3. Job. 9. 9. & 42. 14. Cornucopia quid.

Horat.

Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit copia cornu.

Et lib. Carm. 1. Ode 17.

Dij me tuentur : Dijs pietas mea,
Et muſa cordi eſt , hinc tibi copia
Manavit ad plenum benigno
Ruris bonorum opulenta cornu.

Et

Et magis ad rem idem in *Carmin. Sæcul.*

Jam fides, & pax, honórque, pudórque
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.

Nicetas. Omnia hæc vigilanti obſervatione comprehendit Nicetas illô Jobi locô his verbis: *Cùm Scriptura Cornucopiæ, aùt Sirenum, aut Vallis Titanum, aùt Gigantum mentionem facit, tantum utilitatem illis fabulis ſignificatam, non verò falſitatem ullam nobis propinare.* Ergô dùm oculorum ſævitiam vult ſacra pagina exprimere, tribuit illis, quod de faſcino tàm in hominibus, quàm in feris, perſuaſum eſt vulgo, ſivè illud fabuloſum ſit, ſivè hiſtoricum: quippè ad veritatem docendam nihil refert, nùm verum ſit quod aſsumis, nûm dumtaxàt falſô creditum.

Non poſſe oculos ſuſtinere, familiaris locutio. 31 Favet huic Expoſitioni vulgo familiaris locutio, qui dùm hominem truculentum, ac barbarum exprimere vult, hoc fermè modo loqui ſolet. *Non poſſum illius ſuſtinere oculos, vultum ſubire: ipſe me oculorum conjectu frangit, & exanimat.* Quod notavit Sanctius ſuprà laudatus. Verùm non tantùm apùd populares, ſed apùd Sapientes quoque mos iſte loquendi invaluit: unde adagia non pauca profluxere. *Lemnius obtutus*, *ſeu Lemnium obtueri*, de truculentu, & quaſi igneo aſpectu dici proverbialiter oſtendit Euſtathius *Iliad.* primo: propterea quòd homines Lemni efferi, & immanes ferebantur, qui, natos ſibi ex Atticis feminis liberos nefariè trucidarunt. Et huic conſimile: *Titanicus aſpectus*, hoc eſt, torvus, ac tetricus. Cuiuſmodi fuiſſe feruntur veteres illi Titanes. Unde Lucianus in Timone: *Itáque promiſſa barba, reductiſque ſupercilijs, ſecum murmurans neſcio quid, accedit Titanico vultu aſpiciens.* Idem in Icaro menippo: *At Jupiter ad modum terribilitèr, acritérque, & Titanico me intuens vultu.* Sed & illud propriùs noſtrum inſtitutum concernit: *Tanquàm Gorgone conſpecta*: quod de repentè attonito, metùque perculſo dicitur: propterèa quòd Gorgonum tàm teter, ac horrendus obtutus fuiſſe perhibetur, ut in ſaxa obriguiſſe homines ſolo aſpectu, crediti fuerint. Quò ſpectat illud Homeri *Illiados* undecimo.

Lemnius obtutus quid.

Euſtath.

Quid Titanicus aſpectus.

Lucian.

Quid: tamquam Gorgone conſpecta.

Homer. *Torva tuens Gorgon clypei lucebat in æra.*

Et Martialis lib. 9. Epigram. 26.

Martial. *Avertam oculos, tanquàm mihi pocula Gorgon*
Porrigat átque oculos, oráque noſtra tegam?

Æſchylus in Prometh. de Thyphone loquens:

Æſchyl. *Vibrat ex oculis Meduſæum jubar.*

Ulyſſes apud Homerum Odyſſeę 11. pavidum ſe fugiſſe ait,

Homer. *Ne mihi Perſephone conjux Plutonia tetrum*
Gorgonei capitis monſtrum ſubmitteret orco.

Gorgonum aſpectus formidabilis. Gorgonas ad incutiendum terrorem hoc formidabili fuiſſe aſpectu fabulantur : ut unô tantùm oculô tres eas, quô invicem uterentur, præditas fuiſſe dicant. Capita draconum ſquamis obſita, dentes maximos, ſuûm inſtar, manus habentes æneas, & alas quibus volarent. Quô horribili aſpectu in ſe intuentes in ſaxa vertere, credebantur. Alexander Myndius hyſtoricus apud Athenæum in 5. refert, veri fortè ſimiliorem hiſtoriam, Gorgona animal eſſe Lybicum non diſsimile vitulo, quod diro minacium oculorum aſpectu intuens, enecet. Sed quidquid ſit de hoc, omnes iſtæ locutiones confirmant egregiè tertiam hanc Expoſitionem ; tantùm nempe terroris, tantùmque minarum in vultu, & oculis iratis proſtat, ut ſolo aſpectu proſternere, ſola facie necare, hominibus ſit perſuaſum.

Athenæus.

Gorgona nùm animal.

Lybicum.

Oculi re verâ conturbant, & vivificant. 32 Et quidem ſanè neſcio, quid virium in oculis latet, quibus re verâ, & contuitos mortificent, & vivificent, iuxta aſpectûs diverſitatem, vel irati, vel placidi. Prius, quàm ſit verum, apertè declarant exempla Aman, & Eſther : Ille quidem, cùm de proditione Judęorum palàm convictus, *illicò obſtupuit, vultum Regis, àc Reginæ ferre non ſuſtinens.* Illa etiam, cùm injuſſa intravit ad Regem ; nam cùm ipſe *elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & in pallorem colore mutato laſſum ſupra ancillam inclinavit caput.* Quod totum habes Eſther cap. 7. 6. & 15. 10. Joannes quoque Evangeliſta, viſo Filio hominis, ac facie eius lucente ſicut ſol in virtute ſua, de ſe ipſo teſtatur, quod cecidit *ad pedes eius tamquam mortuus.* Apocal. 1. 17. Simile legi-

Eſth. 7. 6. & 15. 10.

Apoc. 1. 17.

tur

cur Dan. 10. 8. ubi, conſpecto viro mirabili, con- Dan. 10. 8.
territum ſe Propheta fatetur. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc : & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Porrò quid exempla cumulamus ? Clariſsimé id liber Sapientiæ poſsi- Sapient. 11. 18.
bile aſtruit cap. 11. 18. *Non enim impoſsibilis erat omnipotens manus tua, quę creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis multitudinem urſorum, aùt audaces leones, aut novi generis irâ plenas ignotas beſtias, aùt vaporem ignium ſpirantes, aùt fumi odorem proferentes, aùt horrendas ab oculis ſcintillas emittentes : quarum non ſolùm leſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.* Sed & poſterius non uno
in loco habemus expreſſum. Pſalm. 20. 7. *Lętificabis eum* Pſalm. 20. 7.
in gaudio cum vultu tuo. Hieronymus : *apùd vultum tuum.* Chaldaicè, *à conſpectu tuo.* Simili phraſi Pſalm. 15. Pſal. 15. 11.
11. *Adimplebis me lętitia cum vultu tuo.* Ubi lætitia beneficiorum ubertatem deſignat. Celebris eſt ille Pro- Prov. 16. 15.
verb. 16. 15. *In hilaritate vultus regis, vita.* Id eſt, Vultus regis hilaris, ſubditorum vita.
ut exponit Alapide : *Lucidus, ſerenus, lętus, hilariſque vultus regis ſubditos allicit, recreat, exhilarat, adeò ut eis vitam, id eſt, florem, lætitiamque vitalem, afflare videatur.* Metaphora à Sole, & Luna Alap.
deſumitur ; nàm quod hęc duo luminaria in cælo, hoc in homine faciei lumina. Sol, & Luna, cæli oculi ; oculi in homine quaſi Sol, & Luna. Elegantiùs D. Ambroſius lib. 6. in Examer. 9. *Quod* D. Ambroſ.
Sol, & Luna in Cęlo, hoc ſunt oculi in homine. Preſſius D. Baſilius Seleuc. orat. 36. *Quod Sol in mundo,* D. Baſil. Sel.
hoc ſunt oculi in homine. Vides, ut Sol nedùm illuminat terram, ſed & fœcundat ? Oculi ergò ſteriles nec Solis, nec oculorum vocabula promerentur. Dei oculos non immeritò agricolis comparabis : lucis quippè ſemina in anima ſpargunt, ut indè gratiæ fructus naſcantur. Undè David cecinit Pſalm. 96. 11. *Lux* Pſalm. 96. 11.
orta eſt juſto, & rectis corde lętitia. Quod alij apùd Latinum vertunt ex Hebræo : *Lumen ſatum, ſeu ſeminatum.* Diſſeminat iràque Deus lucem, cùm intue- Lumen. diſſeminare, quid.
ri dignatur : quoniam, inſtàr ſolis, lumina ſpargit,

ut

ut gratiæ fructus anima progerminet. Quâ quoque formula uſus Lucretius, cùm dixit, lib. 2. quòd ſol conſerit arva lumine.

Lucret. *Sol etiam ſummo de vertice diſſipat omnis*
Ardorem in partis, & lumine conſerit arva.

Senec. Et expreſsius Seneca Tragicus in *Med.*

Spectat hoc noſtri ſator —— Sol generis.

Levit. 26. 9. Quadrat & illa Domini promiſsio Levit. 26. 9. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.*

33 Hinc apùd Profanos natæ illæ phraſes videntur, quibus oculis tribuuntur cùm offenſionis, tùm beneficentiæ opera. *Vultu ſæpè lęditur pietas*, Proverbium eſt, quod Marcus Tullius *in Orat.* pro Roſcio citat tanquam à ſapientibus jactatum. *Et enim*, inquit, *ſi id, quod præclarè à ſapientibus dicitur, vultu ſæpè lædítur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit patri, pro quó mori ipſum res poſtularet, jura divina, átque humana cogebant.* Vultu itáque atrociore, aùt contumaciore, ſicut & verbis, aùt factis impijs lædítur pietas. E veſtigiò, quàm oculi proſint, quamtùmque animorum inſpirent, ſatis paræmia illa demoſtrat: *Oculus Domini ſaginat equum.* Quò pertinet illud, quod refertur à Gellio: quod cùm quidam corpulentus, ac nitidus equum haberet macilentum, ac ſtrigoſum, rogatus quid eſſet in cauſa: reſpondit, mirum non debet videri, ſi equo ſuo eſſet habitior, quando quidem ipſe ſe paſceret, equum curaret ſervus. Hujus figuræ eſt priſcis Agricolis celebratum adagium: *Frons occipitio prior.* Quo ſignificavit antiquitas rectiùs geri negotium, ubi præſens ac teſtis is eſt, cujus agitur negotium. Ubi *prior* dictum eſt, pro potior, meliórque, ut explicat Eraſmus. Alioqui quis ignorabat frontem priorem eſſe capitis partem, occipitium poſteriorem? Plinius lib. *Hiſtor. Mund.* 18. cap. 5. *Eum tamèn*, inquit, *qui benè habitet, ſæpiùs ventitare in agrum, frontemque Domini plùs prodeſſe, quam occipitium non mentiuntur.* Rurſùm ejuſdem libri cap. 6. *Et ideò majores fertiliſsimum in agro oculum Domini eſſe dixerunt.* Itáque Domini pręſentia plurimùm habet momenti ad rem bene gerendam. Unde Virgilius.

Vultu lædítur pietas.

Cicer.

Oculus Domini ſaginat equum.

Frons occipitio prior.

Eraſmus.

Præſentia quantum juvat.

Oculus Domini fertilis in agro.

Urget

Urget præſentia Turni. Virgil.

Et Silius Italic: *Preſentia ſævi Extimulat ducis.* Sil. Ital.

Cùm itáque oculorum ſit & vitam halare, & terrore animos vehementer concutere, nulli mirum eſſe debet, ſi ipſis tribuatur interdùm id, quod ignobilium ferarum proprium eſt; nempè, obvium quemque ſolo vultu proſternere ac exanimare: quaſi cujuſque vita, aùt mors ab eo dependeat, quòd benigno blandiatur aſpectu, vel jaculetur irato. *Non parcat oculus tuus. Pepercit tibi oculus meus.*

34 Poſtremò, *oculis parcere, miſereri eſt*: ſicùt è contrà, oculis non parcere, nulla miſeratione commoveri. Ità exponit Hebraicam hanc locutionem Vocabularium Complutenſe Verbo *Chus*, & verbo *Chamal*, cui conſentiunt Lorinus in cap. 7. *Deutoron.* 16. Calmet in *Judith.* cap. 2. 6. Gaſpar Sanctius in *Iſai.* 13. 17. & nullus, opinor, hanc interpretationem non libenter oſculabitur, eò vel maximè quòd pulcerrimis teſtimonijs commendabilior redditur. Geneſ. 45. 20. *Nèque dimittatis quidquam de ſupellectili veſtrâ.* Pro quô Hebræi legunt: *Et oculus veſter non parcat, ſivè non miſereatur ſuper ſupellectilia veſtra.* Phraſin exponit ipſe Dominus apùd Ezechiel. 5. 11. *Ego confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebor.* Iterùm cap. 7. 3. 4. *Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te: & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te abominationes tuas. Et non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor.* Deuteron. 13. 8. *Non acquieſcas ei, néque audias, néque parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies.* In quibus perſpicuè apparet, quòd *miſerendi* verbum additur *exergaſicè* tamquam expoſitio prioris membri, quaſi quod non parcat oculus, idem ſit, ac non miſereri.

4. Expoſitio. Oculis non parcere, idem ac non miſereri. Vocab. Compl. Lorin. Calm. Sanct. Geneſ. 45. 20. Ezech. 5. 11. & 7. 3. 4. Deut. 13. 8. Exergaſia in ſacris libris.

35 Et quidem *parcendi* verbum abque *oculis* non rarò *miſereri* ſignificat, cuius notationis exempla quàm plurima affert citatum Vocabularium Complutenſe. Jerem. 13 14. *Non parcam, & non concedam.* Hebræi legunt: *Non parcam, néque miſertus ero*: ſivè, *non miſertus ero, & non parcam.* Et in eodem 21. 7. *Et*

Parcendi verbum pro miſereri, apùd Hebræos Vocab. Complut. Jerem. 13. 14. & 21. 7.

percutiet eos in ore gladij , & non ſtectetur , nec parcet,
Ezech. 24. 14. *nèc miſerebitur.* Ezechiel 24. 14. *Nec parcam , nèc placabor* ,
Joel. 2. 17. id eſt , non miſerebor , ut placabilis fiam. Joel 2. 17. *Parce Domine , parce populo tuo.* i. e. miſerere.
Jon. 4. 10. 11. Jon. 4. 10. *Tu doles ſuper hederam.* Quod legunt Hebræi : *Tu miſertus es , ſivè pepercisti ſuper hederam.* Iterum ibidèm verſ. 11. *Et ego non parcam Ninivè ?* i. e.
Geneſ. 19. 16. non miſerebor ? Geneſ. 19. 16. *Eò quòd parceret Dominus illi.* Pro quo Hebræi habent : *In miſeratione Domini ſuper eum.* Hoc indè provenit , quòd hebraicum
Verbum chus Hebræis quid. verbum *Chus* , quod *parcere* eſt , quendam pietatis , &
Pradus. commiſerationis affectum præſefert , ut bellè notat Pradus Jeſuita in *Ezech.* 5. 11. exemplisque alijs confir-
2. Reg. 12. 4. mat , ut 2. Reg. 12. 4. *Parcens ille ſumere de ovibus,*
Proverb. 13. 24. *& bobus ſuis* ; i. e. *miſericordia motus ſupèr nece ovium ſuarum.* Proverb. 13. 24. *Qui parcit virgæ , odit filium*
Ezech. 36. 21. *ſuum* ; hoc eſt , qui præ indulgentia erga filium abſtinet à ferula. Ezech. 36. 21. *Peperci nomini ſancto meo,*
1. Cor. 7. 28. i. e. dolui illud exponere ludibrio. 1. Cor. 7. 28. *Si nupſerit virgo , non peccavit , tribulationem tamèn carnis habebunt hujuſmodi : ego autem vobis parco.* Quaſi diceret , liberos vos dimitto , non ſinè miſericordia , & animi mei ſenſu vehementi : propterea quòd ſtatus conjugij multis curis , & ſolicitudinibus eſt obnoxius.

Et apud Latinos. Cicer. 36 Quin & apùd Latinos eandem ſignificationem verbum *parco* frequentiſsimè obtinet. Cicero *Orat.* 4. in Catil. *Mihi & rebus meis parcere deſinite.* Idem pro Quintio : *Boni viri malunt commemorare , ſe cùm perdere poſſent , pepercisse.* Cęſar 7. de Bello Gall. *Non ætate confectis , non mulieribus , non infantibus pepercerunt.* Ser-
Cæſar. vius Ciceroni lib. 4. epiſt. *Cui inimici proptèr dignitatem pepercerant , inventus eſt amicus , qui ei mortem afferret.* Terentius in *Adelph.*

Serui. *Nihil pepercit : non puduisse verberare hominem ſenem,*
Terent. *Quem ego puerum tantillum in manibus geſtavi meis ?*
Ovid. Naſo 4. *Faſtor.* *Frontem dilectæ lædere parcit.*
Virgil. Virgilius 6. *Æneid. Parcere ſubjectis , & debellare ſuperbos.*
Parcę , ita dictæ quòd minimè parcant. Hinc per *antiphraſin* , ſivè per contrariam ſignificationem , Fata , quià non parcunt , nec ullius miſereſcunt,

Par-

Parcas vocitavêre. Prȩclarè D. Hieronymus *epiſt.* ad Bonaſum : *An ideò tibi bellus videris , quia fauſto vocaris nomine ? Quaſi non & Lucus ideò dicatur , quòd minimè luceat , & Parcę , quòd nequaquàm parcant , & Eumenides furiæ , quòd non ſint benignę , & vulgò Æthiopes vocentur argentei.* Idem Fabiolæ Manſ. 33. *Per antiphraſin eſt intelligendum , quomodò Parcę dicantur ab eo, quòd minimè parcant , & Bellum , quòd nequaquàm bellum ſit , & Lucus , quòd minimè luceat.* Adhelmus de Laud. Virginit. cap. 13. *Et parcarum graſſatrix , non ulli parcentum atrocitas.* Martianus Capella lib. 4. *Per contrarium verba dicuntur , quandò contrà quod dicimus , accipiuntur ; ut Parcas dicimus fata , cùm non parcant , & Lucum , cùm non luceat : hoc grammatici antiphraſin dicunt.* Apulejus de *Manibus* ait, *eos per antiphraſin dici manes , hoc eſt , mites , ac modeſtos , cùm ſint terribiles , & immanes, ut Parcas , ut Eumenides.* Donatus de Barbariſmo , in fine : *Antiphraſis eſt unius verbi ironia , ut Bellum , hoc eſt minimè bellum , & Lucus quòd minimè luceat , Parcæ quod minimè parcant.* Parcere itáque , miſerentis eſt , ſicut non parcere , punientis.

D. Hieron.

Antiphraſis.

Adhelmus.

Mart. Capell.

Apulei.

Donatus.

37 Sed cur hujuſmodi affectiones , & effectus oculis , quibus minimè convenire videntur , ſignatiſsimè tribuantur , pergis adhùc ſcrupulosè à me quærere? Ediſſeram. Et eſto Expoſitio quinta. Quia , nimirùm, oculi videntes alicujus miſeriam , ſolent ad miſericordiam commoveri ; humanum quippè eſt , ad proximi calamitatem animo tenereſcere , lacrymáſque profundere. Quod quidem pietatis officium ſolent vel inimici præſtare. Unde ortum proverbium : *Vel hoſti miſerandum* : Quò reſpexit Virgilius 2. Æneid.

5. Expoſitio.

Oculorum eſt ad miſericordiam commoveri.

Vel hoſtibus miſerandum.

Quis talia fando,
Mirmidonum , Dolopum ve , aut diri miles Ulyſsis
Temperet à lacrymis ? Et lib. 12.
Vel Priamô miſeranda manus.

Virgil.

Itáque *oculis parcere* , non tantùm denotat internum miſerationis affectum , ſed & geſtum exteriorem , quem miſericordia fingit in ore , átque adeò in oculis : & ſignificat , oculos claudere , connivere ex commotione animi ſuper alicujus perſonæ , vel rei indignita-

Oculis parcere eſt exteriore quòque geſtu miſereri.

te;

te ; quâ quis dolore perculſus veniam dat , ceſſat , abſtinet ; parcetque illi. Undè David loco cit. inquit ad Saulem : *Cogitavi , ut occiderem te : ſed pepercit tibi oculus meus.* Doluerat , videlicet de morte illius , quam ſuæ ſubiectam viderat poteſtati , ac forſàm etiam non ſine lacrymis , quibus poſteà largitèr profuſis , morti ejus quodam modò parentavit. Quæ quidem expoſitio mirificè quadrat teſtimonijs adductis ; illis præſertim, ubi extat hebraicum verbum *Chus*, quod , ut docet Vocabularium Complutenſe ubi dudùm , ſignificat parcere , miſereri , flecti ad miſericordiam : non tantùm interiore animi commotione , ſed & exteriore habitu denotatam , ut optimè advertit Pradus *in Ezech.* 5. 11. Igitur hic loquendi modus figuratus eſt , & metalepticus , in quo ex ſigno res intelligitur figurata , i. e. ex oculis collacrymantibus miſericordia , quę ex illis lacrymas extorquet.

Pradus.

Locutio metaleptica : ex ſigno ſignatum.

Oculis non parcere, eſt nullum ſignum miſericordiæ dare.

38 Per oppoſitum , *oculis non parcere* , eſt nulla miſericordię ſigna edere , nullis miſerorum calamitatibus flecti , nullis ſuplicijs commoveri ; quinimo fixis vultibus , atque ſiccis oculis contemplari. Hâc phraſi ingentem , ac truculentam Babyloniorum deſtructionem deſcripſit Iſaias Propheta cap. 13. 18. *Et ſuper filios non parcet oculus eorum.* In dira illa clade , átque horribili nimis excidio , tàm erit Perſarum furor in Babylonicum nomen accenſus , ut néque Civitatis omnium glorioſiſsimæ ruina , néque nobilium feminarum opprobrium , néque alliſi ad petram , aut ex materno ſinu ad necem arrepti infantes , eorum viſcera commovêre ſint ſatis ; quin potius omni humanitatis ſenſu depoſito , duris oculis omnia vaſtabunt. Videſis doctis. Sanctium. Hâc unius textûs expoſitione, nè ſupervacua moleſtia lectoris patientiam offendamus, reliquos ejuſdem ſaporis comprehenſos optamus. Non longè abeſt paræmia illa Hebræorum , quâ immitem hominem , & crudelem vocitant *fortem , ſeu durum faciebus.* Deuter. 28. 50. *Gentem procaciſsimam , quæ non deferat ſeni , nec miſereatur parvuli.* Hebraicè , & Chaldaicè : *Fortem faciebus* , ut exponit Del Rius tom. 1. adag. 136. Oleaſter : *Immitem.* Hinc obfirmare , ſeù in-

Iſai. 13. 18.

Sanct.

Fortis faciebus pro immiti.

Deuter. 28. 50.

Obfirmare faciem contra aliquem, quid.

indurare faciem contrà aliquem, eſt in illius vindictam exardeſcere. Levit. 17. 10. *Homo quilibet de domo Iſraël,* Levit. 17. 10.
& de advenis, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contrà animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo. Similis formula eſt in Jeremia 21. 10. *Poſui fa-* Jer. 20. 10.
ciem ſuper civitatem hanc in malum, & non in bonum. Lectio Græcà : *firmavi faciem meam.* Idèm valet apùd Amos 9. 4. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum, &* Amos. 9. 4.
non in bonum. Græcè : *firmabo.* Affinia non rarò invenies. Indè porrò phraſin natam puto, quoniam ſolent homines, quos ira vehemens, ac magnus furor invaſit, faciem, oculoſque in ſibi inviſos veluti vibrare, fixéque defigere, ſeque totos contrà ipſos opponere ad reſiſtendum, & ſi vires ſuppetunt, ad nocendum. *Sic nos*, inquit Abulenſis Antiſtes, *loquimur humano modo, quod unus* Abul.
homo ponat vultum ſuum contra alterum, quandò totalitèr inquirit, ut eum occidat. Denique obfirmatio faciei Eze- Ezech. 4. 3.
chielis in Jeruſalem pro ſigno fuit, à Deo dato, inevitabilis obſidionis. *Obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidionem, & circumdabis eam : ſignum eſt domui Iſraël.* Sàt expoſitioni Literæ inſudavimus : æquus ordo jam poſtulat, ut moribus componendis myſticos ejuſdem ſenſus pro viribus explanare conemur.

VARIETAS LECTIONUM.

EGO quoque confringam & non parcet oculus meus, & Vulg.
non miſerebor.

Et ego diminuam, & non connivebit oculus meus, & ego Malu.
etiam miſeratione non commovebor.

Ego quoque conteram brachium tuum, & non parcet verbum Chald.
meum.

Non clementiâ movebitur oculus meus. Syr.

CONCORDIA.

COnfringam. Alij, *diminuam, conteram.* Verbum *garah*, ſignificat confringere, detrahere, adimere, abradere, delêre. *Et non parcet oculus meus.* Parcere quidem animi eſt; tribuitur verò oculis, quòd verbum hebræum *chos* non tantum eſt miſericordię interioris, ſed geſtus exterioris, qui à miſericordia promanat; ſignificat enim oculos claudere, connivere, & commotione animi ſuper alicujus perſonæ, vel rei indignitate, quo quis dolore perculſus, veniam dat, ceſſat, parcetque illi.

DISSERTATIONUM ABACUS.

1. IRati Numinis oculi maximè timendi.
2. Dolent Deo oculi, ubi punire cogitur.
3. Deiparæ Conceptio Immaculata divinorum oculorum opus.
4. Deiparæ oculi hominibus ſalutares, diabolo lethiferi.
5. Virginis oculi tortores ejuſdem juxtà crucem.
6. Donèc oculi non vident, manus otiantur.
7. Spectantium oculi grande afflictorum levamen.
8. Mundi felicitas colorata eſt, non vera voluptas.
9. Homines non timendi.
10. Crux Chriſti, & imago Matris hoſtium terror, & exitium.
11. D. Jacobi Apoſtoli facies duriſsima Mauris.
12. S. Benedicto oculi pro manibus.
13. D. Ignatius Loyoleus in imagine vivus.
14. Correctio blanda ſeveriore potentior.
15. Chriſti oculi vitaliſsimi.
16. Invidia res juſtiſsima, quòd ſuo noceat authori.

DISSERTATIO I.

IRATI NUMINIS OCULI maximè timendi.

Argumentum pro die judicij.

1 CRedideram ſanè quam, nihil in tota membrorum congerie inveniri poſſe oculis innocentiùs, nihil mitiùs, ſuaviùs nihil. Videbam quippè prę omnibus exarmatos, nullâ virtute prędito, nullovè robore inſignitos. Qui enim nocère valeat, cuius tactus non ſentitur? Nunc verò cùm oculos audiam, à Domino in vindictam aſsumi, fateor à me credi, quod difficile creditu videbatur. Audias tu quóque, & credes. Hęc enim verba Dei ſunt. *Ego quòque confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebor.* Ezech. 5. 11. Exhorrui Domini manum, cùm illa auribus minitatio inſonuit: *Ego quòque confringam.* Putabam namque ſtatim ab eo gladium evaginandum, quod infra minatur. *Ejiciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te juſtum, & impium.* Ibid. c. 21. 3. Vel certè fulminibus armandam dexteram, quibus hoſtes contereret. His quippè pugnat Omnipotens, vel Ethnico teſte, qui ita canit 2. Metam.

Vel â mitiſſimo cavendum.

Ezech. 5. 11.

Fulmina Dei arma.

Ovid.

Ille pater rectòrque Deùm cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt.

Verùm horror ille in admirationem verſus, cùm ſequentia verba auſcultarem: *Et non parcet oculus meus.* Domine, de cędę agis, & ſtrage impiorum. Quid ergò quòd tuus oculus non parcat, ſi parcit manus? Nimirum, irato Deo oculi ſunt pro manibus; quià non minus ferit acris luminibus, quam armatà dexterà. Oculos vibrare perindè eſt, ac gladium intendere. Non parcit oculis, quos morti deſtinat: quoniam, ut rebelles conterat, ſat eſt, ſi iratis eos oculis contueatur. *Ego quòqae confringam, & non parcet oculus meus.*

Irata Deo oculi ſunt pro manibus.

2 Sed nè putes, levem fuiſſe plagam, quę ab oculis cauſanda prædicitur, advertas velim, in toto illo capite varia torquendi inſtrumenta commemorari, quibus Dei ira in ſceleſtos Judæos deſævitura nunciatur. Ventilabra ibi deſcribuntur, & enſes, fames quóque, ac peſtis, ſagittæ item peſsimæ, beſtiæque furore plenæ. Quid plura? Non plùs ultra. *Et faciam in te*, dicit Dominus, *quòd non feci, & quibus ultrà non faciam, propter omnes abominationes tuas.* Res profectò mirà! Homines ventilare, fame, ac peſte conſumere, gladijs, & ſagittis perfodere, immaniſsimiſque feris diſcerpere; hoc eſt apùd Deum, oculis non parcere? Ità. Nulla quippè acerbior ſtrages impijs accidere valet, quàm quæ ab oculis irati Numinis fulminari conſuevit. *Et non parcet oculus meus.* Quòd fame premantur populi, quod peſte tabeſcant, quod bellorum fluctibus obruantur, quòd depopulentur Civitates, quòd ruant imperia, oculus Dei efficit, omni armaturà potentior. *Et non parcet oculus meus.*

Ab oculis Dei vis mirà nocendi.

Ezech. 5. 9.

Populorum calamitates ab oculis Domini.

3 Væ homini, quem iratis oculis aſpexerit Dominus? Duras certè pœnas dabit acerbè conſpectus. Irata quippè Dei facies pro ſupplicio eſt, & quidem amaro valde. Audi Legislatorem æquiſſimum, imo totius juſtitiæ fontem. *Homo ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius.* Eſus ſanguinis prohibitus erat filijs Iſrael, & advenis, & quidem ſub pœna capitis, ut conſtat ex eodem libro cap. 7. 24. *Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* Quid ergò eſt, quòd hic legis tranſgreſſoribus, atque reis mortis divinæ faciei obfirmatio comminatur? An quòd, ſi firmo vultu ſontes intueantur à Judice, ſat eſt, ut capitale delictum merita pœnâ multetur? Crede Deo, ita loquenti: *Obfirmabo faciem meam contrà animam illius.* Sat plectitur lethâle crimen divino vultu, in peccatorem firmato: dirum quippè manet ſuplicium, quem Deus truculento aſpectu fuerit contuitus.

Irata Dei facies pro ſupplicio eſt.

Levit. 17. 10.

Levit. 7. 24.

Judicis ſevera facies gravisſima reis.

Uſque adeò vicina ſtragi irata Dei acies eſt, ut pro eodem reputetur lumina obfirmare, ac inferre ſupplicium. *Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis. Homo ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius.*

Oculi Dei irati ut animas perdunt.

Oculi Dei ſuâ manu graviores.

4 Cave itàque nequando te Deus aſpiciat iratus. Peribis absque dubio ſemel atque ſęva lumina in te defixerit. Hoc ſibi David metuebat, cùm peccatorum ſuorum conſcius, ita Dominum exorabat: Pſal. 50. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Putaram à Rege, libidine ſupplantato, & cruentato cæde, Numinis potiùs manum extimendam, quàm faciem. Et quidem gladium domui ſuæ imminentem, idque teſtante Nathan propheta, jam noverat. 2. Reg. 12. 10. *Non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut eſſet uxor tua.* Cur ergò de enſe tacet, tam anxiùs de facie? Cur imminentem gladium precibus non curat avertere, & pro avertenda facie humillimas voces fundit? Quia, nimirum, nihil eſt, quod magis timere debeat peccator, quam iratam faciem Domini. Fateor graviſsima eſt ipſius manus; ſed quæ vel acerbiſsimos tactus ita temperare ſolet, ut animæ parcat interdum. Nimis certè quondam aggravata eſt ſuper Jobum: Job. 19. 21. *Manus*, inquit, *Domini tetigit me.* Verùm, ſuperſtite vitâ, ſuos ipſe triumphos, ac diſcrimina celebravit. Facies vero Dei, quam ſemel furor incenderit, donec peccatores abſumat, non quieſcit. Ideò David armatæ Dei dexteræ, in ſe que ruentis gladij quaſi immemor, in hoc unum totos orationis nervos intendit, nè irata facie Dominus peccata ſua perſpiceret. Namque furente manu, ſpes aliqua evadendi illuceſcere poteſt; ſæviente oculo, deplorata eſt vita. *Non recedet gladius de domo tua in ſempiternum. Averte oculos tuos à peccatis meis.*

Mors animæ quàm corporis infelicior.

5 Cæterum humiliora ſunt iſthæc, & terrena ſapiunt. Altiora, dignáque timore caſto rimemur. Parum eſt, ſi pereat vita, quę tandem finem eſt habitura. Valdè autem multùm eſt, ſi pereat anima, etęrnùm punienda. Hanc miſerrimam ſortem quò Rex pęnitens effugere poſsit, ut à peccatis ſuis Deus faciem amoveat, enixè præſtolatur. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Non manum pavet, ſed faciem; non gladium vibrantem, ſed oculos irâ flammatos. Enſis enim poteſt vitam corporis adimere, intactam tamèn animam relinquet. Facies verò furore ſuccenſa nèc vitæ parcit, nèc animæ indulget; namque & corpus vitâ privat, & animam detrudit in gehennam. Undè Job: Job. 7. 8. *Oculi tui in me & non ſubſiſtam.* Quę verba noſtro propoſito convenientiſsimè Divus Gregorius expandit: *Ac ſi aperte dicat: Diſtrictius ad judicium veniens, & ad ſalvandum non vides, & ad feriendum vides; quia quem in præſenti vita diſpenſationis tuæ miſeratione non reſpicis, reſpiciendo poſtmodùm per juſtitiam extinguis.* D. Greg.

6 Heu timè tibi ab irata Domini fronte. Time venturi Judicis oculos, quibus tùnc ad ſalvandum non videbit, videbit verò ad puniendum. Non, inquam, videbit, ut miſereatur impio, ſed ut torqueat. Et quis Dei faciem in vindictam armatam ſupremò illo in judicio ferre poterit? Comtemplare, quæſo, quid Joanni acciderit. *Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquàm mortus.* Ec quænàm vidit? *Similem*, inquit, *filio hominis.* Quid porrò? *Et oculi ejus tanquàm flamma ignis. Et facies ejus tanquàm ſol lucet in virtute ſua.* Ergò flammei oculi, & pellucida Domini facies, ita Apoſtolum conterruit, ut ſemianimen procumbere fecerint. Et quidèm tunc Dominus non judicis perſonam induit, ſed Magiſtri; apparuit quippè ut doceret, ac blandè corriperet delinquentes; non ut ſeverè in eos animadverteret. *Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam.* Ibid. 2. 5. Quòd ſi tantus terror in facie docentis, qualem putas futurum in fa-

Irata Dei facies intolerabilis.

Apoc. 1. 17. 14. 26.

Chriſti D facies vel cum docet, exterret.

Ibid. 2. 5.

facie judicantis ? Si ſolo terret aſpectu , cùm peccatores ad pœnitentiam invitat ; quis illius vultum ferre poterit , cùm damnaturùs advenerit ? Major ſanè terror erit , quam ut verbis explicari poſsit.

A facie Domini vel juſti terrentur.

7 Quem porrò facies Domini terrore tanto concuſsit ? Diſcipulorum , nempè , dilectiſsimum , pudoris lilium , tonitrui ſobolem , Virginis filium , Joannem , inquam, qui olim prò Chriſto navim , & retia dimiſſerat , qui recubuerat ſuper pectus Domini in cœna , qui tùm temporis , & exulabat pro fide , & corde in cœlis degebat. Hunc tamen Domini facies ex terret , flammeique oculi uſque adeò conturbant , ut pene vitam exhalare cogant. *Oculi ejus tanquàm flamma ignis. Et cùm vidiſſem eum , cecidi ad pedes ejus tanquàm mortuus.* Quid rogo , in te aget divinus vultus in die furoris , & indignationis ? In te , inquam , & adulterum , & avarum , & impium , & epulonem , & Chriſti contemptorem , & Virginis Matris ingratiſsimum filium ? Antè cujus oculos cadit Apoſtolus , ſtabis avarus ? Conſiſtes pollutus , ubi corruit pudicus ? Reſpirabis peccator, ubi penè exanimatur innocens? Cades abſque ſpe ſurgendi : corrues nuſquàm ſortem infeliciſsimam mutaturus : expirabis æternùm moriturus. Peribis à facie Domini.

Confidentia vana peccatorum.

8 Sed enim inquiens : Undè tanta oculis cœleſtibus ira , qui blandiſsimi ſunt , & pietate pleni? Et ideò timendi magis. Nihil enim tàm deſęvit , quàm manſuetus , ſi ſemel concipit iras. Aere quid lenius. Leviſsimę ſtipulæ cedit , à muſca dividi patitur. Is tamen iratus , & arces ſubito exturbat , & montes repentè convoluit. Nimirum , præ cæteris elementis iraſcitur , quod omnia manſuetudine vincit. Nullum aere furioſius , quia nullum mitiùs. Ergò ab oculis Numinis timendum maximè: quoniàm, ut clementiâ prœſtant , ita & furore præeminent. Sponſam audi, qui Joannem audiſti. *Oculi eius* , illa inquit , *ſicut columbę.* Sed , *& oculi eius tanquàm flamma ignis*, Joannes dixit. Quid columba ad flammam? Quid Ales mitiſsima ad ignem ? Columba quid dulciùs? Flammâ quid ſævius ? Quomodò ergò igniti oculi , qui columbini? Quià , nimirum , manſuetudo , ubi exaſperari contigerit , mirificè igneſcit. Nihil eſt , quòd ſperes ab oculis columbinis , niſi aut blandimenta , aut flammas. Non eſt medium. Si non arrident , exùrunt. Eòque acriùs inflammant quos vident , quò mitius ſpectare conſuerunt. Quid ergo ſibi audet promittere impius , ex quò Chriſto D. columbini ſint oculi? Vę miſero ! Acerbiùs torquebitur: etenim Judici columbini ſunt oculi. Ardebit infęlix ab oculis columbæ : quippè columba irata flammas jaculatur aſpectu. *Oculi ejus ſicut columbæ. Oculi ejus tanquàm flamma ignis.*

Manſuetudo irata terribilior.

Homines manſueti ut cavendi.

Caut. 5. 12.

9 Vide , ut non irrites columbam , dum manſuetiſsimis te oculis dignatur aſpicere ; dùm ocellis gratiſsimis ad ſe redamandum allicit ; dùm peccantem ſuſtinet ; dùm ad pęnitentiam invitat ; dùm gemitibus , lacrymis , ſanguineque animæ tuę ſolicita proſpicit. His blandimentis modò ſe gerit erga errantes Chriſtus Dominus. Verùm oſtendet judicij dies , quantùm irarum ſubſit huiuſce columbæ cordi. Erit profectò tunc aſpectus columbæ terribilior, quò modò patientior. Lugubri voce clamat Jeremias: *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ , & à facie irę furoris Domini.* Quod iram columbæ prędixerat, hoc furorem Domini ſubjunxit, ut exponit Mag. Gregorius in quadrageſimum *cap. Job cap.* 7. Mira ſententia ! Quis crederet , ſi non id ſacra eloquia teſtarentùr ; furorem Domini per iram columbæ denotari ; præſertim cùm furor ille tantus ſit , qui terram omnem redigat in ſolitudinem ? Tanto furori explicando convenientior videbatur ferotia leonis , draconis ſęvitia , aùt urſæ crudelitas. Cęterum quid furori tanto irâ columbę remotius? Fallimur certè. Sapit Própheta. Ad ſummam iram exaggerandam nulla

Apoc. 1. 14.

Dei clementiâ non abutendum.

Ira mitiſsimi cordis ſæviſſima.

Chriſtus Dominus , qua columba maximè timendus.

Jerem. 25. 38.

Ira columbæ Domini furor.

D. Greg.

Dei patientia timenda.

la aptior ſimilitudo, quàm ira mitiſſimæ Alitis. Namque nullus ſævior furor, quàm ira cordis mitiſſimi. Ideò Dominus in extremo judicio, quandò impios de terra perdet, non cùm facie Leonis deſcribitur à Propheta, non tygridis, non draconis, non alius denique truculentis beſtiæ; ſed columbę manſuetiſſimæ: quoniam quo patientior toleravit iniquos, eò acerbior vindicabit in eos. *Deſerta facta eſt terra à facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini.*

10 Hùc facit illa Domini comminatio ad ſenatum Judęorum: *Dico vobis, amodò videbitis filium hominis venientem in nubibus cęli.* Quod itidèm Diſcipulis iàm prędixerat; *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cùm poteſtate magna, & majeſtate.* Dubio procul, ut hominum mentes à peccatis Salvator avertat, ſe judicem ſeverum venturum eſſe denuntiat. Verùm, cùm idem ipſe, qui filius hominis, ſit & filius Dei, non levis quęſtio animum pulſat; cùr, nimirum, cùm ſui terrorem Mortalium pectoribus cupit ingerere, non ſe qua filium Dei judicaturum exponit, ſed quâ filium hominis? Sanè *filius Dei* terribiliùs ſonat, quàm *filius hominis*: nomen quippè Dei, eſt maieſtatis; nomen hominis, lenitatis. Cùr ergò Deitatem ſilet, & Humanitatem obijcit? Cùr non ait: Videbitis filium Dei; Sed, *Videbitis filium hominis, venientem in nubibus cæli?* Quià, videlicet, terribilior apparebit juſtitia, quandò diſſimulatà divinitate, in humana figura exercebit judicium: quoniam eadem ipſa figura, in quâ tàm dira pro nobis eſt paſſus, maximè in judicio torquebit iniquos: ut verùm ſit, quod inſtrumenta miſericordiæ, tantò acerbiora reddantur ad pœnam, quantò humaniora fuerunt ad veniam.

Matth. 26. 64.

Luc. 21. 27.

Chriſtus, ut homo, ſeveriſsimus Judex.

Inſtrumenta miſericordiæ duriſsima impijs.

11 Verùm ſcire convenit, undè nam faciei humaniſsimæ ſeveritas tanta? Undè ſereniſsimis oculis tàm terribilis conſpectus? Scimus quippè in extremo illo judicio, & ſanctis tranquillum, & impijs iratum Filium hominis apparendum. Num geminum vultum ſubinduet; alterum truculentum, quò improbos terreat: alterum gratioſum, quò bonos exhilaret? Rudis cogitatio. Judicis ſanè vultus idem, facies eadem, ijdemmet oculi. Sed conſcientiarum diverſitas faciet, ut eadem facies conſpecta, alijs placida, alijs formidabilis appareat. Quia & juſtis benignam oſtendet antè acta juſtitia, & impijs terribilem culpa. Favet idem textus laudatus ex Jeremia: *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini.* Columba valdè ſimplex eſt animal: & quia in Deum nulla furoris inæqualitas ſerpit, furorem Domini iram columbę nominavit. Sed ipſe columba manens, alijs apparebit amabilis, alijs formidabilis ſupra modum: quoniam & fædata conſcientia non ſinet videre propitium, & mens inculpata haùd permittet ſuſpicari ſeverum. Intrà ſe culpas cernere, & ante ſe Judicem juſtum videre; hinc pavor impijs. Bona opera intrà conſcientiam rimari, & antè ſe juſtum remuneratorem ſpectare; hinc gaudium beatis. Et quoniam pavor ſæva præſumit, & gaudium læta promittit; hinc eadem judicis facies, & bonis apparebit hilaris, & reprobis plena furoris. *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, à facie iræ furoris Domini.*

Diverſa Chriſti facies in judicio á conſcientiârũ diverſitate.

Bona conſcientia Judicem non timet.

Chriſtus cùm tranquillitate iraſcitur.

Mala conſcientia torquet.

12 Aptiſsimo id exemplo illuſtrat Mag. Gregorius, ubi nuper: Nam cùm duo, inquit, ad judicium pergunt, alius innocentiæ ſibi conſcius, alius culpæ; ante prolatam ſententiam adhùc tacentem judicem uterque conſpiciunt; & tamèn culpæ debitor gravem contrà ſe iram hoc ipſum judicis ſilentium ſuſpicatur. Quam iram ſibi non denuntiat perturbatio judicis, ſed recordatio pravitatis; quia & ſi adhùc foris reum ſententia non clamat; intùs tamèn gravitèr conſcientia accuſat. At contrà juſtitiæ amicus decernentis vultum conſpicit, ſed intùs de teſtimonio bonæ recordationis hila-

D. Gregor.

Præſentia Judicis terret malos, lætificat bonos.

lareſcit : & quo apùd ſe quod metuat non habet, omne quod ergà ſemetipſum eſt, blandum videt. Hucuſque D. Gregorius ſolità ſibi eloquentiâ. Felices illi, quibus bonę vitæ teſtimonium hilares reddet ſeveriſsimi judicis oculos. Perditiſsimi verò, quibus conſcientiæ remorſus judicis benigniſsimi vultum terrore plenum confinget.

DISSERTATIO II.

DOLENT DEO OCULI, ubi punire cogitur.

Dei clementia.

1 QUidnî doleant oculi, cui cor doluit? Equidèm gravi vulnere ſaucium, quòd coactus fuerit mundum flagitioſum perdere, ſacra Pagina liquidò teſtatur. *Tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.* Cor quippè ſedes clementiæ: igitur nequit non dolêre valdè, ubi irrumpente iuſtitiâ, clementia exulare cogitur. (Loquimur humano more, quomodo & ipſa divina Eloquia conſuêre.) Quid ergò mirum, oculi divini doleant, cùm miſereri non licet? Cor utique ſedile pietatis; ſed & oculi miſericordiæ domicilium: igitur juſtitiæ rigor & cor Domini intimo dolore tangit, & pupillam gravi vulnere lauciat. *Tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.*

Geneſ. 6.6.7.

Cor Dei vulneratur, cùm vulnerat.

Oculorum miſericordia eximia.

2 Vide quàm proni ſint ad miſericordiam oculi, ut hinc docearis, quàm ſit illis amara & intolerabilis ultio. Non manuum eſt, non pedum, non denique alterius membri, ad alienam miſericordiam commoveri; uni oculi liquefieri norunt: lumina ſola tenereſcunt in lacrymas. His pietas hauritur, his veluti januis clementia corda ſubintrat. Ideò reliquis membris vindictam meditantibus, ſoli oculi veniam impetrare conſuêrunt. Hanc miſericordiæ præſtantiam luculentèr illa Davidis verba ad Saulem demonſtrant: *Cogitavi, ut occiderem te.* Manus armatur gladio, pes vicinat hoſti, mens necem ſuggerit, totùſque David cogitat de morte. *Cogitavi, ut occiderem te.* Et tamèn Sauli vivere licuit. Cur? Pepercerunt oculi. *Sed pepercit tibi oculus meus.* Perijſſet Saul, ni Davidis lumina interceſiſſent. Hęc pro ſcuto ipſi fuerunt. Fracti ſunt oculorum mollitie conatus enſis. Non quippè audet ferrum attingere, quem oculi vivere ſinunt. Immineat tergo Saulis David armatus. Vivet ille. Hoſti ſubiaceat validiſsimo & ſolus, & negligens, & inſidiarum neſcius. Vivet tamèn. Audeat gladius ipſi Chlamydem prȩcidere. Salvus erit. Cogitet David de nece ipſius. Evadet incolumis. Periclitabitur Saul capite, donèc accedant oculi David. Sævient in eum membra reliqua tantisper, dùm ſpectabunt lumina. His contuentibus vivere Saul licebit: tanta quippè oculi miſericordiâ præſtant, ut reliquis commembris in ultionem conantibus, ipſi ſoli lædere parcant vel immerito. *Cogitavi, ut occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.*

1. Reg. 24. 11.

Parcet totus homo, ubi oculi parcunt.

Oculi præ omnibus membris mitiſsimi.

3 Claret oculorum miſericordia. Unde fit conſequens, ſummo eos dolore corripi, quotiens vindicta exercetur. Quòd ſi id oculis humanis accidit, quid pijſsimis Dei oculis evenire putas, ubi pœna de impijs eſt ſumenda? Profectò duriſsimum ipſis eſt quodvis de homine ſupplicium: quippè primi ſentire coguntur ictus Juſtitiæ divinæ. Hęres? Non credas, niſi probabero. Cogita mecum mirandum illud Jeremiæ de Virgâ oſtentum. Quærenti Deo, quid videret ipſe, reſpondit: *Virgam vigilantem ego video.* Per virgam ira Numinis deſignatur, iuxta illud: *Reges eos in virga ferreâ.* Virga quippè inſtrumentum eſt ſe veritatis. Unde illa Pauli comminatio ad Corinthios: *Quid vultis? In virga veniam ad vos; an in ſpiritu manſuetudinis?* Hinc virgæ apùd Romanos Magiſtratuum in-

Jerem. 1. 11.

Virga deſignat Juſtitiam. Pſalm. 2. 9. 1. Cor. 4. 21.

Virgæ inſignia Magiſtratuum.

insignia : quod patet ex Juvenale Satyr. 8. Juven.

Præcedant ipsas illi , te Consule, virgas.

Quid ergò est , quod virga Dei oculo apparet instructa ? Cur non potius manui inseritur , quâ in impios posset vibrari ? Num ut vigilantissima Summi Rectoris providentia , quâ cuncta gubernat, Mortalium oculis innotesceret? Pulcra equidem cogitatio. Et ideo Ægyptiaca Theologia , quò vigilem hanc Dei curam aliquo pacto edoceret , Sceptrum figurabat, cujus apici oculus apertus erat super impositus , cum hac epigraphe : *Ubique inspiciendum.* Sed alio tendit oratio. Dei providentia. Oculus in apice Sceptri, quid.

4 An verò ideo potius oculus in Virgæ summitate à Deo expingitur , ut dedoceantur judices somnolentiam ,intentique suæ causæ reddantur ; nè si quando jus dicent semisomnij , judicium perversum egrediatur ? Et hęc quidem doctrina exosculanda : quam vel Plato docuit , cùm Libro nono legum *Justitiam speculatricem* nominavit , *& vindicem* : Chrysippus ait : *Oculos justitiæ esse rectos, acres atque immotos: & qui rectè judicaturus est , non opportet huc illùcque ab honesto deflectere.* Numquid etiam justitiæ Virgæ oculus insidet , ut instruantur animarum Pastores , prospicere duntaxàt subjectorum utilitati , suorum immemores commodorum ? Et id loculenter docet oculorum natura. Oculus quippè omnia cum videat, se ipsum videre non potest. Ergò virgæ Dominantium oculus appingitur : quoniam ij qui præsident, omnibus prospicere tenentur , præterquam sibi. Verùm accidit interdum , ut cùm dormiant subditis , sibi duntaxàt , rebusque suis totis oculis invigilent. Impetus mentis tantillum calamum coegit extra propositum. Vigilantia Judicum. Plato. Superiores non sua curent, sed suorum. Commoditates privatæ.

5 Redeo ad orbitam. *Virgam vigilantem ego video.* Virga iram Dei demonstrat : sed cùm oculata apparet , divinam condolentiam ostendit : quoniam nequit ferire Virga oculata , manente illæsâ pupilla. Necesse est , oculis ut verberet , qui virgâ oculatâ percutit. Verùm identidem opus est , ut cùm oculi plagas infligunt , lędantur & ipsi. Ergò oculatâ Virgâ Deus animavertit in impios : quoniam ubi compellitur esse scelerum vindex , oculos suos vehementer dolore cogit. Tantâ , nimirum divina lumina misericordiâ tenerescunt , ut ipsa vulnera sentiant, quibus scelesti puniuntur. Quot flagellis ira Numinis torquet Mortales , tot vulneribus oculos pijssimos sauciat : quoniam redundat in oculos plaga , quoties percutienti virgæ oculi adhærent. *Virgam vigilantem ego video.* Ira Dei clemens. Oculi Dei plagis peccatorum vulnerantur. Dei misericordia.

6 Protectò vim magnam suis oculis Domini justitia infert , dùm virgas expedit : quod & indicant oculi virgę affixi. *Virgam vigilantem ego video.* Naturæ nâmque oculorum suorum repugnant supplicia. Iraque lumina dolent , quòd flagella videre coguntur. Verùm , si tantus dolor oculis est futurus, cùr Deus non parcit virgis ? Imo cùr oculis suis non parcit ? Sin autèm justitia id exigit , cùr dolet ? Nimirum , dolent oculi , quòd virgę expediuntur : quoniam cùm ipsis sit misereri solemnissimum , fit consequens , ut & violenta nimis sit ultio. *Virgam vigilantem ego video.* Dei oculis violentissima ultio.

7 Huc respexisse arbitror illud obsequium Seraphim , quos Domini faciem pennis obvelantes Isaias vidit. *Seraphim stabant super illud: sex alę uni , & sex alę alteri: duabus velabant faciem ejus.* Cujus ? Dei , scilicet. Mirùm , quòd Seraphim , charitatis ardore fragrantes , illius faciem obvelent , in quem desiderant Angeli prospicere. Quantus hic amor est , qui lumina tegit amati ? Permaximus sanè : Seraphim quippè obvelant, quorum nomen ab igne. Igitur amor est , quòd Domini faciem contegunt : nisi enim tàm ardentèr amarent haud tàm soliciti fuissent de divinis luminibus contegendis. Animum adverte. Severissimum tunc Deus agebat judicem , idque sublimè solium , cui insidebat , mirificè demonstrabat. *Vidi Dominum sedentem supèr solium* Isai. 6. 2. Seraphim faciem Dei velant , ne videat stragem Judæorum. Ibid. v. 1.

lium excelsum, & elevatum. Sederat porrò Deus sententiam dicturus de strage Judæorum, de Templi conflagratione, de eversione Jerosolymæ, de dispersione Israëlis, de reprobatione Sinagogæ. *Donèc desolentur Civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta. Et longè faciet Dominus homines.* Cùmque intentum supplicijs vidissent Dominum Seraphim, continuò expandentes alas eidem oculos cooperuerunt: id, nimirum, cavente, nè miserrimam cladem aspicientes, nimiùm dolerent: etenim divinis oculis tàm violenta est ultio, ut durissimum sit illis humanarum calamitatum spectaculum. Igitùr Dei luminibus Seraphim consulunt, dùm obumbrant: visum namque impedire conantur, quòd dolorem avertere satagunt. Amoreſt, qui Deo irato oculos veluti obcæcat: namque dum iratus desævit in impios, oculos mitissimos dira cogit subire tormenta. *Duabus velabant faciem eius.*

Ibid. v. 11. 22.

Prælatorum afflictiones sublebandæ a Subditis.

8 Sed hic valdè considerandum est, tùnc Dei oculos obvelatos, cùm iræ laxarentur habenæ. Neque enim divinis obtutibus Seraphim alas opposuisse dicuntur, donec pro tribunali eum sedentem viderunt. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum. Duabus velabant faciem eius.* Quid? Non licuit supremo Judici pœnas sceleratorum spectare? (Loquimur humano more.) Fortè interjecto velo docere voluit Judices Mortales, nè reorùm supplicijs oculos oblectare præsumant. Verùm proposito congruentiùs dicendum putamus: tùnc Domini faciem fuisse coopertam, cùm iræ sævire datum; quoniam si spectassent oculi, vix iræ divinæ vindicare licuisset. Pungit cælestes oculos luctuosum spectaculum. Luminumque dolor brachium suspendit minàcem. Non audet manus extenta Dei novum infligere vulnus, postquam experta est, ictu priore suosmet oculos vulnerasse. Ergò parcere cogitur Deus fontibus, nè suis non parcat luminibus. Et siquidem plaga est inflixenda, id non nisi velatis oculis efficit: quippè non esset locus Justitiæ, si non à suis luminibus caveret ira Dei. *Duabus velabant faciem eius.*

Ira Dei à suis oculis cavet.

Ibid.

Judices reorum supplicijs non oblectentur.

9 Verùm, si cui fortè non admodum isthæc expositio arridet, audiat sequentia: *Vidit Dominus,* inquit Moyses, *& ad iracundiam concitatus est: quià provocaverunt eum filij sui, & filiæ. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis.* Non potuit Deus turpi, indignâ, impiâque populi sui idololatria non excandescere, atque zelotypiâ quadam concitari adversus degeneres filios, qui se repudiato, alienos veluti amores consectati, fallis adhærere dijs. Verùm cur vultum aversurum promittit infidæ proli? Num ut componeret iram ob visa scelera æstuantem? Namquè *vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est.* Igitùr placabitur furor, invisis flagitijs. Non dubito, iram Domini sedari intelligi, cùm faciem avertere dicitur. Sed aliud est vultum a peccatis subtrahere, aliud a peccatoribus abscondere. Illud prius est clementiæ signum; undè orabat David: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Hoc posterius dirum omen. Undè Vatis eiusdem deprecatio: *Ne avertas faciem tuam à me.* Ibi aversionem divini vultûs precatur; deprecatur hic: quippè ibi de peccatis erat sermo, hic de se peccatore loquebatur: & favor est, quòd Deus faciem a peccatis avertat; ira verò, quòd à peccatoribus abscondat. Igitur nihil prosperum sperandum sceleratis filijs, ex quò Deus faciem suam eis negaturum denuntiat; imò potiùs omnia infausta. *Abscondam faciem meam ab eis.*

Deus puniturus, faciem abscondit. Deuter. 32. 19. 20.

Deum deserentes infelicissimi.

Idololatria Deum provocat.

Aliud est Deum abscondere faciem a peccatis, aliud est à peccatoribus.

Psal. 50. 11.

Psal. 26. 9.

Favor est si peccatorem respicit Deus; Irata, si peccata.

10 Et quidem Deus ipse pergit exponere, quid fuit à suo quondam populo faciem abscondere. Magna profectò, atque terrore plena denuntiat. In compendio redigam, nè nimis molestus audiar. Ergò minatur ultrices flammas, lethales sagittas, rapaces volucres, immanes bestias, venenatas serpentes, vorantes gladios. Quid plura? In tantâ cladium acer-

A Deo deseri miserrimum.

Deum faciem abſcondere, punire eſt.

acervatione nèc veſtigium ſaltèm populi contumacis apparebit, non nomen, non memoria. *Dixi: ubinam ſunt? Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Elegantèr Urbanus VIII. minacem ſententiam certis numeris adſtrinxit, dùm eſſet Cardinalis.

Deuter. 32. 26.

Urban. VIII.

Dixi, quò fugiunt? Ubi ſunt?
Mea conteret illos
Dextera, nèc nomen poſt hâc
memorabitur uſquàm.

Deus ſævire nequit, ni faciem abſcondat.

A Deo non reſpici, fons, & origo totius calamitatis.

Vide quàm dira, quamque formidanda divini vultus abſconſionem ſequantur. Nil eſt, à quo timêre non debeas, ubi te ſacra lumina deſeruerint. Non ſecurus es ab igne, non á ferro, non á dirâ fame, non á peſte, non denique á creaturarum ullâ; tunc quippè pugnat pro Deo terrarum orbis contra inſenſatos. *Abſcondam faciem meam ab eis.*

Ab oculis Dei miſericordia.

11 Et hæc quidem digna ſunt, quę catholicis mentibus inſtillentur; prę ſertim quòd neque a ſcopo Diſſertationis abhorrêre videantur. Cęterum reſtat ſolvenda quæſtio illa: Cùr; nempè, Deus filios rebelles tàm acritèr punîturus, faciem averterit? Nùm quiá timuit oculorum ſuorum condolèntiam; nè duriſſimas plagas ſpectantes, commiſerationem extorquêrent? Ità ſanè. Humano more Deus loquitur, ad ſimilitudinem patris irati, nolentis filiorum ſuorum videre pœnas, nè miſereri cogatur. Adeò nimirum, Dei oculi miſericordiâ tenereſcunt; ut ſeveriſsimam ipſius Juſtitiam emollire valeant. Cogetur itàqùe, aut iram temperare, ſi viderit; aut oculos avertere, ſi iram non amoverit. *Abſcondam faciem meam ab eis.*

Judex oculos ſuos caveat.

12 Quid porrò aliud putas, Sanctum Jobum voluiſſe ſignificare in illa ſuâ cum Deo amara expoſtulatione: *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum.* Mirum! Quòd calamitatibus penè incredibilibus fuit oppreſſus; quòd ingentibus divitijs ſpoliatus; quòd orbatus filijs; quòd ab uxore tentatus; quod á vermibus corroſus; quòd è ſolio in ſterquilinium deturbatus; quòd percuſſus á dæmone; quòd tactus á Domino: hæc, inquam, tàm dira, tàm dura, tàm ſæva, divini vultus abſconſionem vocat? *Faciem tuam abſcondis.* Et quarè non potiùs furorem, iram, vindictam, indignationem? Et hæc dixit, cùm faciem abſconditam dixit: quippè non niſi abſconditâ facie tam deſeviret Domini furor. Quî enim poſſet pijſsimus Pater ſiccis contemplari oculis, non dicam optimè morati filij, qualis fuit Job, calamitates, verum nè ingratiſsimæ quidem prolis? Sanè fi-

Job. 13. 25.

filiumprodigum ut Pater Cæleſtis ſuis dignavit aſpectibus, illicò in ſinum quoque ſuum mirâ dignatione recepit. Cùr niſi quia videns, miſericordiam concepit; concepta miſericordia pepercit amplexus, erupit in oſcula? *Vidit illum pater ipſius*, inquit ipſe, *& miſericordia motus eſt: & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Sapientèr itàque Jobus, ut ſuas Domino calamitates exponeret, contentus fuit de abſconditâ a ſe facie conquerere: ſciebat enim, non tàm acritèr iram Domini graſſari, cùm miſerorum pœnas dignatur aſpicere. Tunc quippè condolente oculo, ceſſant ſupplicia. Etenim extingitur furoris ignis, cæleſtis pupillæ lacrymis irroratus. Deus ergò vel iram avertit, vel faciem: nàmque videre, & punire per oculos ſibi ſuos non licet. *Faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum.*

Luc. 15. 20.

13 Diſcent hinc Mortales, quid maximè optare, quidvè timêre debeant: nimirùm, vel converſa Dei lumina, vel averſa. Sub illius oculis non eſt, quod timeant malum; abs eius vultu non eſt, quod ſperent bonum. Quamdiu peccatorem Dominus non dedignabitur aſpicere, ſpes erit, quòd miſericordiam non negabit; ſin autem vultum averterit, iram effundet; tamdiuque perſeverabit, illius furor, quamdiu avertos oculos tenebit. Audi inclamantem Davidem: *Nè avertas faciem tuam à me: nè declines in ira à ſervo tuo.* Legit Hieronymus: *Ne abſcondas fa-*

Ira Dei tamdiù perſeverat, quamdiù oculos non avertit.

Pſalm. 26 9.

Hieron.

faciem tuam à me. Deum abſcondere faciem, ac declinare in ira, Regio Vati ſynonyma ſunt. Sed quid commune habet vultûs denegatio cum declinatione iræ? Aſt quid non commune utrique? *Declinare in ira* idem eſt, quod per iram. Nam & ſolet herus in ſervum ſtomachans declinare illum, atque denegare conſpectum. Igitûr declinat Deus per iram eum, à quo faciem declinat: quippè cùm faciem abſcondit, iram effundit. Sapienter itaque David orat, nè à ſe Dominus vultum avertat. Suæ ſaluti conſulit ſic rogans. Optimè quippè noverat cæleſtium luminum conditionem; nec poſſe perire eum, quem ſuis Dominus dignatur obtutibus; ſicut nec iram effugere, à quo pia lumina averterit. *Ne avertas faciem tuam à me: nè declines in ira à ſervo tuo.* Deus ergò hominum calamitates dùm cernit, oculos pijſsimos dolet; dolens miſereſcit; miſerans parcit.

Deum declinare in ira, quid.

DISSERTATIO III.

DEIPARÆ CONCEPTIO *immaculata divinorum oculorum opus.*

Argumentum in Conceptione Beatiſs. Virg.

1 BLanditur calamo gratiæ trophæum, cæli jubilum, Angelorum riſus, Eccleſiæ delitium, atque piarum mentium ineffabile gaudium. Blanditur calamo opus dignum Deo, dignum Dei Filio, dignum Dei Matre. Blanditur calamo ſingulare illud Privilegium, quò Adami Filia maculam ignoravit originis; quò jura Tartari fregit; quò torvi Draconis ſuperbum caput contrivit. Blanditur, inquam, Virginis Conceptus ſine labe, ſine umbrâ, ſine fuligine: quin potius nitidus, pellucidus, venuſtus: denique talis, qualem cæleſtis Sponſus concelebrat: *Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quod divinum oraculum meditatus Pimenta dulciloquus, hæc nectarea carmina fudit, *lib. 2. de Chr. Nat Orac. 1. de Immacul. Virg. Concept.*

Cant. 4. 7.

Pimenta.

Talis erit, qualem potui mihi fingere, qualem
Summa petit Nati gloria, Matris honor.
Talis erit, qualem Reginam affectat Olympus,
Et teneram matrem pignora læta volunt.
Talis erit, qualem produnt oracula, qualem
Artificis potuit reddere amica manus.

Nihil potuit dici elegantiùs, nihil ſublimiùs: quippè originalis decor & tantam Reginam, & tantam Matrem, & tantum filium, & tantum commendat Opificem. Undè Anſelmi non ſatis laudata ſententia: *Decuit Virginem eâ puritate nitere, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.* Hoc opus, hic labor Dei: etenim in venuſtandâ Matre, laboravit, ſuo modo, Omnipotens, quoàd potuit. *Talis erit, qualem potui mihi fingere.*

D. Anſelm.

Virginis Conceptio dignum opus Omnipotente.

2 Quis crederet? Quaſi in occulto latitabat Deus, donèc in Mariano opificio pompam non explicuit Omnipotentiæ. Nonnè vides, quanto cum ſilentio cæleſtes tornavit globos, terræque molem ſuprà nihilum ſtatuit? *In principio creavit Deus Cœlum, & terram.* Cæli, & Terræ ſtructuram audis; Architecti porrò vocem omnino non audis. Verùm ubi lucem explicat, explicat & vocem. *Dixitque Deus: fiat lux.* Res profecto mira! Cælum promit, & tacet. Terram fundat, & ſilet: ubi vero Lucis formationi incumbit, altum ſilentium rumpit, & dictò abſolvit negotium? Ità. Attentas quærit aures, qui vocem exerit. Hic primò Deus dicitur locutuus, ùt Angelorum mentes ad contemplandam Lucem provocet, inquit Baſilius orat. 1. *Meritò nunc loqui occupat, ut eius, quod fit, ſenſu, & admiratione Angelorum turbas moveat.* Modò, & non anteà? Ità. Cælum quippè, aliàs pulcerrimum, ſinè lumine obſcurum, Tellus inutilis. Undè quaſi dedignans hæc opera Omnipotens, alto ſilentio premit

Gen. 1. 1.

Prima Dei vox in creatione Lucis. Ibid. 3.

D. Baſil.

Lucis commendatio.

mit. Lux verò, ut primò facta eſt, adeo gratioſa apparuit, adeò fulgoribus radians, adeò claritate conſpicua, adeò numeris omnibus abſoluta; ut Deus ipſe quaſi ſtrepitum fecerit, quò Angelorum choros in pulcerrimæ creaturę plauſus, & admirationem excitaret. Cęlum, & terra haüd curat ipſe, quod videantur: non quippè Summo Opifice uſque adeò dignum opus. Verùm ad ſpectaculum lucis mentes Angelorum invitat: quoniam in eius formatione dignum tanto Artifice opus cernebatur. *Dixitque Deus: Fiat lux.*

V. Maria lux vel in umbra.

3 Putatis nè, Deum ob creatam hanc lucem inanimem plauſus illos edidiſſe? Nobilius opus præſignabat, cùm crearet Lucem. Mariam ſanè adumbravit in Luce: etenim Maria vel in umbra lux eſt. Ricardus de S. Laurentio *lib. 7. de laudib. B. Virg.* in lucis creatione ſplendidiſſimam Mariæ Conceptionem vult prefiguratam. Ait enim: *Deus hanc lucem fecit, quando Beatam Virginem de tenebris lucere, & ſplendeſcere dixit.* Non igitur eſt, quod cælum Angeli ſpectent, ſi congruum Deo opus videre cupiunt; non terram, non aëra liquidum, non denique vaſtiſsimum mare. Verùm Mariam in prima ſui origine intima mentis acie contemplentur: quippè illa omnia, quantumlibet mirifica, non tàm commendant ſummi Opificis excellentiam, quàm unius Virginis fulgentiſsimum opus. *Dixitque Deus: Fiat lux.*

Deus Angelos provocat, ut Mariæ Conceptionem celebrent. Richar. de S. Laur.

4 Non animum advertitis, quàm parcè ſe Deus Moyſi conſpiciendum dederit; quàm verò liberalitèr, dum ſuum architectaretur tabernaculum? Orat Moyſes, ut faciem ſibi monſtrare dignetur: *Oſtende mihi faciem tuam.* Sed amicò vultum petenti vix dorſum permittit. *Videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Perficit porrò Dominus tabernaculum ſuum: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſsimus.* Tunc illic videri cupidus, ſpectatores convocat, dicens: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.*

Virginis Conceptio gloria Dei eſt. Exod. 33. 13. Ibid. 23.

Pſal. 45. 5.

Ibid. 11.

Anteà vel chariſsimo Moyſi ferè intractabilis; modò tam omnibus facilis? Moyſen, qui faciem anhelabat, humero tantum dignatur: modò idem ipſe ſpectatores provocat? Ita. Tabernaculum quippè Dei Virgo eſt, ipſa atteſtante, quæ dixit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Sanctificatum porrò in ipſa formatione, ut exponit Lorinus: neque enim paſſus eſt Deus, priùs ſuum tabernaculum fœdari, ut poſteà abſtergens, ſanctificaret. Ideò, qui antequam hoc opus perficeret, quaſi apparere inter homines recuſabat; ubi illud ſanctificaſſe dicitur, ad ſe videndum vocat univerſos. Ibi namque voluit videri Deus, ubi dignum ſè opus in Virginis molimine complevit. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſsimus. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.*

Eccli. 24. 12.

5 Neque quem conturbet Vox *ſanctificationis*, ubi de Mariæ Conceptione ſermo eſt. Nam ſanctificandi verbum etiam in Conceptione Immaculatâ proprietatem ſervat: non quippe ſignificat, quòd aliquando non fuerit ſancta; ſed in ipſa Conceptione Sanctam à Deo fuiſſe formatam. Ea propter Baſilius, Ambroſius, Thomas, Caſſiodorus, Didymus, Gloſſa, Gregorius, (hom. ult. in Ezechiel) præfatum textum de ſanctificatione Tabernaculi, exponunt de Incarnatione Chriſti, quæ planè ſancta fuit, juxta illud Gabrielis pronunciatum: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Sed revertamur ad propoſitum.

Nomen ſanctificationis non denotat conceptionem fuiſſe prius maculatam.

Baſil. Ambroſ. Thom. Caſsiod. Didym. Gloſſ. Greg.

6 Audiſtis, Deum gloriantem in Virginis Conceptione. Audiſtis opus excelſum, ſummoque Opifice dignum. Verùm deſideratis, ut id, quòd ab initio propoſuimus, certis argumentis probemus; nimirum, tàm præclarum opus fuiſſe ab oculis Domini elaboratum. Quidnî oculi divini fabricaſſe dicantur, cùm videamus frequenter, manuum officia oculis attributa? Non repetam communes probationes, quibus præſens commutatio abundat. Selectioribus agam. Occurrit Davidicus contextus ad verba proximè data.

Pſal. 45. 6. data. *Adjubavit eam Deus manè diluculo.* In emendatis Biblijs Græcis extat: *Adjubabit eam Deus vultu ſuo.* Hujus verſionis meminit Arnobius, Ambroſius, Thomas, Beda, Haimo, & de Græcis Cyrillus; illamque amplectitur Auguſtinus, Caſsiodorus, Pſalterium Romanum: Eccleſia etiam in officio divino eâdem utitur. Utramque complexus eſt Apollinaris in paraphraſi, & in Commentario, ſi tamen eſt idem Author. In illa ſic habet, teſte Lorino.

Bibl. Græci.

Apollinar. *Ex aurorâ auxiliarem habet providum oculum.*

7 Nulli dubium eſt de Virgine loqui Vatem. Modò nota tempus, quò Dominum eam auxiliaturum prædicit. *Manè diluculo.* Græci congeminant: *Ad manè manè.* Quid eſt, *Manè diluculò mane, manè?* Altò mane, valdè mane, valdè cito, quam primùm. Quibus clarioribus verbis enuntiari potuit Virginis Immaculata Conceptio? *Mane mane* adjuvanda prædicitur; quoniam non eſt excogitabile *mane*, quò eam Deus velociſsimo auxilio non prevenerit. Favet doctiſſimus Lorinus. *Mane diluculo, i. e.* inquit, *jam inde à primo inſtanti Conceptionis ſuæ Matris, præveniendo gratiâ peccati originalis adventum.* Ergò à prima ſui origine Immaculata, quòd à primò mane gratia præventa. *Adjuvabit eam Deus mane diluculo: mane mane.*

Dens Virginem adjuvit mane, mane.

Lorin.

8 Quamquam nec in id incumbimus, ut probemus Immaculatam; ſed divinę huius induſtriæ veluti miniſtrum quærimus. Atqui jam id Propheta liquidò oſtendit. *Adjubavit eam Deus vultu ſuo.* Verba clara, ſenſus obſcurus. Adjuvare quippè, opem ferre, prętłare auxilium, manuum eſt, non faciei. Quis enim, ut amicum à lapſu liberaret, vultum, & non potiùs manum adhibuit? Quin & ipſe Dominus, quò Davidem contrà hoſtes muniret, manum porrexit, & brachium. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortavit eum. Nihil proficiet inimicus in eo.* Quonàm igitur pacto, vultu dicitur juvaſſe Virginem, nè Adami lapſum incurreret? Quia, nimirum, in liberanda Matre ab originali telo, miniſteria commutavit, & oculis pro manibus eſt uſus. *Adjubavit eam Deus vultu ſuo.*

Pſal. 88. 22.

9 Quantò hoc illò auxilio prętłantius, quantòque, ut ita dicam, manibus Domini potentiores oculi? Liberandus fuerat David, liberanda & Virgo. Sed David à Saule, & Abſalone. Hoc quippè, noſtro Lyrano teſte, indicant illa verba: *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Virgo porrò fuerat liberanda ab intentata Satanæ tyrannide. Videſis modò, quàm huic hoſti non ſint illi comparandi. Igitur, ut hominem Deus ab homine protegat, manus offert auxiliatrices; ut Virginem ab in curſu Satanæ vindicet, vultum objicit: quippè validior multò videtur protectio, quæ ab oculis divinis obvenit, quàm quæ à manibus prętłatur. *Adjubavit eam Deus vultu ſuo. Manus enim mea auxiliabitur ei.* Alio modo. Ubi manu Davidem Deus favet, mortale corpus ſervat incolume. Ubi autem oculos in auxilium Virginis mittit, vel ab umbrâ delicti pretioſam animam contuetur: etenim favor adeò inſolens, nulloque filiorum Adæ conceſſus, oculorum divinorum facinus eſt egregium. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.*

Oculi Domini quodam modo ſuis manibus potentiores.

Oculi Dei animam protegunt.

10 Eſt adhùc, quod miremur magis. Ubi Deus vultu ſuo Virginem juvaturus prædicitur, ibi valdè manè auxilio prætłando enunciatur accinctus. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo: adjuvabit eam Deus manè diluculo.* Scio Mundi fabricam à veſpere Dominum inchoaſſe. *Factum eſt veſpere, & mane dies unus.* Scio item, poſt tranſactum meridiem, Adamum piè quæſiſſe. *Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſſo ad auram poſt meridiem.* Haud me latet, non niſi ad extremam diei horam ſuos poſt reſurrectionem diſcipulos viſitaſſe dignatum. *Cum eſſet ſerò die illo venit Jeſus.* Quid ergò eſt, quòd veſpere Dominus Mundum con-

Oculi Dei excubant pro Beatis Virgine. Gen. 1. 5.

Gen. 3. 8.

Joan. 20. 19.

condit, Adamum ſublevat, Diſcipulos recreat; Mariam verò ante lucem adjuvat? Nimirum, pro Virgine excubias agunt Dei Lumina, & vigilant *manè manè*, ut peccati tenebras ab eâ procul eliminent. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo: Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Mundi fabrica opus Dei eſt, & quidem mirabile; ſed veſpertinum. Hominis reparatio divinæ pietatis beneficium, & ſanè inæſtimabile; verum & id pomeridianum. Dominicæ fides Reſurrectionis, donum planè cæleſte; ſed & id ſerotinum quoque. Cęterùm Beatiſsimę Virginis Conceptio eſt opus Dei opportunum, tempeſtivum, & (detur verbo venia) matutiniſsimum. Quoniàm cùm in reliquis facinoribus ſuis, egregijſque factis Deus quaſi dormitare ſit viſſus, in protegenda Matre vel ab altiſsimo mane vigilavit. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo: Adjuvabit eam Deus manè diluculò.*

Coceptio Virginis opus Dei matutinum.

11 Quod porrò aliud tempus tam arduo negotio abſolvendo Deus prętер matutinum ſeligeret? Audi pulcram Genebrardi ſententiam ſuper hunc locum. *Tempus matutinum eſt ad res agendas opportuniſsimum.* Tùnc temporis, & membra alacriora, & robuſtiores vires, & mens expeditior, & ſenſus omnis multò eſt vigilantior. Apud Deum ſanè neque temporaneum eſt, néque ſerotinum: quippè nulla viciſitudinis obumbratio. Verùm more humano ſonans, operis arduitatem ſubindicans, manè proſilijt; id eſt, agilis, robuſtus, integer. Quorſum ſolicitudo tanta? Scilicet, magnam rem fuerat aggreſsurus. Neſcitis, tunc illi pro Matre ſuâ luctandum cum Satana, cum morte, cum peccato? Neſcitis, tunc antiquo ſerpenti conterendum caput, atque proculcandum draconem, Virginis calcaneo inſidiantem? Quidni igitùr tàm egregium facinus aggreſsurus Dominus, manè excubaret, ubi oculi vigilantiſsimi, infractæ vires, acerrima intentio? Triumphum igitur de hoſte pro Virgine reportavit: quippe opportuniſsimum tanto negotio tempus elegit, dùm adeò manè in illius auxilium vigilavit. *Tempus matutinum eſt ad res agendas opportuniſsimum.*

Tempus matutinum rebus agendis opportuniſsimum. Genebr.

12 Sed in textu amœniſsimo deliciemur adhûc. *Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Ita habent vulgata noſtra. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.* Ita legunt Gręca emendatiora. Quæ porrò inter utramque lectionem affinitas? Quid commune habet matutinum auxilium cum juvamine vultus? Si benè advertis, nihil copulatius invenies. Etenim Dei oculus manè diluculo favêre conſuevit. Ut ergò intelligas Virginem ab eo opportuniſsimè fuiſſe ſervatam, vultu eam adjuvaſſe dicitur, ubi manè diluculo cuſtodiſſe legitur: quoniam opem ferre in matutino, cæleſtium Luminum eſt proprietas.

Dei oculi manè favent.

Beatis. Virgo in matutino ſervata, quia ab oculis Dei adjuta.

13 Et undè hoc colligis? inquis. Nonnè, ſi Deus Virginem manu adjuvans deſcriberetur, non etiam ęquè manè præſervaſſe eam noſceremus? Nego. Oppoſitum quippè docet natura ipſa membrorum. Equidèm manus multò ſunt præ oculis tardiores. Vide quàm immenſa ſpatia oculi quàm velociſsimè tranſvolant. Momento unô cæli à terra diſtantiam metiuntur: ut proinde nihil ſit remotum oculis, nihil non vicinum. Quid rogo ad prodigioſam hanc celeritatem manuûm pigritas? In Deo nulla eſt membrorum diſcretio; quoniam nec corporea moles: undè præclarè D. Auguſtinus epiſt. 36. *Deus totus oculus eſt, qui omnia videt, totus manus, qui omnia operatur, totus pes, qui ubîque eſt.* Verùm hac figuratâ locutione providentię ſuæ varij deſignantur effectus; ut tardiorem manus operantes indicent, promptiorem oculi; quando quidem iſti præſtare manibus velocitate noſcuntur. Acuratiſsimè itaque vultu ſuo Deus Virgini providiſſe ſcribitur, dùm valdè manè eam adjuviſſe narratur. Nec enim adeò manè noſceremus adjutam, ſi Manus, & non Oculos Dominus Matri auxiliando admoviſſet.

Oculorum operatio velociſsima.

Deus totus oculus, manus, pes. D. Auguſt.

14 No-

Sola Beatis. Virgo ſanctificata mane mane.

14 Nota benè. Fuere juſti, quos Dominus manè adjuvit, ad auroram, inquam, vitæ. Nullus verò tàm alto manè irradiatus; ut non priùs tenebris noctis fuerit obvolutus, quàm luminis claritate perfuſus. Benè manè Jeremiam adjuvit, quem adhùc in matris vulvà latitantem ſanctitate illuſtravit: *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te.* Haùd impari paſſu, fortè celeriore, Prodromo ſuo opem tulit, quem ſimiliter nondum natum gratię ſuæ fulgoribus hilaravit: *Spiritu Sancto replebitur adhùc ex utero matris ſuæ.* Cæterùm nec Jeremiæ, nec Joanni, nec Sanctorum cui, (ſi forſam alijs donum ſimile conceſſum) tàm citò gratia ſanctificationis illuxit, ut non longo prius intervallo ſub culpæ nocte gemuerint. Fuerunt ergo ij ſanctificati manè; non tamen manè, manè. Manè quidem; quippè in utero: Haùd manè manè; quoniam non in primo Conceptionis momento. Hoc námque privilegium Mariæ eſt, non dabitur alteri: etenim ſi vel ſanctorum præſtantiſsimos Deus non niſi poſt culpam ſanctificavit, dilectiſsimam Matrem in libertatem gratiæ aſſeruit ante delictum. *Adjuvabit eam Deus manè diluculo.*

SS. Jeremias, & Joannes ſanctificati mane ſolum. Jerem. 1. 5.

Luc. 1. 15.

15 Puto, jam videor procraſtinator mirificus. Ubi laudandæ Virginis ſe offert occaſio, vix me expedire queo; imo nec vellem. Quæro, cur tardiùs Joanni, ſanctorum maximo, quam Virgini, gratiæ beneficium collatum? Cùr ille poſt ſex menſium tenebras ſanctificatus; hæc verò in ipſo vitæ exordio ſuperno ſpiramine afflata? Dices, quoniam Joannes vox Verbi futurus, Virgo autèm ipſius Verbi Genitrix. Optima quidem ratio, & quæ tanti privilegij fons, & origo eſt; imo menſura omnium, quibus Dei Mater ad uſque ſtuporem cumulata fuit. Planiorem tamen adduxerim. Quià, nimirum, Joanni Manus Domini auxilium præbuit, Lucâ teſtante, qui ait: *Etenim manus Domini erat cum illo*; Mariæ verò ſuccurrit oculus. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo.* Cùmque velocitate oculus quàm longiſsimè manum præcellat; ideò in ipſo primo vitæ halitu Virgini donata gratia; Joanni verò non niſi poſt plurimam noctem conceſſa. *Adjuvabit eam Deus manè diluculò. Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.* Favor manuum tardior eſt, quàm ut Deiparæ congruat. Decet ipſius decorem oculorum velocitas. Tardat nimis illi, quodcumque beneficium non paratiſſimum. Dedecet Matrem gratiæ expectare gratiam. Hoc ſervorum eſt. Expectent ij Domini auxilium vel temporaneum, vel ſerotinum. Cæli Reginę paratior ſit favor, oportet: indecens quippè foret, vel unicum inſtans inornatam conſiſtere. Ideò ergò oculos in Matris honorem Deus auxiliares ſuffecit, manibus in ſervorum adjumentum ſervatis: quoniam non eſt paſſus dilectiſsimam Matrem, more ſervorum, vel paululum expectaſſe gratiam. *Adjuvabit eam Deus vultu ſuo. Adjuvabit eam Deus manè diluculo.*

Luc. 1. 65.

Sola B. Virgo non expectavit gratiam.

Virginem oculi; Joannem manus Domini adjuvarunt.

Deiparæ excellentia omnium gratiarum fons.

16 Et quî B. Virgo expectaret gratiæ adventum, quam divino intuitu credimus adjutam? Hoc Manus Dei, & oculos intereſt, quòd illæ non niſi in tempore ſuum exequuntur officium, dicente Propheta: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Hi verò ab æterno ſuo muneri incumbunt. Etenim Summus Artifex, & res creat in tempore, & ab æterno cognovit. Igitur æterno quaſi otio manus Domini quievere; cùm eiuſdem oculi à negotio intelligendi æternùm non ceſſaverint. Vide hinc, quàm non expectaverit Virgo gratiam; quinſecus gratia Virginem expectarit. Quippè quam in tempore Deus manu formavit ad vitam, ante tempora oculo formavit ad gratiam; ut proinde priùs opificium gratiæ dixeris, quàm naturæ.

Pſal. 101. 26.

Dei manus in tempore operatur. oculus ab æterno videt.

B. Virgo priùs opus gratiæ, quàm naturæ.

17 *Ab initio, & antè ſecula* Eccli. 14. 5.

creata ſum. Cuias hæc verba? *De excellentia ſuæ creationis loquitur Maria*, inquit Ricardus de Sancto Laurentio lib. 4. de laud. Virg. *Lectionis huius capitulum ſpecialiter laudem æternæ Dei ſapientiæ per quem omnia creata ſunt, commendare videtur; ſed hæc particula à Catholicis, & eruditis Patribus in ſolemnitate perpetuæ Virginis Mariæ, de quâ eadem Sapientia carnem aſſumpſit, ad legendum ordinata eſt*; ſcribit Haimo Epiſcopus Germanus *in epiſtol. feſt. Aſſumpt.* pertractans hæc eadem verba ex Eccleſiaſtico adducta. Verum quomodo antè ſæcula Virgo creata, quæ non niſi poſt plurimas annorum centurias lucem vidit? Quomodò ab initio, quæ ad ſęculorum veſperam in mundum venit? Nonnè ante Virginem Parentes eius creati, Avi, Atavi, Proavi? Et quid faciemus ſacræ Lucæ, & Matthæi Hiſtoriæ, ubi longa Virginis Progenitorum ſeries per Joſephi generationem deſcribitur? Num Filiam Parentes ſuos tempore pręceſiſſe dicemus? Et quid mihi tempus objcis? Non dico tempore, ſed æternitate. *Ab initio, & antè ſæcula creata ſum.* Etenim Beatiſsima Virgo & naturæ fuit opus, & gratiæ. Quâ opus naturę, Manus divina formavit in tempore. Quâ opus gratiæ, Dei Oculus ab æterno creavit. Ergo ſibi ipſi compoſita Virgo, tàm gratiæ filia naturę filiam præceſſit, quàm tempus præcucurrit æternitas. *Ad initio, & ante ſæcula creata ſum.*

Ricard. á S. Laur.

Haim.

B. Virgo quomodo ante ſæcula creata.

18 Non ergô mihi objcias, Virginem fuiſſe in tempore natam; quandoquidem ipſa ſibi gratulatur, ab æterno creatam. Fatemur veram Adami filiam, veroſque ipſi poſt longa ſæcula fuiſſe Parentes. Cæterum in tanti operis molimine gratiam primas obtinuiſſe contendimus. Expende verbum illud: *creata ſum.* Non dixit, quòd magis ei convenire videretur: facta ſum, formata ſum, aut producta; ſed ſignanter creata. Verum quomodo creata, quæ verè fuit Adami filia? Nonnè Pater eius dicitur Joachim, & Mater Ana? quomodò ergô creata, cùm creatio productio ſit rei ex nihilo? Sic loquitur, ut ipſius Conceptionis puritas innoteſcat. Talitèr in vulva matris concepta, talitèr â Parentibus genita, quaſi ſi creata fuiſſet, non ex communi maſſâ formata. Tàm enim nihil communis labis originalis ex humana generatione contraxit, quàm ſi fuiſſet creata duntaxat. *Creata ſum.* Adhæc. Dùm audis creatam, opus gratiæ intellige: gratiæ quippè opus creatio eſt, non eductio, iuxta illud: *cor mundum crea in me Deus.* Meritò ergo de æternitate ſibi plaudit Virgo, dùm ſe creatam prædicat: quoniam ipſa potiore jure opus gratiæ fuit ab æterno, quàm Parentum fuerit in tempore. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum.* Ave itaque æterni oculi filia, & me rebelle mancipium piiſsimis tuis oculis in filium reformare dignâre.

B. Virgo non tam Parentum filia, quàm gratiæ

Pſalm. 50.

DISSERTATIO IV.

DEIPARÆ OCULI hominibus ſalutares, diabolo lethiferi.

1 UTrumque præſtare quèunt oculi, vitam, nimirum, & mortem, Lenitèr aſpicientes, vitam halant. Acritèr contuentes, mortem ingerunt. Primum illa Domini promiſsio indicat: *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* Alterum Nabuchonoſoris impia cohortatio evincit: *Non parcet oculus tuus ulli regno.* Non eſt, cùr in ſalutem, aut perniciem manus hominis deſideres. Sàt habent virium, quibus oculi non deſunt. Neque carere manibus dicendi, qui Luminibus ſunt inſtructi. Igitùr non minùs ab oculis, quàm à manibus ſperandus favor, aut ira timenda: æquè namque & prodeſſe eis datum, & nocêre. Hæc porrò vis & efficatia quàm Marianis oculis conve-

Mors, & vita ab oculis.

Levit.

Deuter.

veniat, inſpiciendum.

2 Et primò accipe illuſtre teſtimonium noſtri Adamei homil. 8. *Enim verò*, inquit, *ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velùt ardore ſolis deſtuit glacies; ſic à Mariæ facie inimicorum deperit acies. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardeſcens à facie eius, qui hoſtes ſuccenderet, amicos confovêret, juvaret proximos, concremaret inimicos.* Vide Virginis faciem, & in hoſtes lethalem, & vitalem in amicos. Sed id ipſum pergit illuſtrare aptiſsimo exemplo, dùm ſubdit: *Fertur ab his qui norunt naturam animantium, quòd ſolo viſu, & flatu mortifero vicina quæque ſibi Regulus venenatus interimat. Sic illa è regione, ignis divini calore vehementer accenſa, & Verbi flamigerantis ſparſa incendijs, odorem ſuſcitantis gratiæ ijs, qui longè, & ijs, qui propè commanebant, exhalabat.*

Deiparæ facies hoſtibus ignea, amicis vitalis.

Et vitiorum Regulus.

3 Eccè Mariæ oculos mirè oppoſitos oculis Evæ. Eva quippè, tamquàm regulus, oculorum ſuorum veneno omnia corrupit. Maria ſalutifero ſuo aſpectu omnia vivificavit. Eva peſtifero halitu tàm eos, qui propè, quàm qui longe, imo non dum natos, infecit. Maria divino ardore ſuccenſa, etiam præſentes, etiam futuros, etiam præteritos halitu ſuo reparavit ad vitam. Eva lethiferi ſerpentis veneno inflata, pomum oculis venenavit, quòd in pectus tranſmiſſum, cunctos filios interemit. Maria Pane vitæ concepto, omnibus reſuſcitantis gratiæ odorem halavit. Eva itàque regulus, ſed anti-regulus Maria: quippè quos illa perdidit oculorum veneno, hæc benefico aſpectu reformavit in vitam.

Eva Regulus; Maria antiregulus.

4 Faciunt ad rem mirificè illa Eccleſiæ verba, quæ frequenter labijs terimus, & neſcio, an ità corde pro dignitate ruminemus. Sic enim docet nos orare Virginem: *Eia ergò advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Relege totam orationem, & ſolos Virgineos oculos obſecratos invenies. Pedum ibi nulla mentio; quorum tamèn plantis caput draconis contritum. Non commemoratæ manus; cùm & ipſæ in vulnerum medellam myrrhâ probatiſsimâ exundent. Sed & prætermiſſa labia, quæ veluti coccineâ vittâ, Dominum precibus illigant. Quid ergò, tot pietatis canalibus omiſſis, ad Lumina ſola confugimus? Quia, nimirum, Virginis oculi pro pedibus nobis ſunt, pro lingua, pro manibus; totamque Virginem habemus propitiam, ſi vel ſolos oculos illius demeremur. *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.*

Eccleſ.

Ab oculis Virginis omnia bona.

Noſtra felicitas, á Matre Virgine reſpici.

5 Tùm deindè etiam obſervare oportet epitheta illa dulciſsima, quibus Deiparam tenero ſalutamus affectu. Etenim Reginam eam, & Matrem miſericordię appellamus; Vitam quoque, Dulcedinem, atque Spem noſtram, denique Advocatam dicimus. Quorſum hæc? Nimirum, quò in nos pia ipſius lumina his ſolicitemus blanditijs. *Tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Atqui ſi Regina eſt, ut verè eſt, pauperes ditet; ſi Mater, filios lactet; ſi vita, mortuos ſuſcitet, ſi dulcedo, amara corda demulceat; ſi ſpes, deſperantes roboret; denique, ſi advocata, cauſas clientulorum agat. Quid ergo tòt tantiſque pietatis officijs exequendis proderunt oculi, ut proinde illos ſolos velimus exoratos? Quoniam omnis noſtra felicitas ab oculis Mariæ pendet. Sufficit nobis, quòd ab ea reſpiciamur, ut bonis omnibus fortunemur. Regina ipſa eſt, & ſiquidem nos intueri dignatur, Reginam habemus, quæ nos ditet. Matrem quærimus, quæ nos ſuo ſinu foveat? Lumina pia convertat, & materna officia in nos ſedula præſtabit. Advocatam optamus? Nequit non noſtras cauſas agere, ubi ſemèl ſuis dignabitur obtutibus. Quid plura? Ab eius oculis vita pendet, ſpes, dulcedo, ſalus. Sapientiſsimè proindè hæc nos pia lumina Eccleſia exorare docet, ubi Matre, Regina, Advocata, Vita quoque, Dul-

Dulcedine item, ac ſalute indigemus; quippè Virginei Oculi bonorum omnium fontes ſunt, & ſcaturigines. *Eia ergò Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.*

Virginis Deiparæ oculi pro manibus

6 Hùc, arbitror, facit ſilentium illud, quo cæleſtis Sponſus in ſuis Canticis illaudatas Dilectę manus reliquit. A calce, quod aiunt, uſque ad caput luſtra: &, me hercule, nullibi invenies, manus commendaſſe virgineas. Atqui, ut de manibus tacuit, ita oculos frequenter collaudabit. Modo quippè eos columbinos dixit, modò ſagittarios, modò limpidiſſimos, ſicut fontes Heſebòn. *Oculi tui columbarum. Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum. Averte oculos tuos, quia ipſi me avolare fecerunt. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon.* Cur Dilectæ oculos tàm ſæpe commendavit Sponſus, nulla de manibus factâ commemoratione? Nùm manibus caruit feminarum perfectiſſima? Atqui manus habuiſſe, & quidèm myrrhâ exundantes, ipſâ nuntiante, cognovimus. *Manus meę*, inquit, *ſtilaverùnt myrrham.* Quid ergo eſt, quod cæleſtis Amaſius manuum Sponſæ non meminit? Nimirùm, qui oculos collaudaverat, haùd opus habuit ſermonem quoque de manibus texere: ſat quippè manibus præditam declaravit Sponſam, cùm oculatiſsimam prædicavit. Neque enim manuum officia deſiderantur, ubi oculi expectare non deſinunt. Sufficiunt nobis lumina Virginea. Utrùm manus habeat, haud ità noſtra intereſt ſcire, dum modo de oculis nobis conſtet: quoniàm quidquid illę manus divinæ prętare valent, ab eiuſdem oculis æquè feliciter ſperare poſſumus. Ideò in ſacro Epithalamio altum de manibus Virginis ſilentium, quià altum de luminibus præconium. *Oculi tui columbarum. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebòn. Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum. Averte oculos tuos, quià ipſi me avolare fecerunt.*

Cant. 1. 14. & 4. 1. & 4. 9. & 6. 4. & 7. 4.

Sponſæ manus cur non laudat Sponſus.

Cant. 5. 5.

7 Hoc mirificè confirmat, noſtrumque ſolatium adauget illud Epiphanij elogium, quò B. Virginem *Multoculam* prædicat Orat. de eius laudibus. Ait enim: *Virgo plurium nominum, & multocula effecta eſt.* Id eſt, multos habens oculos. & propterea Cherubinis comparat, quos Ezechiel *cap.* 10. 12. & Joannes *Apoc.* 4. 6. plenos oculis deſcribunt. *Plena erant oculis*, inquit ille. *Plena ſunt oculis*, alter ſcribit. Sed nota, quòd ubi Cherubim toti inſtructi oculis apparent, vix manus conſpiciendas præbent. Et has quidem habere ſunt viſi, ſed veluti abſconſas ſub pennis. *Similitudo manûs hominis ſubtùs pennas eorum.* Quin apùd Joannem nulla de manibus mentio; quum tamèn de oculis eadem narret, ac Ezechiel. Nimirum, otiantur manus, dùm oculi excubant: quique prętant oculis, de manibus non curant. Hinc, quoniàm oculis undique ſcatent Cherubim; ideò vel nullas habent manus; vel ſub alis, quaſi ſub pallio, quod dicitur, geſtant; quoniam non opus eſt manuum uti miniſterio, ubi oculi in auxilium vigilant indefeſsi. *Plena ſunt oculis. Similitudo manûs hominis ſubtus pennas eorum.*

B. Virgo multocula.

D. Epiphan.

Cherubinis comparatur.

Ezech. 10. 12.

Apoc. 4. 6.

Ezechi Ibi. 8.

8 Vides modo, quantâ cùm verbi proprietate D. Epiphanius Beatam Virginem appellavit *Multoculam*; atque in hoc Cherubinis comparaverit. Plena quippè eſt oculis. Ideo quando lumina explicat in ſolamen mortalium, manus liberales abſcondit; quippe ſublevandis illorum miſerijs, boniſque omnibus ſpargendis, tàm valent oculi aperti, quàm manùs extenſæ. Noli ergò minùs tibi proficuam ſuſpicari Virginem, quòd vel nullas manus, vel abſconditas habere narratur; *Virgo quippè multocula effecta eſt.* Manibus ſuffecit oculos: totque ſubrrogavit lumina, ut undique oculis appareat ornata. Ecce tibi abundat oculis Virgo pijſsima: quoque tota ſit tibi ſalutaris, tota ſcatet fontibus miſericordiæ. *Plena ſunt oculis. Virgo multocula effecta eſt.* Eo quippè mirà oculorum

B. Virgo manus abſcondit, dum oculos explicat.

A Maria reſpectus, impoſſibile quod pereat.

rum copiâ volùit inſigniri, ut quaquâ verſùs ad ſe accedentes aſpiciat, aſpiciendo felicitèr; etenim nequit non eſſe fortunatiſsimus homo, quem ſemèl Virgo Mater aſpectu ſuo dignaverit. Piè, & elegantèr S. Bernardus ſuper *Miſſus eſt* Mariam alloquens: *Sicut à te deſpectus, & averſus, neceſſe eſt, quòd pereat; ſic ad te reverſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt, quòd pereat.* En alterum, quod initio propoſuimus, nempè, Deiparæ oculos eſſe hominibus ſalutares.

S. Bernard.

9 Jàm, quàm diabolo ſint Mariani oculi lethales, inſpiciendum ſedulè, & ſtatim occurrit illa Domini ad ſerpentem comminatio Geneſ. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Triumphaturam de diabolo Virginem Matrem hiſce verbis Dominus deſignat. Verùm notandum genus armorum, quibus Deipara caput draconis contriverit. Ubi noſtra Vulgata habet *conteret*, Septuaginta legunt: *obſervabit*; quod Chaldæus vertit, & antiquioribus Patribus communiùs arridet. Porrò quid eſt obſervare, niſi oculis notare, ſpeculari, advertere? Plautus Aul. prologo: *Obſervabo, quid agat, hominem.* Mira dictorum connexio! *Obſervabit, conteret.* Quid contritio ad oculum? Tantanè vis membrorum delicatiſſimo, ac tenerrimo? Nihil dubites, ubi de pugnà Virginis cùm ſerpente fit ſermo. Congreditur cùm pugnaciſsimo hoſte generoſa Virgo. Et, ut videt, vincit: etenim tàm lethales diabolo geſtat oculos, ut ſolo aſpectu caput venenatum conterat. *Ipſa obſervabit caput tuum. Ipſa conteret caput tuum.*

Geneſ. 3. 15.

B. Virgo ſolo aſpectu caput ſerpentis contrivit.

Septuag.

Obſervare quid.

Plaut.

Arma Deiparæ, oculi.

10 Hinc illa ſerpentis formido, quę non obſcurè ex modò pugnæ colligitur: *Tu inſidiaberis calcaneo eius.* Dæmonis in Virginem conatus hæc verba declarant. Sed conatus irritos. Nam, ut Deiparę inſidias tetenderit, mordère tamèn vel in calcaneo non valuit. Verùm illud movet; Cùr calcaneo duntaxàt ſerpens inſidiari fuit auſus? Equidem ſuperbior ille eſt, quàm ut humiliora tantùm inſectari conetur. Altiora petit, qui dicere eſt auſus: *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſsimo.* Maiora audet, qui poſt ingentem fluvium epotum, ſitit Jordanem, ut Job teſtatur 40. 18. Cùr ergò ſuperbiſsimus Draco ima petit Virginis, & ultrà non audet? Cùr ſi tàm viribus præpotens eſt, ut ſibi videtur, in Deiparæ verticem impetum non facit, caputque capiti opponit, ubi nobilius certamen, ubi victoria, (falſò concepta) foret illuſtrior? Quia, nimirum, adeò formidabilis dęmoni facies Virginis eſt, ut in eam aſpicere, quamvis audaciſsimus, non audeat. Calcaneo duntaxàt parare rete præſumit; ſed latentèr, ſed occultè, ſed veluti à tergo; oculos, videlicet, Deiparę vitare ſolicitus: etenim, quamvis ſit avidiſsimus gloriæ, proſilire tamèn coram Virgine non præſumit. Eum arrogantia impellit, metus tamèn retrahit. Amat pugnam, ſed vim oculorum extimeſcit. Ideò, quò terrori ſuo quoquomodò conſulat, & ſuperbiæ, Virginis oculos fugit, calcaneo ponit inſidias. *Inſidiaberis calcaneo eius.*

Virginis aſpectus quàm diabolo formidabilis.

Virginis Conceptio.

Diaboli ſuperbia.

Iſai. 14. 13.

11 Addam quod mireris magis. *Inſidiaberis calcaneo eius.* Calcaneo Virginis tantùm inſidiari fuit auſus ille ipſe Draco, de quo in libro Job dicitur, quod *cucurrit adverſus eum*, id eſt, Deum, *erecto collo.* Itane? Adeò timet Virginem, qui tàm audet contrà Omnipotentem! Erectâ cervice Deum provocare præſumit,

B. Virgo quodammodo terribilior Diabolo, quàm Deus.

Job. 15. 26.

qui non niſi clanculùm repens, puellæ plantam lædere conatur? ita. Voluit quippè Deus, quodammodo terribilior dæmoni apparere per Matrem, quàm per ſe ipſum. Ideò cùm permiſſus eſt draco adverſus Deum bellare, tunc enimuerò viſus eſt, animo efferri, & tollere cornua. *Cucurrit adverſus eum erecto collo.* Ubi autèm fuit ei prælianduin cum Virgine, fractis viribus criſtas deposuit; magnaque ſibi viſus eſt præſtitiſſe, quòd calcaneo ejus irritas tetendit inſidias. *Inſidiaberis calcaneo ejus.* Igitur non tàm videtur dæmon vultum Domini formidare, quàm Deiparæ faciem: nam coràm illâ apparerè non audet, qui contrà Deum collum erigere non eſt veritus. Opportunè Ricardus Victorinus cap. 26. Commentariorum in Cantica: *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere non preſumpſerint.* O! videant te, Domina, tartareæ Legiones, & aufugient. Oculis tuis fulmina, & peribunt. Verùm ſuper Evæ prolem miſeram pia lumina expande. Tuis oculis vivimus, procul ab illis morimur. Beati, quos reſpicere dignaberis: infelices, à quibus vultum averteris. Sacrabo prophana, verèque canam de præſentia Deiparæ, quæ de neſcio quâ virgine nimis mendax poeta celebravit.

Omnia tùnc vernant, tùnc omnia paſcua florent;
Omnia plena boves ubera lactis habent,
Cùm virgo hûc formoſa venit: poſtquam illa receſſit,
Flaveſcunt herbæ, paſtor, & omne pecus.

Deiparæ faciem non audet diabolus intueri.

Ricard.

Theocr.

DISSERTATIO V.

VIRGINIS OCULI TORtores ejuſdem juxta Crucem.

1 ADhûc ſibilat horrendùm ſerpens antiquus. Ægrè fert, caput ſibi contritum à Femina; doloremque premere diù non valet, quoniam manet ipſi vulnus altâ mente repoſtum. Sunt hàc noſtra tempeſtate, qui doctrinam de ſummo dolore Virginis iniquis auribus excipiant; audeantque inflatis buccis, id docentes, ac ſcribentes reprehendere, quaſi fortitudinis Deiparæ hoſtes, cui nimiùm detrahere illi putant, quòd nimis dolentem faciant. Verùm, quàm malam cauſam habeant ij ſemidocti reprehenſores, vel ex ſuo ipſorum metu clarè liquet: eò quippè conterriti, nomina ſua propalare non audentes, miſeris chartulis totum negotium committunt; ut ſalvo capite, ſimplicium corda venenent. Nimirùm ſerpentino more, atque diabolico ritu, cujus eſt caput obtegere, ut ſecuriùs mordeat. Porrò haùd alitèr poſſet offendere meticuloſum animal. Verùm hæc draconis capita, nè amplius mordère poſsint, ac ſibilare, doctiſsimi viri, mei inſtituti cultores, nuperis egregijs Scriptis penitùs amputarunt. Quòd ſi denuò repullulabunt, revireſcent & calami.

Summus dolor Virginis adſtruitur contrà quoſdam Anonymos.

2 Jam verò affectiones, ſeù animi motus, moderatos quidèm, rationique ſubjectos, in ſapientem cadere, Platonici, & Ariſtotelici docent contrà Stoicos, qui dicunt ſapientem eſſe *apathen*, id eſt, nullis animi affectionibus obnoxium; ſed quaſi impaſsibilem, cunctis humanitatis motibus immunem. Adversùs quos

Animi affectiones in ſapientem cadunt.

quos reclamat ipſa natura, quæ, niſi in lapidem obrigeat, nequit non incommoda ſentire. Et ſanè chriſtiana fortitudo, ſeù magnanimitas viros ſanctos non cudit in ſtipites, nec indurat in ſaxa; nèc rigidi ingenij, totiuſque affectionis, ac miſerationis expertes facit. Quin *apathia*, ſeu indolentia, in hominibus vitium eſt maximum. Unde D. Paulus poſtquàm peſsimos peccatores recenſuit: *Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos*, tandèm addidit, tamquam graviſsimam notam: *ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.* Indolentia itaque extrema malorum linea. Neque mirum videri debet, tàm multis vitijs fuiſſe onuſtos eos, qui omni pietatis affectui ergà proximos renuntiarunt: quippè cùm iſthæc immiſericordia ex nimio ſui amore ortum ducat, qui quidèm omnium vitiorum origo eſt; conſequens proindè fit, ut nullo non vitio repleantur, qui ad proximorum pœnas molleſcere neſciunt. Undè Apoſtolus utrumque vitium conjunxit, & prius quidèm, tanquam poſterioris fontem. *Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingratos, ſceleſti ſine affectione.* Videant itaque hi ſtoicæ *apathiæ* prædicatores, nè dùm homines eximiam hanc fortitudinem docère conantur, eximiam potiùs impietatem doceant: inhumanoſque reddant, cùm omni humanitati ſuperiores faciunt.

Apathia, ſive indolentia vitium maximum.

Et radix cæterorum.

Amor proprius ergà alios impius.

2. Tim. 3. 2.

3 Nos ergo in paſsione Filij, & magnanimam prædicemus Deiparam, & dolentem; & quidem magnanimam præ omnibus creaturis, dolentem præ cunctis mortalibus. Vis pectoris invicti fortitudinem demirari? Audi D. Antoninum 4. *part. Theolog. tit.* 15. *cap.* 41. §. 1. ex Anſelmo dicentem: *Si oportuiſſet, ipſa filium in cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet. Neque enim minoris fuit obedientiæ, quàm Abraham.* Vis maternarum viſcerum pœnas agnoſcere? Rurſus eundem inibi auſculta: *ſtabat verecunda, modeſta, lacrymis plena, dolororibus immerſa.* Ergo Virago generoſiſsima & cruci animoſa adſtabat, & ſimul parentis affectu dilecti filij cruciatus lamentabatur.

Summa fortitudo, & dolor ſimul in Virgine.

S. Antoninus.

4 Quid ni lamentaretur piiſſima Mater? Quid ni in lacrymas (tacitas) tenereſceret? Quis ſanè mentis prohibèret?

Quis Matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetat?

Ovid.

inquit vel Ethnicus *lib.* 1. *de Remed. amoris.* Niſi forte indolentia placet, & magnanimos dicimus eos, quos nulla, etiam ergà filios, compaſionis affectio titillat. Verùm hos, tanquam feris duriores, Jeremias ipſe reprehendit, cum inquit: *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia autem populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* Eſt dicere: Quid duriùs, ac diriùs! Immanes feræ ſua pignora lactant, plangunt, condolent. Homines mactant; namque *immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs*: & ſtruthionum more nulla erga filios ſuos pietate tanguntur. Hæc enim eſt huius animantis inclementia, ipſo rerum Creatore teſte apud Job: *Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* Abſit itaque à catholicis mentibus, ut duriorem feris piiſsimam Dei Genitricem faciant, omnique humanitate exuant; quò ſtoicâ, id eſt, ſomniata fortitudine induant. Chriſtiana namque philoſophia ita cordis moderatur affectus; ut & in morte chariſſimorum immodicam lamentationem, velut rem ingeneroſam ex-

Parentum impietas erga filios pluſquam ferina. Threu. 4. 3.

Pſalm. 105. 37.

Struthionis inclementia erga filios.

Job. 39. 13.

excludat ; & inclementiam , tanquam immanem belluam, declinet. Quod omnium Magiſter Chriſtus nos docuit lacrymis in morte Lazari fuſis, ut Joannes refert cap. 11. 35. *Lacrymatus eſt Jeſus.* Quæ verba exponens D. Cyrillus Alexandrinus *lib. 7. in Joan. cap.* 20. inquit : *Erudijt nos Dominus ſuis lacrymis , quonam modò charos noſtros , vita functos, moderatis , & lege rationis temperatis lacrymis , flere debeamus. Nam ex toto nec compati , nec mœrere ferinum eſt , & durum : horum verò exuberantia muliebre.* Habent ergo veræ pietatis Sectatores Doctorem inemendabilem, à quo edoceantur modum , ac medium conſulendi naturæ , & magnanitatem non offendendi. Et hæc non importune hoc præſenti tempore dicuntur.

Chriſtus docuit modum lacrymandi. Joan. 11. 35.

D. Cyril.

5 Porrò quantam tormentorum procellam , quantam dolorum tempeſtatem , quantoſque pœnarum gurgites pia Genitrix iuxta crucem devoraverit ; tàm non eſt mortalis linguæ digne narrare , quàm non eſt cordis cogitare , atque adeò nec ſentire. Unum hoc ſcimus , quòd tota quanta fuit , dolor fuit. Ipſius namque eſt clamor iſte: *Replevit me amaritudinibus , inebriavit me abſynthio.* Aliàs ſolas manus , & ubera amaritudine habuiſſe oppletas , nuntiavit. *Manus meæ ſtillaverunt myrrham. Faſciculus mirrhę dilectus meus mihi , inter ubera mea commorabitur.* Quid ergo eſt , quòd modò oppletam ſe amarore conqueritur ? Quoniam prętcia tormentorum filij chariſsima Mater , nunquam non habuit dolendi materiem. Doluit quippè cùm Puerulum geſtavit in manibus , atque Virgineo lacte nutrivit. Hinc myrrha in manibus , & uberibus. At ubi in crucem ſubactum vidit , vulneribus cruentatum , atque probroſæ morti deditum ; tum demùm tota condoluit : quoniam pœnarum gurgitibus immerſa.

B. Virgo iuxta crucem totadolorola.

Thren. 3. 15.

Cant. 5. 5.

Cant. 1. 12.

Dolor Virginis etiam cum lactavit Jeſum.

Replevit me amaritudinibus.

6 Hinc illa Doctoris ſeraphici plena devotione cogitatio: *Quæro Mariam iuxtà crucem , & non invenio Mariam.* Atqui Maria iuxta crucem fuit. Quid ergo , pijſsime Doctor , iuxtà crucem invenis , ſi non invenis Mariam ? *Invenio* , inquit , *ſpinas , & clavos.* Quærere perge. *Quæro Matrem Dei , & invenio vulnera , & flagella.* Quid ità ? *Quià tota converſa eſt in iſta.* Vide Mariam doloribus immerſam. Vide Matrem Dei amaritudinibus repletam. Imò non Mariam , non Matrem vide; ſed vide cruciatus , vide amaritudines ; quia tota verſa eſt in ſpinas , clavos , vulnera , & flagella. *Tota converſa eſt in iſta.* Conſonat P. Emmanuel Pimentâ *lib. 5. de Chriſt. paſ.*

D. Bonau.

Tota Virgo in dolorem converſa.

Cor lacerant clavi , cor ſpinea
ſerta coronant.
Verbera fert , tolerat funera,
felle madet.

Pimenta.

7 Claret itàque Mariani pectoris dolor ; imo non claret: etenim omne incomprehenſibile, obſcurum. Cæterùm maximum fuiſſe eum , eadem ipſa incomprehenſibilitas declarat : quoniam nec magna putari debent, quæ mente valeant comprehendi. Porro jam ſcire aves; quis tortor tam durè deſævijt in Virginem matrem ? Noli extrà quærere ; Habet illa oculos. Ecce pœnarum artifices. *Oculis non parcere* , ferire eſt : *Neque parcat ei oculus tuus ; ſed ſtatim interficies.* Quid ergo mirum, ſi virgineos oculos tortores ipſius dicimus ? Quòt impij carnifices tormenta Chriſto dedêre , tot à pijs oculis eſt paſſa dulciſsima Mater. Neque enim validior ad torquendum impietas , quàm pietas , dicenda. Ergo vidit:

Oculi dolorum artifices. Deuter. 13. 8.

Beatis. Virgo ſuis oculis cruciata.

Vidit Jeſum in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem natum
Morientem , deſolatum,
Dum emiſit ſpiritum.

Eccleſias

Et

Et quoniam vidit, fixiſque oculis filij vulnera ſpectavit, acerbitate dolorum immanitèr fuit compuncta.

Quæ mœrebat, & dolebat,
Et tremebat, cum videbat,
Nati pœnas inclyti.

8 Quidni acerbiſsimos cruciatus pia Mater ſentiret, laniatum contuens filium? Mirum, ſi duro illo ſpectaculo haüd immaniſsimè torqueretur. Non illa manu violentâ percuſa, non duris ſauciata clavis, non dirâ lanceâ confoſſa; mille tamen plagis vulnerata. Quid ità? Vidit. Vulnera fecerunt oculi. Etenim in flixendis plagis haüd opus eſt ferro, ubi oculi adſunt. Audi Synagogæ Cygnum, enſem Virgini enuntiantem, poſtquàm filij tormenta prædixèrat: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael; & in ſignum, cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Primum, obſtupente natura, Golgothæ vertex monſtravit, ubi Dominus in crucem actus, fuit viſus quaſi ſignum poſitum ad ſagittas. Secundum verò ubinam viſum? Quandò, inquam, Mariæ viſcera gladius ullus invaſit? Quæ unquàm barbara manus auſa fuit ferro regia illa pectora ſtringere? Quorſùm ergo dura illa Simeonis verba: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius?* At verum nequit non Senex prædicere, Spiritu Sancto afflatus. Nimirùm adſtitit Virgo cruci; Filij tormenta ſpectavit, ſpinis vidit compunctum, loris cruentatum, fœdatum ſputis, clavis perfoſſum, lanceâ transfixum. Hocque divinus Vates præſagiens, ferro Matrem tranſverberandam nuntiavit: quoniam ipſi pro gladio fuere oculi, ubi dulciſsimum Natum tot circumſeptum anguſtijs ſpectavit. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

Gladius Virginis ipſius oculi.

Luc. 2. 34. & 35.

Chriſtus in cruce ſignum ad ſagittam.

9 Habes tortores Virginis oculos ipſius. Modò vide, quàm immites. (Abſit verbo interpres malignus. Immites dico, ſenſu eodem quò S. Job Deum ipſum appellavit crudelem: *Mutatus eſt mihi in crudelem.*) Sœviêre in Chriſtum Judæi: ſœviêre oculi in Mariam. Cui niſi Chriſto patienti Mariam compatientem aſsimilabimus? Ergò, quantum fas eſt, tali Filio talem Matrem componere, tàm á ſuis oculis Mater videtur afflicta, quàm à ſuis tortoribus filius. Nemo eſt, qui Sanctorum ſeptem Machabæorum dura pro lege patriâ certamina non miretur: & quidem jure optimo; ea quippè ante Chriſti mortem ſuſtinuêre ſupplicia, quæ poſt crucifixum Dominum in paucis, ijſque fortiſsimis demiramur. Ec quis non ſtupeat florentis ætatis Pueros horrendas ſcuticas, ardentes ſartagines, ollas ſuccenſas, cutes abraſas, linguas præciſas, manus, pedeſque amputatos, atque ſæviſsimam membrorum omnium lanienam infracto animo tolerantes? Attamen D. Cyprianus de *Exhortat. martyr. ad Fortun.* fortiſsimis Juvenibus Matrem conferens, parem filijs prædicat in certamine. Cur? Quia filiorum cruciatus immotis oculis ſpectare potuit: *Tam grande martyrium*, inquit, *Deo præbuit virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerant filij omnes tormentis, & paſsione membrorum.* Cruciabantur filij, ſpectabat Mater. Cadebant pignora, tormentis exulcerata, mortui ſuper mortuos advolvebantur. At illa nihil animo labeſcens ſpectatrix adſtabat. Crederes Novercam, non Matrem; vel Medeam diceres, aut Athaliam. Mater eſt, & Machabæa, quę dùm oculorum ictus conſtantèr ſuſtinet, ęquè durum, ac filij, martyrium patitur. Etenim filios torquêre manus carnificum; Genitricem oculorum ſuorum violentia contorſit. Et non ni-

Job 30. 21.

Oculi ad Mariam, quaſi carnifices ad Chriſtum.

SS. Machabæi

Machabæorum Mater.

D. Cypr.

Compaſsio æquivalet paſsioni.

nùs premit oculus acerba ſpectantem, quàm lanionum manùs tormenta patientem, *Tam grande martyrium Deo præbuit virtute oculorum ſuorum, quam præbuerant filij omnes tormentis, & paſsione membrorum.* Quid noſtro propoſito convenientiùs, quàm hæc Cypriani verba? Profectò, ſi creaturarum aliqua tam grande, ac Chriſtus potuiſſet Deo præbere martyrium, una illius Mater id præſtitiſſe foret cenſenda. Ingentiſsima ille ſupplicia pertulit in atrio, in via, in monte, in cruce; immenſa quòque illa pertulit, à filio non ſeparata. Intuebatur filij cruciatus, fixiſque oculis numerabat vulnera. Hincque fiebat, ut, quotiens filius immaniter torquebatur, illa plagam exciperet. Mater erat; & videndo patiebatur ab oculis eadem, quæ filius à tortoribus ſuſtinebat vulnera.

10 Vides, quàm erga pijſsimam Matrem ſui oculi fuerint immites, ac ſævi: quippè quòd ab ipſis paſſa quæ a ſuis tortoribus Chriſtus. Quòt pœnas Chriſto irrogavit furor, tot materna lumina inſixêre Mariæ. Hoc intereſt, quòd ibi impietas, hic pietas vulnera fecit. Verùm ex hac parte mirum quantùm Mariæ dolor increvit. Penè dixerim, plus à ſuis oculis Mariam afflictam, quàm à lanionibus Chriſtum. Etenim, ſi violentiæ violentiam diligenter conferas, forſitam invenies, plùs ponderis oculorum pietatem ad torquendum, quàm tyrannorum impietatem, habere. Iterùm prodit in ſcenam invicta Machabæorum Mater cum filijs. Spectat illos Joſephus, rerum Judaicarum ſcriptor induſtrius. Hinc juvenum robur expendit. Hinc feminæ conſtantiam examinat. Utroſque miratur egregiè certantes. Verum ubi ad comparationem ventum eſt, Matrem filijs ſuperiorem pronuntiat. Superiorem nè undique? Haùd quaquam. Sed meritò oculorum torquentium. In hoc uno filios facit Matri inferiores; cætera pares. Undè præclaros antiquæ Legis athletas his alloquitur digniſsimis verbis: *Vos ergo ſimiles mente, robore, fide aſſeram, & matri in omnibus pares dicam, in nullo poſtponendi, in nullo minùs venerabiles, niſi quòd illa immanitatem dolorum præ oculis excepit.* Ecce ille invictiſsimos filios mille modis tentatos, mille tormentorum generibus affectos, eo duntaxàt matri inferiores reputat, quòd, quæ illi corpore, hæc patiebatur ſpectans. Nimirùm oculi pietate cruciant, carnificum manus impietate deſeviunt: & longè acerbior eſt pœna, quam pietas extorquet, ea, quæ ab impietate infligitur.

Joſeph Hebr.

11 Quid ergo? Inferiorem nè Matri compatienti Chriſtum patientem facimus? An tàm falſi adulatores ſumus, ut plus Mariam doluiſſe, Filij pœnas ſpectando, dicamus, quàm ipſe Filius doluerit, eas tolerando? Verùm quis ſanæ mentis fidelis hoc dixerit? Caput Martyrum Chriſtus; Maria membrum: quod, quàmquam inter omnia nobiliſsimum fateamur, ſupremo tamèn illo Capiti ſubjectum agnoſcimus. Cæterùm nec ſermo noſter in præſentiarum id agit, ut omnem omnino cauſam Chriſti dolorum examinet. Scire ſufficiat, multo plures, atque graviores eas fuiſſe, quàm impiæ torquentium manus. Inter has ergo duntaxat, & Mariæ lumina comparatio noſtra procedit. Et illarum impietati horum pietate collatâ, neſcio quid acriùs, atque vehementiùs apparet in oculis Virginis, quàm in manibus carnificum. *Niſi quòd illa immanitatem dolorum præ oculis excepit.*

Dolor Chriſti incomparabilis.

Chriſtus caput Martyrum: nobiliſsimum membrum Maria.

12 Verùm hac comparatione miſſa, illud ſaltem nobis

Acerbiùs pietas, quàm impietas torquet.

Mater Machabæorum ut ſuis filijs ſuperior.

bis valdè probatur : ex parte , nempè , oculorum recruduiſſe Marianum dolorem ſuprà omnium martyrum pœnas. Sunt equidem , qui zelo religionis flammati dorſum cruentiſsimis loris ſumiſſere ; latera condentibus laminis , crura bipenni rigidæ , os felleo calici , manus clavis immitibus , ventrem eliquato plumbo , totum denique corpus ferreis ungulis , ignique torrenti dederunt. Horum cruciatus non omninò incongruè poſsis Marianis doloribus comparare. Verùm in hoc quàm maximè antiſtat illa , quòd pœnarum acerbitatem apertis oculis hauſit. *Niſi quòd illa immanitatem pœnarum oculis excepit.*

B. Virgo Martyribus ſuperior.

13 Cupis tanti exceſſûs rationem edoceri ? In promptu eſt. Etenim dolor , qui à manu , ultra corpus non graſſatur ; dolor, qui ab oculis , animam intrat. Iterum Simeonis verba meditanda : *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Non cutem perſtringet , non carnem perforabit, non oſſa , medullaſque pervadet, ſed animam alto vulnere ſauciabit. Quis porrò enſis tàm limatus , & acutus , qui animam ferire valeat ? Nimirum, oculorum gladius. Ferrum , quod manu verſatur , ſola corpora penetrat. Sica , quâ oculi feriunt , animam perrumpit. Ideo non corpore , ſed animâ Virgo Mater tranſverberanda prædicitur , ubi filij tormenta præ oculis excipiet : ut diſcamus Matrem doluiſſe animâ , ſpectando , quùm reliqui Martyres corpore doluerint , patiendo. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

Oculorum gladius animam ferit.

Luc. 2. 35.

Dolor Virginis ſpiritalis.

14 Hinc dolor accerbior , quippè exacutior gladius. Etenim eò magis oculus torquet, quò intimiùs penetrat : quantòque anima eſt corpore delicatior , tantò ipſius dolor corporis dolorem excedit. Nullus ergo in Virginem ſævior tyrannus, quàm oculus. Hùc pertinet illud Jeremiæ ſuſpirium : *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Scio D. Hieronymum exponere de peccato per incautum aſpectum. Sed D. Paſchaſius , quem graviſsimi quoque imitantur Interpretes , de dolore concepto ex conſpectu miſeriarum intelligit. Ait enim : *Oculus animam deprædari dicitur , quando omnes affectus doloris, & mœroris effuderit.* Dolet itáque Propheta miſerriſſimam ſortem , atque afflictionem filiarum Jeruſalem , quòd vidit eas , & in captivitatem duci , & in opprobrium. Verùm cur non de hoſtibus conqueritur , ſed de ſuis oculis ? Quia , nimirùm, maximus dolor minorem quodammodò obſcurat ; vixque vel gravis pœna ſentitur , ubi gravior intervenit : Ingenti namque perſonante tonitru , tubæ clangor obmuteſcit. Non itaque de hoſtium immanitate , ſed de oculorum ſuorum pia tyrannide Sanctus Propheta conqueritur : etenim furor hoſtilis in filias Urbis deſævijt : oculorum verò tyrannis Prophetæ animam invaſit : quòque anima corpore præſtantior eſt, eò acriora vulnera inflixit oculus torquens , quàm hoſtis immanis. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Claret Mariæ luminum pia ſævities. Spectavit duros carnifices chariſſimum Natum mirâ impietate torquentes. Spectavit cruciatus horribiles , immanes pœnas , tormenta acerbiſsima. Spectavit, & doluit : non tàm immanitate carnificum , quàm oculorum piâ tyrannide afflicta : quippè ubi oculis ſævire licet , totam animam intimo dolore ſauciant. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.*

Thren. 3. 51.

Oculum animam deprædari quid.

Pœna major obſcurat minorem.

Oculus tyrannorum maximus.

15 Ecce , ut ſæviente oculo pluſquam Martyr pia Mater effecta. Etenim haùd tàm dira fuiſſet paſſa ſub immaniſ-

B. Virgo pluſquam Martyr, Filij tormenta ſpectando.

ſi-

ſimo hoſte, quàm ſub luminibus pijs. Hoſtis quippè ut ſummum vitâ eam ſpoliare valeret; oculi triſtiſsimum patientis Filij ſpectaculum eidem præbuêre. Et longè levior pœna fuiſſet mori, quàm miſerum adeò, atque acerbum ſpectaculum contemplari. Audi iterùm Synagogæ Olorem, hæc inter pueruli Jeſu amplexus, & oſcula concinentem: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Luc. 2. 29.

Paſsio Chriſti duriſsimum pijs mentibus ſpectaculum.

Mirum! Mortem optat Senex, dum vitam geſtat in ulnis. Moriendi ardore corripitur, dum vitâ fruitur optata. Mori Apoſtolus peroptavit, verum ut eſſet cum Chriſto. Senex, qui Chriſtum tenet, cùr mori cupiat? Nimirum, prævidit Vates ejuſdem Chriſti paſsionem. Prævidit illum eundem Puerum, quem modò pijs ipſe geſtabat ulnis, juvenem poſteà duris impiorum manibus lacerandum. Prævidit, inquam, ponendum in ſignum contradictionis, quod & ibi Virgini Matri prædixit. *Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur.* Luc. 2. 32. Hinc tantæ calamitatis præſcius, mortem petit cordatus Senex; ne ſi diutius viveret, acerbum adeò ſpectaculum præ oculis excipere cogeretur. Accipe præclaram gloſſam D. Timothei Hieroſ. ad Simeonis verba, Orat. de eodem ſancto. *Abſolvar nunc quæſo Domine, nè diutiùs hîc hærens, quę nolim intueri compellar. Etenim Spiritus Sanctus, qui in me eſt, palam oſtendit, quæ in te futura ſunt. Dimitte me nunc obſecro, nè videam audax nefarium Judæorum in te facinus: ne videam coronam ex ſpinis contextam, nè videam ſervum alapam infligentem, nè videam lanceam in te adactam, nè videam te clavis cruci affixum.* Timoth. Hier.

Oculus terribilior morte.

16 Vide, ut Sanctus Senex vitam prodigat, nè vitæ Authorem è cruce pendentem ſpectet. Vide, ut mortem exoptet, nè mortis triumphatorem turpitèr morientem aſpiciat. At qui mors terribile malum. Quô ergo æſtu Senex arreptus mortem pręcatur, nè patientem Dominum cominùs videat? Propriam mortem guſtare haùd timet, & Domini Calicem videre recuſat? Ità. Quoniam illos, qui verâ erga Chriſtum pietate tanguntur, plùs nimiùm torquet illius paſsio conſpecta, quàm propria mors tolerata. Mori ergò, quàm videre præoptant: quippè licèt mors terribile malum, terribilius eſt multò ſpectaculum Chriſti patientis. Suos itáque oculos formidabat Simeon; & nè videndo ſpiraret, anhelabat mortem: leviora nempè reputans mortis jacula, quàm oculorum ſpicula. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.*

17 Verùm, id quod pius Senex expavit, dulcis Mater experta fuit. Vidit quippè audax in filium Judæorum facinus. Vidit aureum illud caput dumis coronatum, ſplendidam faciem contaminatam ſputis, cæleſte dorſum flagris exaratum, tornatiles manus, pedeſque eburneos ferro terebratos; denique chariſsimum Natum vidit ob oculos ſuos mortuum. Sanè crudele martyrium, imò omni martyrio ſuperius. Nullum quippè mortis genus tàm poſſet Matrem torquêre, quàm conſpectus in cruce Filius contorſit. Pœna illi leviſsima mors fuiſſet. Aſt videre Natum tàm dira patientem, ineffabilis cauſa doloris. Non tàm illa doluiſſet, ſi quoties aſpexit, toties licuiſſet mori: ei namque quilibet oculorum jactus morte durior. Numeret ergo Virginis prodigioſa martyria, qui oculorum conjectus dinumerare valeat. Tam enim in pia viſcera deſævire novit oculus, ut nemo eô crudelior, ex quo nemo magis pius.

Martyrium Virginis omni Martyrio ſuperiùs.

18 Dixerim pro coronide, quod jure magis mireris; nimirum,

Et pœnis inferni.

rum, oculos fuiſſe Virgini ſuprà pœnas inferni duriores. Propoſitionem exhorres! Haud temerè prolatam dices, ſiquidem B. Birgitæ, ut par eſt, oſcularis ſcripta. Ergo *lib. 9. cap. 11.* aſſerit prudens hæc femina, quòd Virginis progenitores, apud Habrahæ ſinum morantes, vel crucifixum Dominum procùl adorati, uſque adeo turbabantur, quòd maluiſſent æternùm eſſe in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino. Extremam, deſperatamque calamitatem impiorum, à conſpectu Chriſti irati, indè Joannes expendit, quòd tanti Judicis faciem ſuſtinere præ timore non valentes, optabunt montibus oppreſſos iri, & collibus coopertos. Quaſi leviorem ſibi reputantes æterni carceris ærumnam, quàm Judicis irati conſpectum. *Abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper Thronum, & ab ira Agni.* Ecce diſſimilis cauſę effectus non diſſimilis. Quod reprobris impietas, id ſanctis viris pietas cogit optare. Illi, propria ſcelerum impietate commoti, malent in Tartara mitti, quàm iratum Deum vidêre. Hi, ſummâ pietate delibuti, amant æternùm torqueri, modò Chriſtum patientem non aſpectent. Validiùs ergò torquet oculus, quàm Tartari flamma: hanc non vitarent Patriarchæ prudentiſſimi, modò tormenta ab oculis profecta aliàs vitare non poſſent. Hoc Abrahæ votum, hoc Jacobi, hoc Davidis, hoc omnium Chriſti Parentum. Una Maria perpetua Chriſti comes, crucique conſtanter adhærens, illam oculorum tyrannidem ſuſtinuit, quæ fortiſſimis aliàs viris tantùm terroris, vel odorata incuſit, ut inferorum cruciatus potiùs eligerent, quàm tàm ſævam oculorum lanienam tolerare. Ergo Gehennâ duriores Mariæ oculi ipſi fuere. Quidni forent! Ars erat eſſe Matrem. Non tàm ſibi duros oculos fuiſſet experta, ni tàm pios habuiſſet in Filium. Materna eos indurabit pietas. Immenſus ergò Mariæ dolor; quia pietas immenſa. Jam proinde non mirandum, quod de Maria Nazianzenus in ſua Tragedia cecinit, optaſſe, nimirùm, eam mortem oppetere, ex quò chariſsimum Gnatum cruentatum vidit:

Oculus pietatis durior Gehenna.
B. Birgit.

Filij ut vultum mei
Squalore vidi plurimo, & ſaniæ obſitum,
Mors ſola votum eſt, vita mors tantum mihi.
Agite iam, agite vos, vitam non feram ampliùs.

Irati Chriſti facies terribilior Inferno.

Nazianz.

DISSERTATIO VI.

QUANDIU OCULI non vident, manus otiantur.

Apoc. 6. 16

1. DE miſericordiâ eſt ſermo. Virtus hæc humaniſsima eſt; atque adeo hominibus congenita, ut proindè inhumanum dicamus immiſericordem. Ideò inter animantia uni homini manus datę, quòd ipſæ ſint præcipua miſericordiæ inſtrumenta. Unde Dominus: *Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Manuum meminit duntaxàt, ubi de eleemoſyna concionatus eſt; quoniam miſericordiæ exercendæ cunctis commembris illæ prævalêre noſcuntur. Hinc Palinurus ille apùd Virgilium *6. Æneid.*

Pietas torquet.

Manus præcipuum miſericordiæ inſtrumentum.
Matth. 6. 3.

Virgil.

Da dextram miſero, tecum me tolle per undas.

2 Verùm ſublevandis egenis nihil manus præſtabunt operis, quandiù ærumnam oculi non aſpexerint. His otiantibus, otiantur & illæ. Undè manibus carê-

Qui cęcus, idem & mancus. Tob. 5. 12. à D. Ambroſ.

re putantur, qui carent oculis. Hinc ille cęci Tobiæ gemitus: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris ſedeo?* Si Ambroſio credimus, non tàm doluit ille oculos amiſſos, quàm officia pietatis intermiſſa. Erat quippè vir Sanctus miſericordiæ operibus enutritus. *Fraudari*, inquit lib. de Tobia cap. 2. *magis ſe doluit obſequiorum, quam oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, ſed impedimentum putabat.* At qui, oculis amiſsis ſupererant manus, pietatis miniſtræ. Cùr ergò miſericors ſenex cæcitatem ſuam lamentatur, quaſi abſolutum pietatis impedimentum? Num qui caret luminibus, caret & manibus? Num ſtatim mancus eſt, qui cæcus eſt? Ad exercitium externæ pietatis manibus carêre cenſetur, qui non eſt oculis inſtructus. Equidèm quod oculus non videt, cor non dolet, ut vetus inquit proverbium. Et ubi cor alienę miſeriæ dolore non tangitur, manus à ſtudio pietatis feriantur. Cæco ergo homini perindè eſt habere manus, ac nullas habere: quoniam viſus impedimentum oppidò redundat in manus.

Pietatis ſtudium erga pauperes.

Virtus otioſa non eſt virtus.

3 Hùc veteris philoſophiæ cultores reſpexiſſe crediderim, dum *manus oculatas* confixêre. Vide Manutium in *Adag.* col. mihi. 486. ex quo Octavius Scarlatin. *Hom. Symbol. Vol.* 1. *in Proverb. Ocul.* incontextatum eſt, inquit, doctrinas novales ſub fabularum involucris ab antiquis fuiſſe traditas. Quid ergo innuere voluit priſca ſolertia, cum oculos manibus appinxit? Scio nonnullos ita interpretari, ut nimirùm, hâc imagine doceremur, non fidendum verborum promiſſis, quæ ſolas aures opplent; ſed ijs tantùm, quæ rei exhibitione manus etiam occupare cernuntur. Ergò manus oculatas ad pollicitationes habere nos convenit, ut id duntaxàt, quæ videmus, credamus. Sic quædam haud pudica *in Aſinaria* Plauti, adoleſcenti montes aureos pollicenti, cùm illa nihil commoveretur promiſsis; *Semper*, inquit, *oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt, quod vident.* An non etiam Apoſtolus Thomas manus oculatas habuiſſe dicendus, qui Coapoſtolorum teſtimonio nihil permotus, Dominum ſurrexiſſe haud credidit, donec illius vulnera digito, ac manu palpavit? Unde Dominus illi: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Sanè credidit, quia palpavit. Verùm Dominus oculis tribuit, quod manu confectum; quoniam Thomas manus habuit oculatas, quæ palpando vident; nec credunt, niſi quæ palpant. Quæ quidem in credendo cunctatio, ut non laudanda in Thoma ob eximiam teſtium authoritatem, ità in frequenti hominum convictu haud deſpicienda, ob compertam nimis verborum perfidiam.

Manus oculatæ.

Scarlatin.

Verbis hominum non fidendum, ſed manibus.

Thomæ Apoſtoli manus oculatæ.

Joan. 20 29.

Manus palpando vident.

4 Noſtro tamen propoſito convenientius dixerim; ideo Veteres manus oculis inſtructas figuraſſe, ut docerent nos, nihil illas præſtare omninò poſſe beneficij ſinè oculorum auxilio. Ergò oculus quaſi anima manus. Jacet iſta velut inanimis, quamdiù non vivificatur ab illo. Immotis palpebris, digiti torpent: illis ceſſantibus, ceſſant & iſti: nec motus ſuos agere curant, ni prius excitentur ab oculis. Neque quem moveat, quòd vitam manuum oculos appellaverim. Septem oculos lapidi infixos apud Vatem Zachariam legimus: *Super lapidem unum ſeptem oculi.* Ad quid ſuprà petram oculi, niſi ut ſenſu carentem, vivificarent? Quid ergo mirum, ſi oculos animare manus dicimus, qui vitam lapidibus imprimere valeant. Sapienter itaque impigras manus dixeris oculatas: quoniam tùm demùm torpêre dediſcunt, cum ab oculis excitantur.

Oculi quaſi anima manuum.

Præſulum vigilantia torpentes ſtimulat.

Zachar. 3. 9. Ubi oculi adſunt, vel lapides vivunt.

5 Hęc porrò oculorum in manus energia, ac veluti imperium, quàm plurimis noſtræ Com-

Oculus miſericordiæ fons.

mu-

mutationis teſtimonijs clareſcit. Unum vel alterum proferam; ſobriè quidem pro modulo concionum.

Tob. 4. 7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* His verbis Senex Tobias filium in pauperes miſericordiam edocet. Ec quid aliud pius Pater filium doceret, quàm pietatem? Eleemoſynis ipſe aſſuetus, hunc morem inſtillat Nato: nam qualem quis vivit, talem & filium optare conſuevit. Cæterum bonus Senex artem docendi pietatem ſatis caluiſſe haud videtur. Quid enim ad elemoſynam attinet converſio faciei? Num pauperum egeſtas ſublebatur obtutibus? Num viſu fames expellitur, ablegatur nuditas, pauperies compeſcitur, medicatur infirmitas? Opportunius conſultum videretur, ſi filij manus potiùs, quàm oculos inſtruxiſſet. Undè à charitate Matronam illam nobilem commendat Salomon; non quòd oculos, ſed quod manus pauperibus admoviſſet. *Manum ſuam*, inquit, *aperuit inopi, & palmam ſuam extendit ad pauperem.* Quid ergò pietatis Magiſter filij oculos ad miſericordiam componere ſatagit? Sapientiſsimè. Noverat quippè Pater optimus, ac in ſcholâ charitatis Doctor eximius, totam miſericordiæ diſciplinam in oculis eſſe ſitam: manumque inclementiam à luminum inclementiâ deſcendere; pietatem verò eas actutùm condiſcere, quam ſemèl oculi hauſerint: neque poſſe palmas ignorare condolentiam, quæ palpebras non latèret. His quippè ſapientibus, ſaperent & illæ. Sàt ergò inſtructas iri ad pietatem filij manus bonus Pater putavit, ſi ſolos oculos erudiret: ſicut & totam perdendam operam, ni lumina dedocêret impietatem. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.*

Qualis vita Parentum, talis doctrina.

Pauperum ærumnæ recreantur viſu.

Prov. 31. 19.

Pauperum fortunæ ab oculis.

6 En ſupra manum oculorum imperium. Palpebrarum nutus confeſtim palmæ ſequuntur. Hinc pauperum fortunę pendent. Felices, quos ſuis divites non dedi nabuntur obtutibus; miſeri porrò, quos aſpicere contemnent. Unde apud Iſaiam Dominus Judęorum populum ad miſericordiam hortatur his verbis: *Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam nè deſpexeris.* Quid Dominus velit, capio. Verborum autem ſenſum vix percipio. Pauperi ſubveniendum docet. Quòque id fortiùs evincat, vultus averſionem diſſuadet. Id enim propriè verbum *deſpicio* ſignificat. Hoc eſt: *non animadverto, non attendo, viſum aliò detorqueo, & averto.* Res eſt Grammaticis nota. Verùm quid pauperis miſeriæ afferet commodi alius hominis oculorum converſio? Quid itèm nocumenti averſio luminum? Sufficeret ergò dixiſſe: *Cum videris nudum operi eum*; Nam quorsùm addit: *Et carnem tuam nè deſpexeris?* Quià, nimirùm, quiſquis nudum non deſpicit, cooperit: illeque duntaxat nudum abire patitur, qui viſum aliò detorquet. Adeò in rem egenorum eſt, aſpici. Veſtitur quippè viſu, qui nuda latera geſtat. Alitur, qui dirâ fame vexatur. Sub tecto admittitur peregrinus. Patrem orphanus, medellam ęger, triſtis ſolatium, & miſer quiſque miſericordiam invenit. Ut proinde quidquid calamitoſo homini conſolationis obvenerit, totum aſpicientis oculo ſit tribuendum.

Iſai. 58. 7.

Beneficentia eſt, videre miſeros.

Deſpicere, quid.

7 Errantem in ſolitudine Agarem, profugamque ſed Domini ingentibus promiſsis confortatam, audi, non Domini beneficentiam, ſed viſum concelebrantem. *Vocavit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam: tu es Deus, qui vidiſti me*: quòque celebrius fieret hoc nomen, illò etiam puteum tanti beneficij teſtem inſigniri curavit: *Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis, & videntis me.* Eho, bona Ancilla, ira parcè non parcò Benefactori gratias agis? Tuam

Benefactor, qui videt.

Geneſ. 16. 13.

Gratitudo.

Beneficia memoranda. Ibid. 14.

Oculi Dei bonorum omnium ſcaturigines.

ille

Ibid. 10.

Superior quærat errantes, & profugos.

Dignitas non ſolis nobilibus conferenda.

Videre Dei eſt benefacere.

Geneſ. 22. 14.

Abraham parentûm exemplar.

Locis ſanctis oblectatur Deus.

Parentes vocationi filiorum non reſiſtant.

Mons Moria idem ac Calvariæ.

Paſsio Chriſti digniſsimum Deo ſpectaculum.

Ubi crux, ibi Dominus.

Deus laborantibus adſtat.

Videre Dei benefacere eſt.

Mons Moria maximum beneficiorum Dei theatrum.

ille ſobolem, vix in utero conceptam, immenſùm amplificare promiſsit: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Et tanti ominis auſpicem à ſolo viſu prædicas, beneficiorum præterito congiario? *Tu es Deus qui vidiſti me.* Vidit te ergò tantùm, qui in agro palantem direxit, qui tuis rebus diffidentem confirmavit, qui profugam reduxit, qui virgis natam mira prole cohoneſtavit, & felicisſimo vaticinio proſperavit? Et iſta in me fateor plena manu Dominum compluiſſe; ſed univerſa uno verbo concluſi: *Vidiſti me.* Non enim beneficium denegat, qui non denegat viſum. Etenim ærumnæ, ſi aſpectentur, mox in ſubſidium ſui altitudinem emollit, inclinàtque potentium. Diſertè itàque Agar, ut Numinis in ſe prodigentiam æternaret, ſat fuiſſe putavit, ſi viſam ſe à Deo teſtaretur. *Vidiſti me*: Irrefragabili itaque argumento fuit uſa: Si vidit, ergo juvit.

8 Simillima pnrati uſus fuit Abraham, ubi monti Morię nomen indidit Nihil mirum, maritus conſonaret uxori. Igitùr tùm collata, tùm promiſſa beneficia gratulans, *appellavit, nomen loci illius, Dominus videt. Undè uſque hodiè dicitur. In monte Dominus videbit.* Et certè quamvis Montis ſplendida bocabuli appellatio conveniat; aſt Domino non ſatis convenire videtur. Dignus quippè mons fuit, qui videtur à Deo, ubi Pater Senex vitam Unigenito Filio, Domino pàrens, eriperet. Tantò ſpectaculo oculi Domini debentur, ubi & fides rutilat, & obedientia renidet, & pacientia fulget, & fortitudo emicat, & devotio naturæ affectus proſternit. Jam ſi mentis acies futura perſpicias, nihil Dominico aſpectu dignius eo monte reperies, ubi idem Deus immortalem Filium pro mortalium ſaluti tradidit morti. Idem quippè mons fuit, in quo & Abraham Filium immolare ſtatuit, & æternus Pater Unigenitum ſuum ſacrificavit. Quòd ſi uſque adeò potuit Dei oculus Abrahę ſacrificio rapi, quàm dulciori fuiſſe violentia captum Filij morte eſt putandus! Crediderim hùc reſpexiſſe Populi vocem haud omninò conſonam voci Abrahæ. Nam cùm hic dixiſſet: *Dominus videt*; ille reſonavit: *in monte Dominus videbit.* Cùr futurum populùs aſſerit, quod præſens Abraham enuntiat? Prophetiam edidiſſe videntur illi, dùm Moyſes hiſtoriam conſcripſit. Nec enim Dominus tàm vidiſſe Abrahæ victimam, quàm Filij ſacrificium eò loci viſurus credebatur. *In monte* ergo, ubi Jeſus cruci affixus aderit, *Dominus videbit.* Quoniam ſi eò dignus Moria, qui ſpectaretur à Domino, quòd ibi Iſaac deſtinatur morti; dignior incomparabiliter fuit, in quo divini oculi hærerent, quòd ibi patibulandus erat Chriſtus. Meritò itaque ſplendido vocabulo mons Moria nobilitatur, cùm à Domini viſione nominis claritatem ſortitur. *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt. Unde uſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.*

9 Verùm, & ſi digna monte, non item digna Deo appellatio videtur. Quæſierim ego ab Abraham: Te nè in illo monte Dominus ſolâ oculorum dignatione proſecutus eſt? Populum ſciſcitarim: Nùm in Moria oculis tantùm aderit Numen, & nihil aliud operæ præſtabit? Quin eò loci, & Filium à morte, & ab orbitate Parentem vindicavit. Quin & ibidem totius mundi ſalutem Filij cruore perficiet. Cùr ergò tantorum beneficiorum immemores, à ſolo aſpectu Dominum commendatis? Spectator ergo Deus tantùm, ubi Adoleſcentulum ſub gladio jacentem liberat, ubi Senis luctum immenſâ prolis amplificatione ſolatur, ubi omnium

nium gentium benedictionem juramento decernit, ubi tandem pro ſalute mundi Filium immolat dilectiſsimum? Ubinàm ergò Dominum à munificentiâ laudabitis, ſi hic *videntem* ſolùm agnoſcitis? Sedenim eleganti formulâ tùnc beneficentiſsimum dixêre, cùm prædicaverunt videntem. Etenim videre Dei benefacere eſt. Non habet ille ſteriles oculos & effœtos; ſed omnium bonorum ubertate fœcundos. Miſeri ſumus, ſi ab eo deſpicimur; beati, ſi nos intueri dignatur. Nam ubi oculos advertit, omnia implentur bonitate. Sapientèr ergò, mons ille, ubi pompam miſericordiæ ſuæ Divinitas explicuit, à viſione Domini commendatur: quippè ubi Dominus videt, ibi miſericordiæ theſauros effuſiſsimè prodigit. *Dominus videt. In monte Dominus videbit.*

Dei oculi non ſteriles, ſed fœcundi.

10 Profectò non tam miſeri forent pauperes, ſi, qui eorum ærumnas attenderent, divitibus oculi non deeſſent. Illicò in auxilium advolarent opulenti, ſi indigentium labores, inopumque anxietates intuerentur. Undè Seraphim Apocalyptica & oculis, & pennis apparuerunt inſtructa: *Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu, & intùs plena ſunt oculis.* Qui oculis ſcatent, abundant & pennis. Idem alati, qui oculati. Namque neceſſe eſt, ut in præſidium miſerorum advolent, qui præ oculis illorum calamitates excipiunt. Nè glorietur ſe oculos habere is, cui pennæ deſunt. Cæcus ſit oportet, qui volare neſcit. Oculorum motus inſtructio eſt alarum. Pennatus apparebis ſtatim, ac oculos in egentes admoveris, etenim beneficentia tandiù ſolùm tardare conſuevit, quandiu oculus ærumnam non aſpexit.

Divites oculati, miſericordes.

Superiorum vigilantia, afflictorum ſolatium. Apoc. 4. 8.

Alatus qui oculatus.

Tardat auxilium, qui miſeriam non videt.

11 Mirabilis ſanè Lazari reſurrectio. Verùm ego non tàm ſtupeo miraculum, quàm beneficij procraſtinationem. Non, inquam, tàm mirabilis mihi Dominus apparet, Lazarum à ſepulcro revocans, quàm quatriduum ſub umbras fœtêre ſinens. *Fœtet, quatriduanus eſt.* Illud quippè operis eſt Omnipotentiæ facillimum. Hoc verò ipſius beneficentiæ quodammodo videtur incongruum. Nam quale facinus Omnipotentis ſuſcitare mortuum? Beneficium autèm procraſtinare, vix Summa Bonitas patitur. Quòque mireris magis Chriſti in reſuſcitando Lazarum cunctationem, propone tibi ob oculos citam Adoleſcentis Naimici reſurrectionem: *Ecce defunctus efferebatur unicus filius matris ſuæ. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Vide, ut è feretro Adoleſcentem Dominus in vitam aſſerat, qui non niſi poſt longam ſepulcri injuriam Lazarum vivere voluit. Num Chriſto Adoleſcens, quàm Lazarus, charior? Sedènim ipſe Dominus Lazarum diſſertis verbis amicum ſuum appellare dignatur: *Lazarus amicus noſter dormit.* Num Vidua ergà Chriſtum beneficentior, quam Maria, & Martha? Sed in harum domo frequentèr, libentèrque hoſpitabatur, quod apud illam nuſquam legimus factitaſſe. Num apùd Domiuum mater ſolicitior pro filio, quàm pro fratre ſorores? At & abſenti ſupplices miſerunt literas, & præſentem interpellarunt; cùm tamèn vidua nil omnino fuerit deprecata. Quarè ergo ante ſepulcrum puero vitam reſtituit; Lazarum verò inter umbrarum horrores putreſcere ſivit? Nimirùm, amici caſum à tabellarijs accepit: *Miſerunt ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, eccè quem amas infirmatur.* Porrò adoleſcentis funus ſuiſmet oculis aſpexit: *Quam cùm vidiſſet Dominus.* Commotus autem fuit Dominus, pueri infortu-

Amor Dei in nos.

Joan 11. 32.

Lazari reſurrectio.

Luc. 7. 12.

Deus quandoque erga chariores durior.

Joan. 11. 11.

Confidentia in Deum.

Ærumnæ viſæ plus movent, quam auditæ Ibid. 3.

tunio viſo, qui, audito Lazari caſu, diu ſtetit immotus.

12 Vides quid inter feretrum, ſepulcrumque interſit. Vides, quàm celerius accurrat Dominus, cùm viſo Adoleſcentulo, etiam non rogatus, matri miſertus eſt, filioque redivivo ſolatus; quàm cùm auditu excipiens amici angorem, ne ſaltem quidem ægrotantem inviſere curavit. Hinc Sorores Lazari, quò Domini commiſerationem emollirent vehementius, ad ſpectaculum triſtiſsimæ cladis inſtantiſsimis precibus invitarunt. *Dicunt ei: Domine veni, & vide.* Acceſsit ergo ad ſepulcrum & vidit. Quid porrò tunc? Et lacrymas explicuit, & virtutem; namque & flevit amicum, pietate commotus, & Omnipotentiam evolvens, fœtentem revocavit ad vitam. *Lacrymatus eſt Jeſus. Lazare, veni foràs.* Audierat ſanè Chriſtus totam Lazari ſpirantis, ſepultique cataſtrophen, nec fleverat, adeò nèc à morte vindicaverat. Verùm nec ſiccis oculis, nec otioſâ potentiâ Lazari ſepulcrum ſpectare valuit. Exundant ergo lacrymæ ad ęrumnarum conſpectum: tantaque vis illarum eſt, ſi ad animum per oculos dimittantur; ut vel diu iam ſepultis vitam impetrare poſsint. *Domine veni, & vide. Lacrymatus eſt Jeſus. Lazare veni foras.* Neque id dixerim, quòd Domini miſeratio objectu ærumnarum increſcat, vel decreſcat abſentiâ. Sed quòd homo inter homines degens, humanos quòque affectus voluerit oſtendere, ut nos miſerorum compaſsionem erudiret.

13 Atque utinàm id viri divitiarum ediſcerent, imitarique non gravarentur animarum Paſtores. Utinàm delicatuli, comptique homines, atque divitiarum faſtu ſuperbientes, hominum miſerabilium conſpectum non faſtidirent. Sanè longè alia illorum conditio foret. Neque enim tam beluæ homines eſſe ſolent, ut, vel conſpectâ proximorum miſeriâ, nullo compaſsionis affectu tangantur. Utinàm & Superiores traditas ſibi animas ſub oculos frequentèr haberent, atque illarum mores, non auditu explorarent, ſed viſu. Profectò non tot ægrotarent ex ſanis, neque tot ex ægrotantibus interirent. Frequens in domo Marthæ Chriſtus fuerat commoratus: nec morbo aliquo laboraſſe Lazarum novimus. Verùm ubi Jeſus trans Jordanem ſeceſsit, Lazarus & infirmare cœpit, & obijt. *Lazarus infirmabatur. Lazarus mortuus eſt.* Nimirum, Superioris præſentiâ inferiorum ſalus roboratur; abſentiâ vero claudicat, & perijt. Moritur ergo Lazarus, ubi Jeſus abeſt, qui ſub illius oculos firmâ ſanitate vigebat. Ergò qui ſibi ſubditos ſanos vivere præoptat, diù ab eis non patiatur abeſſe. Suo quippè aſpectu & validos reddet fortiores, & ægros robuſtos faciet, & vel mortuis inſpiravit vitam; ut proinde ſubditorum ruinam illis tribuatur Prælatis, qui malè habentes viſitare detrectant.

14 Eſt adhùc quod miremur in Chriſti Domini procraſtinatione. Audito nuntio de Lazari infirmitate, adeò ad Sororum preces non feſtinavit iter, quin potiùs retardaſſe cognoſcitur. *Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tùnc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Et vocatus Dominus non ſtatim adit ſpiritales filias, & dilectas, & ſanctas? Sanè erga Centurionem ſe diligentiorem præbuit Chriſtus; nam ut filij infirmitatem narrantem audivit, illicò de itinere cogitavit. *Ego veniam, & curabo eum.* Ob Patris ſolatium itineris incommoda haüd moratur Dominus; ob Sororum conſolationem vix, & tardè movet pedem. Quid hôc latet documenti?

Miſerorum conſpectus lacrymas elicit.

Ibid. 34.

Ibid. 35. & 45.

Conſpectus Chriſti reſurrectio mortuorum.

Pauperum contemptores.

Prælatorum abſentia, mors Inferiorum.

Joan. 11. 2. 14.

Prælatorum in curia ut damnoſa ſubditis.

Confeſſarij non facilè moveantur ad feminarum preces.

Ibid. 6.

Matth 8. 7.

Zelus animarum ſit cautus: nec ad feminas magis quam ad viros propenſus.

ti ? Vellem ſinè vocc intelligi; nec audeo, quę ſentio, loqui palàm. Rumiment Confeſſarij, & quibus cura animarum incumbit. Ex his quippè Chriſti factis doctrinam eruent, quâ tutiſsimè zelum animarum moderari queant. Verùm hæc, calamo liberiùs excurrente, fluxerunt.

15 Ad orbitam redeo. *Ut audivit, quia infirmabatur, tùnc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Audio quod minimè ſuſpicabar. Dominum, nimirùm, biduanas tùnc moras traxiſſe, cùm Lazari infirmitatem audivit. Et quis crederet, Medicum cęleſtem, qui omnium languores curaturus advenerat, non protinùs accurſurum, ut ægrotanti amico, atque de ſe optimè merito, ſalutis opem afferret? Tùnc Salvator cunctatur, cùm advolare oportebat? Nunc mori Lazarum permittet; patieturque hanc nobiliſſimo ſuo amori veluti invidiam facere? Res ita ſe habet, Chriſti morâ Lazarus intermoritur; haùd certè moriturus, ni tandiù Dominus procraſtinaſſet adventum. Et quanquàm in Chriſto fuit hæc cunctatio laudabilis, perversè nimis inde Superiores reliqui negligentię ſuæ excuſationem obtenderent. Tum, quòd Chriſtus, qui claves vitæ, & mortis habèt, ſicut nullo cogente donat vitam, ità abſque ullius injuriâ, pro voluntate repoſcit. Tum, quia, ut dicit Auguſtinus: *Diſtulit ſanare, ut poſſet reſuſcitare*: majùſque miraculum concepit, quàm quod Lazari Sorores ab ipſo poſtulare videbantur. Ipſæ quippè rogabant, ut ægrotantem ſanaret: ipſe volebat mortuum, & quidem ſepultum jam, jam quatriduum, jam fœtentem, ſuſcitare. Tùm pręcipuè, quia in id Chriſtus incumbebat, ut majorem Divinitati gloriam aucuparet, quæ quidem longè clarior futura ex mortui reſurrectione, quàm ex curatione ægroti. Unde Dominus ipſe: *Infirmitas hęc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Hęc cùm ita ſe habeant; quid eſt quòd cùm Dominus moratur, Lazarus ſpirat, niſi quià hòc eventu voluit Prælatos admonere, quàm ſit res periculoſa, plenaque aleâ, animarum ſibi creditarum, ægrotarum pręſertim, viſitationem negligere? Perit Subditus infirmus, quod à ſuo Prælato non inviſitur. Cadit ovis morbida, quam paſtor contemnit. Periculum eſt in morâ. Biduum cunctatus eſt Chriſtus, & obijt Lazarus. *Manſit in eodem loco duobus diebus. Lazarus mortuus eſt.*

16 Porrò, ut abſente Prælato, moritur æger, ſic præſente eo, ab infirmitate convaleſcit. Tanti intereſt à Prælato reſpici ſubditum. Poſtquam de morte Lazari certos Dominus Apoſtolos fecit, quædam verba ſubintulit, haùd ſatis aperta. Ità inquit: *Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Non eſt ſenſus: ut credatis, me non fuiſſe ibi; id enim Chriſti laterones fugere non poterat; ſed ut credatis, ideò Lazarum obijſſe, quia ibi ego non eram; ſi enim ibi fuiſſem, haùd morerétur ille. Scio alios alitèr interpretari. Sed præter quam quod noſtra hæc expoſitio planiſsima eſt, multùm ex verbis Marthæ roboris accipit. *Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Quibus ijſdemet Soror ejus Maria cùm Domino poſtea conqueritur. Credendum ergò fuerat Apoſtolis, ideo Lazarum mortis incurriſſe jacturam, quòd Chriſtus lectulo ejus non aſtitit. Cùr ita? Quoniam incredibile erat, ſi præſens ęgrotanti adfuiſſet, quod ab imminenti periculo non ſanaſſet. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Cùr Subditus ille perijt? Non erat ibi Præſul. Cur ovis illa interijt? Non erat

Ibid. 4.

Dei voluntati conformari.

Præſulum abſentia lethalis.

Ibid. 5.

Chriſti præſentia vitam halat.

Ghriſtus vitæ, & mortis arbiter.

Chriſti abſentiâ moritur homo.

Confidentia in Deo.

Ibid. 21.

Chriſtus minora beneficia negat, ut maiora donet.

Chriſti liberalitas.

erat ibi opilio. Cur æger ille mortuus? Non erat ibi Medicus. Adeò Prælatorum abientia consuevit esse lethalis.

Prælati absentiâ mali fiunt pessimi. Joan. 11. 4.

17 Tandèm illud urget, quod Christus admonuit, nimirum, Lazari languorem non esse lethalem: *Infirmitas hæc non est ad mortem.* Atqui ex eâ paulo post Lazarus mortuus est. Quo modò ergo infirmitas illa non erat ad mortem? Quia, nimirum, convaluisset Lazarus, si præstò Christus lectulo adfuisset. At quoniam absens erat, mortuus est. Absente Medico recruduit languor, qui ad illius præsentiam depositus virus. Ergò ex infirmitate non admortem Lazarus in mortem abijt: quoniam non illo perijsset languore, ni à cælesti Medico fuisset destitutus. *Non eram ibi.* Ah quàm multi ob Præsulum absentiam perire dolemus, qui præsentibus illis salvarentur! Non omnis qui cadit, cadit ad mortem. Multi gravitèr decumbunt, sed Medicorum ope meliorantur. Verùm & sunt sanabiles morbi, qui fiunt ob solam negligentiam lethales. Subditus ille miserrimè perijt. Infirmus erat. Esto. Atqui non adeò gravis langor ille videbatur. Nihilominus brevi eo correctus vivere desijt. Quid ita! Abfuit Superior. Fortè nesciebat, ovem illam infirmari. Imo fidedignis testimonijs clare novit. Et contempsit, & neglexit, & non statim accurrit, & non continuo advolavit illò? Nil ergò mirum, si mortuus est homo ille, & ex non bono pessimus factus. *Infirmitas hæc non est ad mortem. Lazarus mortuus. Non eram ibi.*

Nullius desperanda salus.

Lapsi citò curandi, nè pejores fiant.

Delationes non omnino spernantur.

18 Quod de Superioribus dictum in specie, cuique non cæco accommodare perfacile; namque in universum, id rerum naturâ comprobante, verum est, homines ærumnæ conspectu mirificè ad misericordiam inflecti: neque ad emolliendos animos ad pietatem ullum ex sensibus tàm prævalere, quàm visum. Undè Cicero pulcerrimè: *Qui amicum intuetur, tanquam oculum, & exemplar sui intuetur, quò circa absentes præsentes sunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod dificiliùs, mortui vivunt.* Vides prodigiosam oculorum beneficentiam. Horum ope ditatur pauper, ægrotus convalescit, atque, vita functus, mortis ferrea vincula solvit. His porrò mortales beneficijs privant, qui impietate summâ calamitosos aspicere dedignantur. Si pauper egestate consumitur, si infirmus languore tabescit, si vidua mœrôre conficitur, si orphanus perit immanitate Tutorum; in causa sunt impij, qui nè misereri cogantur, iniquo nimis studio oculos suos à proximorum ærumnis avertunt. Si enim oculis explorarent, nimis fuissent inhumani, si non ad commiserationem flecterentur.

Cicer.

Oculorum beneficia.

Compati renuentes.

Durissimus, quem oculi non emolliunt.

19 Quod si adhuc subdubitas de hac mirifica oculorum potentiâ, audi ut de inculto, aliàs, insuavique homine gloriosè triumphavit. Is est Samaritanus ille, qui vulneribus saucium, ac penè mortuum hominem, eximio charitatis officio prosequens, vino, oleo, fasciâ, hospitio fovit, recreavit, curavit. *Approprians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Duros Samaritanorum mores qui noscere cupit, videat tùm apud Joannem, hujus generis feminam fatigato ex itinere Jesu propinare aquam inurbanè recusantem. *Quomodo tu Judæus cum sis, vivere à me petis, quæ sum mulier Samaritana?* Tùm apud Lucam ejusdem gentis homines eidem Domino hospitij humanitatem, frendentibus Discipulis, denegantes. *Non receperunt eum.* Et tamen, repugnante Nationis barbarie, Samarita-

Luc. 10. 34.

Samaritanorum mores.

Joan. 4. 9.

Luc. 9. 53. Patria, & genus virtuti non obsunt.

tanus eſt, qui oleum infundit morituro, qui ſauciato vulnera obligat, qui expoſito quærit hoſpitium. Quid veluti innàtam crudelitatem concoxit? Quid inſitam duritiem emolliit? Vis
Luc. 10. 33. oculorum: *Venit ſecus eum: & videns eum, miſericordiâ motus eſt.* Quod gentis incivilitas denegabat, viſûs extorſit.

20 Adhæc. Hominem illum, qui in latrones incidit, fuiſſe Judæum, ſatis ex parabola liquet, in qua ab Jeruſalem in
Maldon. Jerichò deſcendiſſe narratur. Uti benè notat Maldonatus ibi. Conſtat autèm, jam à multis ſæculis inter Judæos, & Samaritanos implacabiles, ob Religionis diſſimilitudinem, viguiſſe diſcordias, quæ etiam Chriſti tempore durabant. Unde mulier illa
Joan. 4. 9. Sichimita: *Non coutuntur Judæi Samaritanis.* Ergône Samaritanus, alienigena, inimicæ gentis homo, denique Sectarius, & Idolatra Judæo, hoſti, diverſæ profeſsionis homini, ac inutili, miſericorditer condolet, vitęque fomenta prodigè ſubminiſtrat? Deſine mirari. Viderat eum. Hęc portenta facit viſus. *Videns eum, miſericordiâ motus*
Du. *eſt.*

21 Dicet aliquis: Sed etiam Sacerdos, & Levita eundem hunc hominem vidiſſe narrantur, & abſque ulla animi commotionè prætériiſſe. *Accidit autem, ut Sacerdos quidam deſcenderet eadem*
Luc. 10. 31. 32. *via; & viſo illo prætérivit. Similiter, & Levita, cum eſſet ſecùs locum, & videret eum, pertranſiit.* Non tanti ergo vis oculorum prædicanda, quæ à Sacerdote, & Levita, perſonis, nimirùm, Deo devotis, ne vel tantillùm miſerationis impetrare valuit. Cæterùm quos mihi narras Sacerdotes, & Levitas, niſi illos, quos in exemplum immanitatis Salvator adduxit? Ideò comparatione Samaritani illorum inhumanitatem expoſuit; quatenùs barbaro homini collatos cunctis barbaris duriores oſtenderet; namque triſti illo ſpectaculo, quod à Samarite pietatem extorſit, nihil ipſi fuerint commoti. Viſu lapides non remolleſcunt: nec duriora ſaxis corda oculorum ictibus ad pietatem franguntur.

Eccleſiaſticorum impietas gravior aliquando.

Judæorum immanitas.

DISSERTATIO VII.

SPECTANTIUM OCULI grande afflictorum levamen.

1 *ILlud ultimum miſeris, miſerationem perdere,* ait quidam. Ad cumulum ærumnarum facit, neminem habere condolentem. Siquis vel ſolo geſtu compatitur, magnam partem oneris, ac laboris imminuiſſe videtur. Non totam pœnam patitur, qui non ſolus eam ſuſtinet. Habet neſcio quid dulcoris blandus oculorum jactus, quo dolentium amaritudines mirificè temperantur. Exundant quippè ab oculis, dum clementèr aſpiciunt, admirandæ ſuavitatis rivuli, qui per arcanos tranſmiſsi tubulos corda mœrentium indulcant. Undè Dominus, quò acerbiorem, nullaque vel ſolla conſolationis dilutam, mortis pœnam impij quidam conſiliarij ebiberent, omnem prorſus à ſpectantium oculis pietatem ſubmovit. *Neque parcat ei oculus*
Deut. 13. 8. *tuus, ut miſereàris.* Impium conſiliarium interfice. Quoque fiat pœna durior, nihil in te videat, quod clementiam, & ſuavitatem ſubindicet. Non blandos illi oculos oſtendas, non mœſtum vultum, non triſtem geſtum, non palpebras tenereſcentes. Nolo, ut vel micam conſolationis accipiat, qui te ad idolorum cultum provocaverit. Ideoque, nè illius dolori parcius, fac ab oculis miſerationem removeas. *Neque par-*

Ultima miſeria miſerationem perdere.

Conſiliarij impij indigni miſeratione.

tat ei oculus tuus, ut miſerearis.

Imperium miſericordiæ inter manus, & oculos bipartitum.

2 Non ſola manù afflictorum miſeria ſublevatur; extenuatur & oculo. Miſericordiæ imperium habent oculi cum manibus diviſum. Etenim manus auxilium præſtant, donando; oculi opitulantur, videndo. Hinc filio Senior Tobiæ:

Tob. 4. 7.

Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Quid quòd faciem non avertat, ſi non advertit & manum? Nùm pauperis inopia ſublevatur viſu? Nùm oculis arcetur fames, expellitur frigus, nuditas propulſatur, conſopiuntur ærumnæ? Noverat bonus Senex, utpote qui in ſchola charitatis incanuerat, multum alleviatos iri indigentium labores, per hoc ſolùm quòd oculis colluſtrentur.

Animos dolentes recreant ſpectantium oculi.

Duplici pauper quiſque ſolet ærumnâ vexari: nam & corpore cruciatur, & animo. Corpore quidem, rerum externarum penuria: animo etiam, triſtitiæ & mœſtitudinis anguſtiâ. Rerum penuria manuum liberalitate compeſcitur; animi anguſtia oculorum conſpectu medicatur. Sapienter ergo Tobiæ filij oculos ad pietatis munera inſtruit: etenim in regno miſericordiæ throni dimidium obtinet viſus. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.*

Pauperum ærumnæ interna, & externæ.

3 Hoc porrò inter manum, & oculum maximè intereſt, quòd illa ſæpe ab officio miſericordiæ ceſſare cogitur: hic nullo modo impediri valet, quin pro arbitrio charitatem exerceat. In auxilio manuum poterit quis excuſationem prætendere: in oculorum ſubſidio præſtando nemo excuſationem habet. Poteſt aliquis dicere, non poſſum cibare pauperem: numquid poteſt dicere, non poſſum videre? Poteſt dicere, veſtem non habeo, qua nudum operiam: numquid poteſt dicere, oculos non habeo, quibus eum aſpiciam? Igitur quamquam plurimi ſint, qui externis pauperum ærumnis ſubvenire non poſſint; tamen nullus eſt, qui animo dolentem, & afflictum conſolari non valeat. Expende iterum optimi Senis monitum: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Atqui ſi fortunam hominis curiosè in veſtigemus, ſatis eam avaram cum eo fuiſſe videbimus. Namque poſt cæcitatis miſeriam eò penuriæ deveniſſe legitur; ut ad victum neceſſaria ipſius uxor aſſidue in textrinâ laborando quæreret. Unde ad filium idem: *Pauperem quidèm vitam gerimus.* Quorsùm ergo pauperi filio curam pauperum mandat? Qui ſibi non habet, cui alio ſufficiet? Quid quod non habeat divitias, ſi habet oculos? Non ſolâ manu inopum miſeria levatur. Oculorum eſt etiam indigentibus ſubvenire. Nudus nudum cooperire nequit. Verùm poteſt quàm optimè, quiſquis oculis non caret, ſolo viſu corda gementia recreare. Ecce quàm nullo labore calamitoſis hominibus ſuccurrere valeas. Eleemoſynam in oculis geſtas abundè. Faciliùs eſt multo hos aperire, quàm arcam. Igitur ſi oculos aperuiſti, magnam eleemoſynam in afflictos erogaſti. *Noli avertere oculos tuos ab ullo paupere.*

Ibid.

Ibid. 23.

Oculi eleemoſynarij.

Oculorum impietas inexcuſabilis.

4 Verùm viſionis modus ſervandus. Non enim quilibet oculorum iactus eſt ſemen conſolationis. Plurimi triſtitiam generant. Frons caperata, facies obſcura, inamœnùs vultus perdunt beneficij ſuavitatem, & accipientis corda plurimo felle contorquent. Conſultiùs foret his nihil omnino erogare, quàm donorum jucunditatem vultûs amaritudine corrumpere. Unde pulcrè S. Auguſtinus in Pſalm. 47. *Si panem aederis triſtis, & panem, & meritum perdidiſti.* Cùr meritum? Quoniam hoc ibi metitur, ubi ſolatium indigentium proſeminatur. Hùc enim opus miſericordiæ

Hilari vultu danda eleemoſyna.

D. Auguſt.

diæ collimat. Et profectò egenorum mœror non tàm manuum profusione levatur, quàm jucunditate vultus. Audi Jesum filium Sirach: *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Putabam dicturum eum: In omni dato liberalem fac manum tuam. Nam quid obest tristitia vultûs, ubi manus tenaces non sunt? At quid prodest liberalitas manuum, ubi in facie tristitia prostat? Sanè qui torvo vultu eleemosynam facit, plus accipientis animum suâ gravat tristitiâ, quàm corpus munere reficit. Mos est pauperibus, priùs faciem donantis explorare, quàm manus; quoniàm majorem ab illâ consolationem accipere sperant, quàm ab istis. Unde Festus, *Fabul.* 12.

Eccli 31. 11.

Torva facies pauperem contristat.

Fest.

Non me ridenti, sed tristi cernere vultu
Fas erit, & vacua sint tibi vota tua.

Ergò componat vultum ad hilarem, quisquis tenaces manus non habet: sic enim & grande sibi meritum acquiret, & ærumnosos maximâ doloris parte levabit. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.*

5 Iniquus forem, si opportunissima æquè, ac præclara D. Chrysostomi verba immemorata transirem. Habentur tom. 4. homil. in dictum Pauli: *Oportet hæreses esse.* Ausculta: *Si alacritèr demus, duplex erit eleemosyna: & quia damus, & quia alacritèr damus.* Modò recole Augustini sententiam, nuper datam. *Si panem dederis tristis, & panem, & meritum perdidisti.* Vultus alacritatem meritò dixeris animam eleemosynæ. Duplicatur gratia hilaritate frontis. Oris verò tristitia totam beneficentiæ gratiam corrumpit. Nihil æstimatur munus, quod non oculorum benevolentia nobilitat. Despicitur donum, quod opaca facies obscurat. Totum beneficij meritum ab oculis pendet. Horum aspectu aut nobilitatur, aut vilescit. Dupliciter meritum auxisti, si alacri facie donasti; sin vero lacrymabili vultu, & donum, & meritum perdidisti.

D. Chrysost.

Hilare donum duplex eleemosyna.

Facies tristis perdit gratiam beneficij.

6 Cæterùm quanta sit oculorum vis ad emolliendam ærumnarum duritiem, perspicuè Jobi tragœdia demonstrat. Ibi enim habes, quòd auditâ viri calamitate, tres familiares ipsius, illicò inscenderunt rhedas, ut ægrotum visitantes, consolarentur. *Condixerant, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.* Et hoc ipsorum votum. Verùm ubi amici catastrophen cominùs spectavêre, ità consternati sunt jacentis infortunio; ut totâ hebdomadâ nihil prorsùs fuerint locuti. *Sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Ecquid disertissimos, ac sapientes viros muros reddidit, linguasque facundissimas gelavit, nè doctis verbis affluerent, quibus dolentis amici calamitatem lenirent? Profectò nihil aliud, nisi spectati doloris vehementia. *Videbant dolorem esse vehementem.* Præmeditata verba, sermonesque salutandi causâ compositos, ærumnæ magnitudo astrinxit, intraque pectoris cancellos coercuit. Triste spectaculum eloquentissimos fecit elingues, atque eruditissimos reddidit infantes.

Job. 2. 11.

Ibid. 13.

Triste spectaculum muros reddit spectantes.

7 Atqui consolatum advenerant: *Visitarent eum, & consolarentur.* Quomodò ergò solantur, qui nil prorsus colloquuntur? Sanè consolatio fit verbis: & nihilo tàm mœrentium corda mulcentur, quàm suavissimis amicorum sermonibus. Statuæ homines non solantur. Quî ergo plenum ærumnis virum recreare potuerunt amici, in morem lapidum taciturni? Nimirùm, assidebant dolenti condolentes. *Sederunt cum eo in terra.* Mœstis vultibus

Amicorum præsentia miserorum solatium.

Consolatio potior ab oculis, quam à lingua.

bus calamitoſum hominem ſpectabant. Nulla in ore verba; ſed plurima in oculis compaſsio. Non virum fœtore plenum, vermibuſque ſcatentem horruêre. Quin amici ſaniem oculis quaſi ebibere, puſque toto è corpore manans palpebris admotis tergere videbantur. Vide conſolationem eximiam. Vide deploratæ fortunæ præclarum allevamentum. *Viſitarent, & conſolarentur. Sederunt cum eo in terra.*

Amici veri.

8 Ita eſt ſanè. Nam & Chriſtum D. in agonia poſitum ab Angelo fuiſſe confortatum, Luca narrante, cognovimus. *Apparuit illi autèm Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia prolixiùs orabat.* Quomodo confortans? Num Dominus confortatione indigebat? Video nonullis hic hærere aquam, indignè ferentibus, Chriſtum Dominum famulorum conſolatione indiguiſſe. Verùm quid mirùm, potuiſſet conſolari, qui potuit conſtriſtari? Spontè ipſe conſenſit affligi: quòque extremis doloribus uſque ad mortem torqueretur, miro charitatis ingenio voluit, tunc temporis Humanitatem ſuam, ex ea parte, qua capax erat paſſionis, omnem pœnarum atrocitatem ſubire: ſuſpenſo interim ſolatio, quod à parte impaſsibili totam Humanitatem poterat impaſsibilem reddere. Vide Ven. Abbatiſſam Agredienſem *part. 2. lib. 6. cap. 12. n.* 1216. Medijs itaque corporis organis ſenſibilem quandam Dominus ab Angelo conſolationem accepit. Hæc pro textûs obcuri elucidatione. Amo in mentalibus conſtructionibus ſoliditatem. Nec mihi placent illæ conceptiones aereę, quæ nullum in Litera fundamentum habere noſcuntur. Abeant Ingenia funambula.

Luc. 22. 43.

Chriſtus qualiter ab Angelo confortatus.

Ven. Mat. de Agreda.

Expoſitiones aereæ.

Ingenia funambula.

9 Conſtat Chriſtum ab Angelo confortatum. Modum inquirimus. Nam apùd Evangelium nihil Domino Alitem dixiſſe comperimus. Quomodò ergò abſque verborum ſolatio confortavit extremò mœrore affectum? Nimirum, *Apparuit illi Angelus.* Viſus eſt à Domino, qui ſe agonizantem ſpectaret, qui laboranti aſtaret, qui conflictato adhæreret. Fortè etiam habitu, geſtùque ſimili aſſumpto, Angelus Chriſto ſeſe conformare ſtuduit; proinde ut Jeſu flectente genua, ille etiam flecteret, & cum humi proſtrato ſe quoque proſterneret. Ergo ſpectatore Angelo confortatus. Quidni mortalis homo amicorum aſpectu roboretur, ad animi anguſtias facilius tolerandas? *Animus ſemèl mœrore affectus, nihil poteſt commodè audire*, inquit Chryſoſtomus. Eſto. Ægrè audit verba cor anguſtiatum; verùm amat ſpectatorem. Voce namque interdum offenditur; at nunquam non amico ſolatur aſpectu. *Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum.*

Angeli præſentiâ confortatus Chriſtus.

Chryſoſt.

Animo mœrenti ſermo importunus.

10 Huiuſmodi conſolationem S. Job enixè deprecabatur, cùm è ſolio in ſterquilinium deturbatus clamavit: *Terra, ne operias ſanguinem meum, nec habeat locum latendi clamor meus.* Pathetica nimis oratio, quæ terram ſenſu carentem compellat. Verùm ſolemne Poetis in dolore, aut graviſsima quâque animi commotione res mutas, mortuaſvè, ſenſuvè omni deſtitutas, teſtes, & auditores advocare. Alius cum avibus loquitur, cum feris alius, ſurda littora, mareque compellat alius, nemora, ſylvas, quercus, ſaxa. Sic ille dixit:

Job. 16. 19.

Oratio pathetica in Scriptura ſacra.

Et quodcumque meæ poſſunt narrare querellæ,
Cogor ad argutas dicere ſolus aves.

Propert.

Nil ergo mirum, ſi terram S. Job alloquitur, ſummo dolore correptus. Quid porrò exoratam vult eam? Nimirùm, ut triſtiſsimam tragœdiam cunctis ſpec-

S. Job ſpectari cupit.

ſpectandam offerat, neque ſuis latebris adeò cruentum certamen abſcondat. *Terra, nè operias ſanguinem meum; nec habeat locum latendi clamor meus.* Quæ iſthæc conſolatio in tanta ærumnarum procella? Quantum levamentum ad immenſam preſſurarum mollem? Verùm credendum afflictis. Horret vir patientiſsimus dolorum ſuorum latebras: anxièque cupit, illorum neminem non fieri ſpectatorem. In eo quippè non parum fore oblectandum prævidebat, ſi ingentis ærumnę ſpectatores haberet. *Terra, nè operias ſanguinem meum.*

Amicis non fidendum.

Luc. 23. 49.

11 Hinc quò Chriſti D. in Cruce pendentis anguſtias magis Lucas declararet, familiares ſuos procùl ab eo ſtetiſſe notavit. *Stabant autèm omnes noti eius à longè.* Quod & Dominus ipſe fuerat queſtus per os David, ubi inquit: *Longe feciſti notos meos à me.* In tantâ malorum acerbitate, ac horrore, qualem Chriſtus eſt paſſus, quid attinebat neceſſariorum commemorare defectionem? Tantinè momenti res eſt, ab hominibus Chriſtum deſeri, qui à Deo Patre fuit derelictus? *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Nùm amicorum abſentia digna eſt, quæ commemoretur, ubi Pater eum deſeruiſſe narratur? Inclamet igitur cœlum Chriſtus, ſummoque animi affectu apud Patrem queratur, quòd ſe omni ope, ac conſolatione ſuâ deſtituerit. Verùm quæ tandem cauſa indolendi cognatorum abſentia; ut à Domino quoque queſtus extorqueat amaros? Sanè haud levis fuit cauſa, quæ Chriſtum coegit in gemitus. Vel deſertus à Patre, ſe quoque à familiaribus derelictum ingemuit: quòd hæc quoque pœna inter amariſſimas amareſcat. *Stabant autem omnes noti ejus à longè. Longè feciſti notos meos à me.* Extremè afflictis unus ſpectantium viſus pro levamine reſtat: hoc ſolo confortantur, ſi quos dolenter aſpicientes ſe aſpiciant. Enim verò non prorsùs infelicem ſe putat, quiſquis non ab omnibus derelictum ſe videt. Cæterùm nullum habere commœrentem, faſtigium pœnarum eſt.

Chriſti paſsio.

Ab amicis deſeri quanta pœna.

Dolor ſuprà dolorem, carere conſolatore. Pſal. 68. 27.

12 Iterùm Chriſti gemitum audi: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et undè dolori vulnerum novus doloris acceſſus? Undè poſt ingentiſsimos pœnarum gurgites recens modo anguſtiarum ſcatebra? Dixerat pridèm: *Suſtinui, qui ſimùl contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inveni.* Vide dolorum Chriſti incrementum. Paſſus eſt tormentorum ſuorum cruciatus: dumque immanitèr torqueretur, huc illùc circumſpectabat, ſi quem fortè, qui ſupra ſe caput movere dignaretur, inveniret. Verùm cùm in nullo geſtum condolentis vidiſſet, novo fuit dolore contortus: quippè tormentorum ſævities plurimùm immanitate oculorum crudeſcit. Dolor itaque ſupernatat dolori, oleumque camino infunditur, dùm extremè afflictis etiam oculorum ſolatium denegatur. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

Ibid. 24.

Afflictis non compati, valde impium.

13 Diſcat itáque homo ſaltèm oculorum ſolatium afflictis non denegare. Maximum impietatis genus afflicto afflictionem addere, calamum quaſſatum confringere, atque linum adhùc fumigantem extingere. Nihil facilius, quàm oculis miſereri. Undè nihil avarius excogitari poteſt, quàm inclementia oculorum. Nam quid tandèm donabit, qui negat viſum? At miſericordia regnat in corde. Ita ſanè. Cæterùm non latet in corde. Videri amat. Ideò à corde exundat in faciem. Tùnc miſericordia tua innoteſcet, cùm nihil in te viderit dolens, quod cle-

Miſericordia apparet in facie.

mentiam, & ſuavitatem non reſpiret. Tunc verò reputaveris impius, cùm ab ærumnoſis durè faciem averteris.

Eleemoſyna beatos efficit.

14 Poſtremò, ſi te proximi ærumna nihil tangit, moveat ſaltem utilitas propria. Fac amore tui, quod fratris amore non facis. Etenim miſericordiæ oculus plùs aſpicienti prodeſt, quàm contuito. Audi regium Pſaltem: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Quinimò beatus pauper dicendus, ſuper quem dives intelligit, ejus egeſtatem ſublevando. Falleris. Non enim dives, miſeros intuendo, beatos efficit, qui in Evangelio prædicantur ſua paupertate beati. Sed beatum ſe dives facit, dùm egenorum calamitati proſpicit. Beatus ergò dives, quia miſeretur. Verùm felicius ſibi miſeretur, quàm pauperi: quippè non pauperi, ſed ſibi beatitatem lucratur. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Diſce ergo miſereri tui, ut pauperum miſerearis.

Pſal. 40. 1.

Paupertas beata.

DISSERTATIO VIII.

MUNDI FELICITAS colorata eſt, non vera voluptas.

Mundi felicitas colorata, & vana.

1 NIhil ſolidi ineſt in mundo. Omnis hujus vitæ felicitas merus eſt fucus. A colore pretium habet. Ideò temporalia omnia oculis verius, quàm manibus poſſidentur. Poſſidere noſtrum videre eſt. Audi quò Nabuchodonoſoris ambitioſus ardor Holofernem impellat: *Non pareat oculus tuus omni regno, omnemque urbem munitam ſubjugabis mihi.* Regnis imperari cupit Monarcha ſuperbus: & tamèn non alium ſenſum, organumvè exercendum præcipit, niſi oculum. Mirùm ſanè involandę poſſeſſionis ingenium, non uti manu, ſed oculo. Nùm arces, & urbes ſubjugantur obtutibus? Nùm regnorum poſſeſſio oculorum eſt uſus, & non manuum? Quid ergò Holofernes oculos Ducis inſtruit in rapinam, quò plurium regnorum dominus efficiatur? Scitè. Bonorum mundalium indoles depicta eſt. Oculis veriùs quàm manibus poſsidentur. Penès palpebras eſt eorum uſus; quippè nihil ſolidi habent, quo teneantur manibus, ſed tota ſunt in coloribus, quibus oculos oblectant. *Non pareat oculus tuus omni regno, omnemque urbem munitam ſubjugabis mihi.*

Poſſidere noſtrum videre eſt.

Jud. 2. 6.

2 Rogo: dives undè dives creditur, niſi ex quo congeſtum aurum videt in arca? Pauper non videt, quia eo caret. Videt dives, quoniam habet. Verùm tam non prodeſt diviti aurum in arca recluſum, quam pauperi, qui non habet. Illi quippè pecunijs uti ob avaritiam non licet; huic ob inopiam denegatur. Igitur æquè vacuas dives, & pauper manus habere noſcuntur. Utriuſque diſcrimen penès oculos eſt duntaxàt. Dives ille; quoniàm numos habet, quos videat. Pauper hic; quippè divitijs caret, quas cernere poſſet. Opportunè Eccleſiaſtes: *Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* In hôc paupere felicior dives, quòd haürit ex pecuniarum aſpectu voluptatem; nam licet divitiarum affluentiâ diteſcat, ſolis eas oculis poſsidere dicitur. Manus ſi ſpectes egentis, & avari, æquè infelices invenies utraſque: quippè divitiarum poſſeſsio non uſus dicitur manuum, ſed oculorum voluptas. *Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis?*

Divitis, & pauperis penes oculos differentia.

Eccle. 5. 10.

3 Delicatius. Divitiarum poſſeſſor & dicitur locuplex, & ſolis oculis uti iiſdem perhibetur. At qui oculorum uſus unam rerum ſuperficiem attingit, intima verò minimè rimatur. Quomo-

Divitiarum vanitas.

modo ergò auri poſſeſſor nullum ex divitijs fructum legere aſſeritur, præter unam ſimpliciſsimam oculorum contemplationem? *Niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* Quia, nimirùm, divitiarum felicitas nihil niſi facus eſt, & calorata voluptas. Solidum eſt, quod manu tenetur; quod vero oculis conſpiciendum ſe præbet, ſola extima rerum eſt facies. Igitur nihil ſolidæ felicitatis bonis terrenis ineſt, quæ non manu aprehendi poſſunt, ſed ſolis oculis contemplari. *Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit divitias oculis ſuis?* Meritò omnia vanitas, dixit Eccleſiaſtes; quoniam omnia temporalia poſito colore evaneſcunt in cineres, ut ſodomitica poma poſt deflagrationem. Omnia ut præſtigiæ, quę à laruis fabricantur, qualeſque cibi, quos amatori Menippo Lycio Phæniſſa paravit. His, otiante manu, ſola lumina oblectantur: quoniam, ubi inani ſuperficie oculos poſſeſſoris exhilarant, avidas ejus manus doloſa pulcritudine ludunt. Igitùr, quos mundus felices vocat, ac divites, non inde tales putandi, quòd multa bona poſſident, ſed quod vident.

Bona temporalia ſolos oculos oblectant. Eccle. 4. 8.

4 Dè vili pecuniarum mancipio hanc idem Eccleſiaſtes ſententiam prætulerat: *Nec ſatiantur oculi ejus divitijs.* Quid novi! Nulla potentia, nullus ve ſenſus peregrinò ſatiatur objectu. Divitijs utique oculus non ſatiatur. Sed nec manus coloribus oppletur. Nihil ergò mirùm, ſi oculos inſatiatos relinquunt divitiæ, quæ ſolas manus valent explere. Fallimur. Non manus, ſed oculi ſunt, qui divitijs haùd ſatiantur; quippè cùm omni ſint ſolida felicitate vacuæ, ſolis colorum illecebris oculos paſcere poſſunt. In hoc ergò paupere fortunatior dives, non quòd plura bona poſsideat manibus, ſed quòd non tàm à divitijs jejunos habeat oculos. Etenim bonorum terrenorum ſatietas penès oculos eſt, non penès manus. *Nec ſatiantur oculi ejus divitijs.*

Vivere noſtrum videre eſt.

5 Igitùr omnis noſtra felicitas tamdiù durare valet, quamdiù eam ſpectare non deſinimus. Dùm privamur lumine, privamur & bonis. Cùm enim non realia, ſed apparentia bona ſint, omnia prorſus nobis perire dicuntur, ex quo noſtris oculis non apparent. Favet quàm optimè Jobi ſententia: *Et non revertetur oculus meus, ut videat bona.* Nihil aliud his verbis Jobum aſſerere velle, quàm citò, & certò ex hac vitâ migraturum, cuius bonis non amplius deinceps fruiturus eſſet, clarius eſt, quàm ut ulteriori expoſitione indigeat. Verùm, cùm mors ſit omnium bonorum temporalium privatio; cùr Patriarcha diſſertiſsimus unicam duntaxat oculorum ſortem luget, reliquorum ſenſuum immemor? Poſt mortem utique ſæculi bona oculi non videbunt. Sed neque manus palpabunt, neque palatum guſtabit, neque auris audiet, neque membrorum aliquod vitæ huius perfruetur delicijs. Cùr ergò communem ſenſibus cunctis infelicitatem oculis ſignanter attribuit Propheta? *Et non revertetur oculus meus, ut videat bona.* Quoniam tota huius vitæ felicitas intrà ſphęram oculorum continetur. Vivere noſtrum videre eſt, non guſtare, non palpare; quippè in mundanis delicijs nihil ſolidum invenies, quod guſtes, aut palpes; ſed fallaciſsimos tantùm colores, quibus oculos oblectes. Meritò igitùr ſolius viſus defectus in mortuo lugetur: etenim non alium ſenſum prætèr viſum homo in morte amiſiſſe putandus, cui in vitâ tantùm videre bona, conceſſum. *Et non revertetur oculus meus, ut videat bona.*

Job. 7. 7.

Mors ſolò viſu rerum privat.

Mors cur videri dicatur.

6 Conſonat Prophetæ Propheta, Regi Rex. Sic quippè miſeram hominum ſortem, atque inevitabile mortis fatum David plan-

Pſal. 88. 49.

plangit : *Quis eſt homo , qui vivet , & non videbit mortem?* Cunctos moriendi neceſsitas urget. Quamquàm Homerus haùd benè de divino Numine ſentiens , adeò ineffugibilem credidit , ut nè deos quidem ab ijs quòque quos maximè diligant, depellere eam poſſe , cecinerit Odyſſ. y.

Homeri error de Numine divino.

At verò mortem communitèr omnibus æquam
A dilecto homine néque dij depellere poſſunt,
Quem funeſto dies facti jam urget acerbi.

Homer.

Hìc porrò non immoramur modò ; quamvis utiliſsima foret occupatio , nos ſemper recogitare morituros. Cœterùm præſenti inſtituto ſerviendum , atque phraſis prophetica meditanda. Dum inevitabilem mortis ictum omni homini denuntiat, non verbo utitur ſuſtinendi , quod congruentius videbatur ; ſed verbo videndi , quod minùs aptum apparet : *Quis eſt homo qui vivet , & non videbit mortem* ? Quid ? Videtur ne mors: an toleratur ? An ideò tali verbo utitur Propheta , quòd mors lux ſit , quâ & ipſius horror videtur , & cunctarum rerum pulcritudo ab oculis evaneſcit? Profectò ita evenit , ut imminente jam morte , veluti ad conſpectum ſolis , nigreſcant omnia circùm , quæ aliàs fulgore ſuo mortalium oculos hebetabant. Coronę , infulæ , opes, nobilitas , imperia , quæ abſente morte adeò ſplendent , eâ præſente obſcurantur , ipſa ſola interim ſuis ſtipata tædis, feralibus radijs micante. Vide, ut iure optimo mors viſa dici queat. *Quis eſt homo qui vivet , & non videbit mortem?*

Mors lux eſt allegorica.

Mors detegit rerum humanarum fallatiam.

7 Aſt propoſito convenientiùs. Ob id morientes homines mortem videre dicuntur ; quia, nimirum , mors ſolius oculi objecta ſubducere noſcitur. Non pes , non manus , non denique aliud membrum pati mortem aſſeritur. In oculos duntaxat mortem deſævire regius Vates ſignanter annuntiat. Reliqua quippè membra nihil boni habent, quod perdant in morte. Cùm enim in rebus humanis nulla vera felicitas ſit , ſed color duntaxat felicitatis ; meritò ſoli oculi mortem dicuntur ſpectare : quippè temporalia omnia videntur veriùs , quàm aut guſtantur, aut poſsidentur. *Quis eſt homo qui vivet , & non non videbit mortem* ? Quæro , divitiæ , voluptates , inſulæ , regna , imperia, omniſque huius vitæ fortunæ, quid tandem ſunt ? Felicitatis umbra , non vera felicitas. Nihil inanius umbrâ. Videtur enim eſſe , cùm nihil ſit. Hoc ſolùm habent , quòd oculos mortalium faſcinant , cùm poſsideri creduntur.

In rebus humanis color tantùm felicitatis.

8 Alijs verbis eandem ſententiam puto eundem Vatem prædicaſſe , cùm dixit : *Confundantur omnes , qui adorant ſculptilia , & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.* Hugo Cardinalis per ſimulacra hìc bona temporalia , veluti divitias allegoricè intelligit. Verùm quonam pacto bona mundi ſimulacra? Quoniam ſimulacrum videtur aliquid eſſe , cùm nihil ſit illius , quod repręſentat. Terrenæ voluptates quid ſunt ? Quid divitiarum affluentia ? Quid dignitatum ſplendor ? Quid nobilitatis decus ? Simulacra ſunt felicitatis , non vera felicitas. His rerum imaginibus miſeri mortales deludimur , uti vuarum ſimilitudine à Zeuxi deluſa eſt avium ſimplicitas.

Et ſimulacra felicitatis.

Pſalm. 96. 7.

Hug. Card.

Temporalium rerum vanitas.

O curas hominum ! O quantum eſt in rebus inane!

Volat ambitioſus ad culmen honoris ; poſtquam verò illud arripuit , tunc falſum ſe fuiſſe conqueritur : quippè non verum honorem , ſed inane ſimulacrum honoris fuiſſe ſe adeptum deprehendit. Felicem ſe avarus putat , ſiquidem immenſam auri molem congregaverit

ſi-

ſibi. Verùm ubi dives eſt factus, nihilo feliciorem ſe deprehendit : quoniam terrenæ divitiæ non niſi ſimulacra ſunt divitiarum. Fœdas delicias voluptuarius amat, quas tamèn, ubi apprehenderit, faſtidit : quippe quærens voluptatem, videt ſe ab imagine deluſum. Rogo proindè te, noli oculis tuis confidere, manibus explora vitæ huius felicitatem, & liquidò deprehendes, truncum eſſe, & ſimulacrum ſine vitâ, à quo vitam, & felicitatem inſpirari mortalibus putabas. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.*

Oculis non fidendum.

9 Porrò haüd valdè mirùm, ſi huius vitæ felicitas merus fucus ſit, & colorata voluptas. Quis enim in hac lacrymarum valle veras delicias quærat ? Sed mirùm valdè videbitur, ſi & mundi huius miſerias coloratas quoque dixerimus. Statim quippè occurrit illud Jobi, viri, nimirùm, ærumnarum peritiſſimi : *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs.* Ita. Copioſam miſeriarum ſegetem haüd negaverim : has porrò infelicitates fucatas potiùs, quàm veras eſſe miſerias, certis teſtimonijs evincere ſatagam. Et primò eiuſdem Jobi verba in medium ſtatuam : *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Oculus ? Quinimò miris undique circumſeptus anguſtijs, nullo non membro diriſsimè cruciaris. Percuſſum quippè te ſcimus ulcere peſſimo à plantâ pedis uſque ad verticem. Quid ergò oculorum pœnas doles, qui toto corpore vulneraris ? An quià durius eſt, mala videre, quàm pati ? An quoniam huius vitæ dolores, ſicut & voluptates, plùs habent apparentiæ, quàm ponderis, atque adeò oculos præcipuè torquent vano doloris apparatu ? Id putaverim, patientiæ Magiſtrum nos docere

Huius vitæ miſeriæ apparentes.

Job. 14. 1.

Job. 17. 2.

Videre pœnas, durius quam ſuſtinere.

voluiſſe, cùm tot immerſus anguſtijs, oculorum pœnas ſignanter expreſsit. Quippè terrenæ calamitates videntur veriùs, quàm tolerantur, oculiſque potiùs, quàm corpore excipiuntur.

10 Audiamus quoque Hebræorum voces : *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.* Omninò quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt : & præterita pericula, qui evaſit, ut referat, gratiſsimè provocatur. Undè ille apud Macrobium *lib. 7. cap. 2.*

Pſal. 89. 15.

Labores acti jucundiores.

Macrob.

Magnopère eſt jucunda viro renovata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaque geſsit.

Ergo lætantur Judæi, ingentia mala effugiſſe, Deoque liberatori hoc cantico gratias agunt. Verùm non ſatis capio, quid de præteritis ærumnijs ſentiant ipſi. Adeò quippè eas extenuare videntur, ut non toleraſſe, ſed vidiſſe credantur. Hæc namque ipſorum verba : *Annis quibus vidimus mala.* Viſa nè tantum à vobis præterita mala fuere? Num duriſsima illa ſub Pharaône ſervitus vobis duntaxat viſa fuit, non etiam tolerata ? Num Babylonicæ Tragœdiæ ſpectatores tantum fuiſtis ? Num Romanorum gladios cervicibus veſtris ſolummodo minitari vidiſtis? Atqui ab Ægyptijs durè oppreſsi, à Babylonijs compediti, à Romanijs penè extincti. Omnes has ærumnarum procellas Prophetico ſpiritu Davidem, vel Moyſem, iuxtà alios, deploraſſe, gravium eſt ſententia doctorum, de quo videſis Lorinum. Quid ergo ? Flagellorum ſævities, catenarum horror, cædium immanitas adeò levia mala ſunt, ut ſolos valeant oculos affligere ? *Annis quibus vidimus mala?*

Præterita mala non ſentiuntur.

11 Dices, ita fuiſſe locutos, ut immiſſas à Deo ærumnas clevarent. Familiare quippè eſt pectori magnanimo, pœnas, qui-

Pœnæ à Deo inflictæ patienter tolerandæ.

bus conflictatur, minuere: ſicut è contrà dejecti animi eſt, magis eas clamoribus exagerare. Toto corpore cruciati fuerunt immaniter; ſed oculis duntaxat vidiſſe mala teſtantur. Quia, nimirùm, ſolus oculus ærumnas videt, nec ſentit. Pedes enim vinculis ferreis premuntur: manus arctis conſtringuntur manicis: terga duris cæduntur flagellis: caput quo is ictu vulneratur: cor inter tormenta exanimatur: aures fragore tunduntur. nares graveolentiâ vexantur. Solis oculis conceſſum, ad inſtar Phœbi, innocuis radijs mundi mala ſpectare, viſa calamitate haùd offendi, cædium ſpectaculo non tangi, ſordium præſentiâ non exaſperari. Ergo quò leviores à Domino ſibi irrogatas pœnas teſtarentur Hebræi, non niſi oculis eas fuiſſe paſſos profitentur. Vix quippè inter afflictos numerari præſumit, qui mala ſe vidiſſe tantùm fatetur. *Annis quibus vidimus mala.*

Correptionis impatiens.

Morificationis amor.

12 Hæ porro conſiderationes, quamvis non omninò importunæ, nec inutiles videantur; ſcopum tamen orationis haùd ita rectè attingere noſcuntur. Ergò inſtituto convenientiùs. Viſa tantùm dicuntur vel ingentia mala; quippè omnis huius vitæ infelicitas ſolos oculos poteſt deludere vano doloris apparatu. Quidquid pati mortales contingit, fucus eſt, & colorata pœna. Torqueri itàque nihil eſt aliud, quàm tormentorum ſpectra oculis ſubjici. Cum laruis luctamur, quoties affligi videmur. Terremur umbrâ doloris: ob idque ſolùm credimus mala pati, quia ſpectamus. *Annis quibus vidimus mala.*

13 Modo perſpicua fient plura ſacræ Paginæ teſtimonia, quę primo aſpectu videbantur obſcura. Faciem ſumi pro re, cuius eſt facies, pluribus in præſentis Commutationis Expoſitione à num. 16.. comprobavimus. Nunc verò ſufficiat, unum vel alterum teſtimonium ſeligere. Audi Iſaiam Idumeæ ruinam, & Arabiæ prædicentem: *A facie gladiorum fugêrunt, à facie gladij imminentis, à facie arcûs extremi, a facie gravis prælij.* Quid timent, quid fugiunt? Faciem gladij, faciem arcûs, faciem prælij. Vix intelligo. Nam quæ iſthęc cauſa timoris? Non mirùm, ſi gladios fugerent, ſi ſagittas vitarent, ſi prælij congreſſum pavêrent. Enim quippè acies lethalia vulnera infligit, ſagittarum cuſpis præcordia tranſadigit, prælij furor omnia vaſtat. Verùm qui poſſunt offendere facies? Hinc diſces, omnia mundi mala aſpectu tantùm terribilia eſſe, non viribus. Gladio quid ſævius? Sagittâ quid lethalius? Prælio quid atrocius? Nihilominùs, quæ tàm creduntur immania, totum terrorem in ſolo vultu præferunt. Nihil in illis timendum ſupererit, ſi ſolam faciem ſpreveris. Etenim humanæ calamitates vultu ſunt, quàm pondere minatiores. *A facie gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcûs extremi, à facie gravis prælij.*

Facies rei pro ipſa re.

Iſai. 21. 15.

Timores vani.

Mundi mala ſolo aſpectu terribilia.

DISSERTATIO IX.

HOMINES NON timendi.

1 MEcum conſidera Lector animal bipes; ſed quod omnia quadrupeda immanitate facilè vincat. Intelligis, credo, me de homine loqui, quò nil truculentius, nihil magis homini formidandum natura creavit. Sanè. *Homo homini Deus.* Sed & verum eſt illud: *Homo homini lupus*; quin & Leo, quin & Ur-

Homo homini Deus.

Homo homini lupus.

Urſus, quin & Diabolus. Et tamèn cùm adeò ſævitiâ præſtet, ſolo vultu timendus, imò non timendus, nuntiatur. Sic quippè Nehemias, ut à conſtructione muri Jeroſolymitani haùd ceſſarent, animavit Judæos. *Nolite timere à facie eorum.* Quorumnam? Et Arabum, & Ammanitarum, & Azotiorum. Omnes quippè hi, collectis viribus, & manu armatâ muri ædificationem impedire nitebantur. *Et congregati ſunt omnes pariter, ut venirent, & pugnarent contrà Jeruſalem, & molirentur inſidias.* Tota nè in facie tot hoſtium armatorum potentia? Atqui manus timenda potiùs, quàm vultus. Erras. Contrà ſolam faciem inimicorum animatos milites ſuos Nehemias optat; quòd hominum vultui duntaxat terror inſit, non dexteræ. Facie, non viribus formidabiles ſunt. Hac una ſpreta, totum hominem conculcaſti. Nihil eſt quòd ab enſe timeas, ubi ſemèl inimici faciem triumphaſti: quoniam prèter faciem, & apparatum minarum, non habet homo, quo timeri debeat. *Nolite timere à facie eorum.*

2. Eſdr. 4. 14.

Humani timores ſpernendi.

Ibid. 8.

Homines ſolo aſpectu terribiles.

2 Conſilij prudentiam probavit eventus. Etenim furentibus hoſtibus, & contrà nitentibus murus Jeroſolymitanus perfectus eſt; opus ſanè grande, & improbi laboris. *Completus eſt autem murus quinquaginta duobus diebus.* Et à paucis, iiſque opificibus, & bajulis, & cæmentarijs. Quibus porrò viribus armati, qualibuſve machinis protecti, validiſſimi exercitus elusère conatus? Non tàm viribus ſanè, quàm vultûs hoſtilis deſpicientiâ. *Nolite timere à facie eorum.* Hac animi conſtantiâ baiulos ſuos Nehemias præcipuè armare curavit: nam ſi bellica inſtrumenta quæras, gladijs quidem videbis inſtructos; ſed quos ægrè contorquère valerent, alterâ eorum manu perpetuo trullâ occupata. *Una manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Igitur fortiſſimorum hoſtium confregère impetus, quoniam vultus ferociam contempſère. Ut diſcas minas hominum flocci pendere, quorum tota vis proſtat in cute faciei. *Noli timere à facie eorum. Completus eſt murus quinquaginta duobus diebus.*

2. Eſd. 6. 15.

3 Exterritum Ezechielem Prophetam roboraturus Dominus, ut intrepidè argueret rebelles filios Iſrael, hiſce verbis alloquitur: *Eccè dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Novum ſanèquàm pugnandi genus. Num vultibus, aut frontibus, hircorum more, congrediendum illis fuerat? Qui ergo Prophetæ faciem Dominus indurare ſtuduit, frontemque obſtinare; quod hoſtes duris fuiſſent vultibus, frontibuſque caperatis? Sapientiſsimè. Equidem tota hominum fortitudo in ſolo vultu conſidet. Non manum manui Dominus opponit; ſolam frontem fronti objectat, vultumque obdurat in vultum: quoniam non viribus, ſed ſolâ facie homines inter ſe ſe pugnare valent. Qua propter quibus durior eſt facies, hi nimirum victoriam reportant. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

Vultus concionatoris in rebelles durus.

Ebech. 3. 8.

Vultibus homines inter ſe ſe pugnant.

4 Diſcant Concionatores, diſcant Confeſſarij, & animarum Rectores chriſtianam fortitudinem diſcant. Noverint, inquam, vultus in durare ſuos contra vultus induratos, contraque facies ferreas facies aſſumere diamantinas. Tales quippè vultus Dei miniſtros maximè decent. Ideò eidem Prophetæ priuſquàm inſtitueretur ſpeculator domus Iſrael, data eſt à Domino facies adamantina, & ſilicea. Prius enim audivit: *Ut adamantem, &*

Zelus animarum fortis fit.

Prælatorum facies duriſsima in rebelles.

Ibid 17.

Ezech. 39.

& ut ſilicem dedi faciem tuam, quam : *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* Verùm cùr tàm dura facie armatur ſpeculator domus Dei ? Nonnè hòc horrendum eſt , atque à Dei miniſtris , quos benignitas maximè commendat , valde alienum ? Sed vide quibuſcum agendum erat Prophetæ : hominibus , nimirum , frontis obduratæ. Sic enim Dominus eos pingit. *Omnis quippè domus Iſrael attrita fronte eſt , & duro corde.* Ergò contrà frontes ferreas Concionatorem ſuum fronte adamantina Dominus armat. Ut noverint ſpeculatores domus Dei , adeò minaces vultus non pavere, quin potiùs conandum illis, fortiori exterrere vultu. *Ut adamantem , & ut ſilicem dedi faciem tuam.*

Concionator faciem induret contra obſtinatos.

Ibid. 7.

Zelus animarum indifferens.

Perſonarum acceptio abſit à Templis. Jacob. 2. 2. & 3.

5 Sed mirùm , quàm difficillimè hanc formidinem abjici mus. Neſcio quali fato , ut ita loquar , ſolo hominum territamur aſpectu. Vel in prophetis ſuis Dominus timet timorem. Idcò , ut degenerem exuant verecundiam , frequenter adnortatur. Ezechieli quippè dicit ibidem : *Né timeas eos : neque metuas à facie eorum.* Similiter & Jeremiæ. *Ne timeas à facie eorum.* Et iterum : *Ne formides à facie eorum.* Adeò difficilis res eſt , facies hominum non formidare. Facilius ſanguinem profundimus , quàm verba. Fortiter nos cædimus , meticulosè aliorum aures verberamus. Quodque multò mirabilius eſt , intrepidè ſanctis , & Deo loquimur ; ſi verò alloquendum eſt hominibus , totis artubus contremiſcimus. Ideò à Prophetis ſuis vilem hunc timorem ſedulò Dominus pellere nititur. *Ne timeas à facie eorum.*

Timorem humanum vix deponimus.

Concionator nullum expaveat.

Ibid. 9.

Jerem. 1. 8. & 17.

Confeſſarij ſi ſint erga inopes acres , & blandi erga divites.

6 Ardua , fateor , res eſt, facies hominum non vereri ; præcipuè ſi potentes hi fuerint , & durâ fronte ; quales eos fuiſſe novimus , ad quos Prophetas ſuos Dominus ablegavit. Eâ propter non unus erit fortaſsè ex ſpeculatoribus domus Dei , qui cùm duram frontem infimæ ſortis hominibus oſtentet , contrà divites , & potentes neque oculos quidem attolere audeat. Abſit, ut in ſubſellijs Templorum id monſtri contingat , quòd præcavendum docuit Jacobus Apoſtolus. Nimirum : *Si introierit in conventum veſtrum vir annulum aureum habens , in veſte candida , introierit autèm & pauper in ſordido habitu , & intendatis in eum , qui involutus eſt veſte præclara , & dixeritis ei : tu ſede hic bene ; pauperi autem dicatis; tu ſta illìc , aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.* Monſtrum hoc exhorruit Apoſtolus vel duntaxat figuratum. Quid non excandeſceret , ſi in templo ſpectaret admiſſum ? Quid ſi Confeſſarium videret , acri vultu pannoſum hominem ob raptas drachmas duas ſeveriſsime reprehendentem ; Diviti verò ſplendido , quamvis adultero , quamvis blaſphemo , quamvis pauperum oppreſſori , geſtu tenerrimo blandientem ? Vel in ſpectaculis profanis indignatur ethnicus Juvenalis *Satyr.* 3. honorabiliorem aſsignatum in theatris locum ditioribus , quàm tenuioribus , tametſi fortè melioribus:

Juven.

Nihil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quamquòd ridiculos homines facit. Exeat , inquit,
Si pudor eſt , & de pulvino ſurgat equeſtri,
Cuius res legi non ſufficit ; & ſedeant hìc
Lenonum pueri , quocumque in fornice nati.
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes , juvenèſque laniſtæ:
Sic libitum vano , qui nos diſtinxit , Othoni.

Procùl itaque à Domo Dei iſthæc portenta , quæ vel in exedris

dris popularibus Poeta irreligioſus deteſtatur.

7 Sed indigniora occurrunt. Pannoſus, ſi fortè poſt raptas drachmas duas ad pedes mercenarij genu flectat, duriſſimâ fronte arguitur; flagris, jejunijs, vigilijs ſubijcitur. Accedat illico dives ſplendidus, quamvis adulter, quamvis blaſphemus, quamvis virginum raptor, & oppreſſor, blandiſſimo geſtu excipitur, palpatur; & pro maximis criminibus eluendis una ei Dominica oratio indicitur. Quòd ſi ſalutatio quoque Angelica addatur, ut cum ſocio eam recitare poſsit, conſulitur. Nè, videlicet, homo delicatulus, ſi ſine cortice natare cogatur, valdè plurimum laſſetur. Execrandum ſanè facinus! Etenim *pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum.* Quidni abominetur Dominus, quod vel ethnicus reprobavit? Euripides in Medæa:

Hæc itáque & ſi perverſè dicas, facilè Achivos flexeris:
Nàm cùm opulenti loquuntur, pariter atque ignobiles
Eadem dicta, eademque oratio non æquè valet.

Quæris porrò; undenàm trahit originem perverſum adeò judicium? Ex puſsilanimitate, nimirum, quâ vultus potentum expavent.

8 Audi acerbam Supremi Judicis expoſtulationem. *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?* Judicare iniquitatem, idem valet, ac *judicare judicium iniquitatis*, vel *judicium iniquum*, vel clariùs *judicio iniquo*, vel *pronuntians iniquam ſententiam.* Videſis Lorinum. Satis patet, Dominum de peccato acceptionis perſonarum conqueri. Quid porrò illud eſt: *Et facies peccatorum ſumitis?* Totiùs, nimirùm, æquitatis fermentum, & ſinceræ mentis corruptio. Facies quippè peccatorum ſumere dicuntur, qui potentum vultus degeneri metu reverentur. Undè exponit Apollinarius:

Veneramini verò facies ſuperborum.

Judicant itaque iniquitatem, qui facies peccatorum ſumunt: quoniam non audent contrà Optimates juſtam proferre ſententiam, quorum vultus turpi admodum reverentiâ mirantur. Humaniſsimi erga divites cùm ſint, in ſolos pauperes inclementer deſæviunt. Corvis parcitur; vexantur columbæ. Leones liberrimè vagantur; ſolæ capiuntur vulpeculæ. Tigrides ubique graſſantur impunè; paſſim lepores inſectantur. Cæterùm Davidi puduit luctari cum lupo. Pugnam ille detrectabat, niſi confligendum aut cum Urſo eſſet, aut cum Leone. Saulis mos eſt trucidare vulgus, pannoſque viles exurere; parcere verò Regi, & periſtromata reſervare ſibi. Nam Deus interfectionem Amalecitarum omnium indiſcriminatim jubet. Quot Judices enerves, habeteſque graſſantur in inopes, furunt in pannoſos; potentibus verò, ac trabeatis adulantur? Quot fortè animarum Paſtores nobilium ſcelera non caſtigant, ſed quaſi palpant; inopum verò crimina ſeveriſſimè multant? Dolendum ſanè ſi à Levitis, & Sacerdotibus diſcerneretur non inter lepram & lepram, quod jubet Dominus; ſed inter leproſum & leproſum, quod ſtrictiſsimè à Deo vetatur. Etenim ubi par crimen eſt, par quoque pœna irroganda. Verùm diverſâ longè ratione demerita Magnatum, ac pauperum expendi videntur: quippè horum contemnuntur, illorum verò reverentur facies. *Uſquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Veneramini verò facies ſuperborum.*

9 Hinc deſperatiùs urer: quoniam ſuperborum frontes

Zelus animarum indifferens.

Confeſſarij divitum peccata non palpent.

Euripides.

Pſal. 81. 2.

Judicare iniquitatem, quid.

Lorin.

Suſcipere faciem peccatorum, quid.

Apollin.

Pauperum oppreſſores.

Judex ſeverus ſit, non avarus.

Severitas contra optimates ſi peccent.

magis induratas ad crimina video, quo mitius tractantur. Etenim facies nimis blanda ſacerdotis non pruriginem iniquorum extinguit, ſed inflammat. Facies ferrea non niſi fronte adamantina conteritur; ſi molliſsimè eam palpes, igneſcit. Indeque criſtas altiùs erigit, quò reverentiùs attrectari ſe videt. Favet eiuſdem ſententiæ interpretatio alia, quam tradit eruditiſsimus Lorinus, deducta à verbo Hebræo *Naſa*. quod inter alia valet etiam *attolere*, *erigere*, ut ſenſus ſit: *Et facies peccatorum erigitis*. Etenim in potentium gratiam judicando, & inopes opprimendo, efficitis, ut facie, vultuque erecto, læto, alacri, confidentique ſint. Vide qualis fructus turpem reverentiam conſequatur. Judicis, & Sacerdotis verecundiâ creſcit Magnatorum ſuperbia. Redduntur quippè confidentiores ad crimina, ubi apoſtolicâ libertate non coercentur. Nemo grave vulnus putat, quod ſuaviſsimo videt tactu ſanari. Unde non mirum, ſi poſteà plagas rideat, quas cernit, à Chirurgo penè ridente medicari. Profectò ſi animarum Curatores fierent ſcelerum palpones, computreſcerent jumenta in ſtercore ſuo: quoniam indè arriperent maiorem peccandi fiduciam, undè timoris repagulo deberent coërceri. Quæ terrent itaque, optima ſunt, medicamina. Terreantur ergo mundi Potentes, non palpentur; ut reſipiſcant. Nam ſuperborum facies Judex, & Sacerdos, qui nimis veretur, indurat. *Veneramini facies ſuperborum. Facies peccatorum erigitis.*

Peccata incorrepta creſcunt.

Nimia Confeſſariorum blanditie ſuperbi obſtinantur.

Superior ſeverior ſit in rebelles.

Obſequijs magis tument ſuperbi.

10 Sedenim, inquies, quî Mundi potentes non reverear, qui ſolâ facie ſpectantes exanimant? Quis feris tàm efferis compar? Quis? Verborum Dei nuntius. Ecce tibi Ezechielem Prophetam non cum agnis, non cum oviculis, ſed cum ſcorpionibus depugnantem: *Et cum ſcorpionibus habitas.* Quamquam illa ferocia, & immanitas non tàm eſt in Magnatorum facie, quàm in oculis ignavorum. Timoris quippè oculi omnia apparere faciunt horrenda. Audi quid Exploratores terræ Chanaam de illâ enuntient: *Populus, quem aſpeximus, procerę ſtaturæ eſt. Ibi vidimus*, inquiunt, *monſtra quædam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* O lepores! Paſsim nè Gigantes offendiſtis? Adeò proceritate corporum eminebant Chananęi, ut eis comparati, quaſi locuſtæ videremini? Atqui non niſi pauciſsimi Gigantes, fortè tres tantùm ibi erant: nec reliquus Incolarum vulgus Hebræorum ſtaturam notabiliter excedebat. Quid monſtra confingitis, voſque locuſtas ſomniatis? Verum formidoloſis, & puſsilanimis nihil non apparet monſtroſum, & horrendum. Omnia iſthæc mitiora erant. Sed timore homines agitati, Rhetorum more ex culice elephantem, atque ex vulpe leonem fecerunt: *Monſtra de genere Giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.*

Num. 13. 34.

Timor vanus.

11 Timore hôc panico conterriti, ſpem omnem abjiciunt Chananæos invadendi. *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere.* Cur non valetis? *Quia fortior nobis eſt*, inquiunt. Sed à vobis diſſentiunt Joſue, & Caleb, qui & ipſi vobiſcum eandem luſtravêre regionem, quorum hæc vox: *Nolite rebelles eſſe contrà Dominum, neque timeatis populum terræ huius; quia ſicut panem, ità eos poſſumus devorare.* Eccè, quæ vobis videbantur monſtra, duobus his Exploratoribus lepuſcula ſunt. Eccè Gigantes in culices verſos, & fortiſsimos in ignaviſsimos. Imo vide locuſtas, Gigantes ut ſegetes depaſcentes. Un-

Ibid. 32.

Magnanimitas pericula ſpernit.

Metus pericula adauget.

Concionator audeat in revelles.

Undè tanta ſententiarum oppoſitio ? Ex animorum, videlicet, affectione. Illos quippe occupaverat metus. In his fortitudo vigebat : & puſsilanimes nullum non hominem putant Gigantem; Magnanimi verò vel Gigantes pro locuſtis reputant, & Monſtra devorare præſumunt. *Sicut panem ità eos poſſumus devorare.*

Superior nullum revereatur.

12 Quid ſanctioris terræ Exploratores, à Deo electi, Chananæos expavent, Potentes, nimirum, ſæculi huius ? Robuſti ſunt, Gigantes ſunt, Monſtra ſunt, Nos locuſtæ. Nimirum omnia timor invertit. Ex parvis magna, ex magnis parva componit. Quæ ad terrorem quomodo facere poſſunt, vehementer exaggerat ; quæ vero animos addere queant, mirificè extenuat. E contra magnanimitas pectora, quæ ſubintrat, vel maximis periculis ſuperiora reddit: Monſtra quippè contemnere docet, devorare Gigantes. Tanti refert, quibus quis oculis diſcrimina tueatur. Audaci oculo nil apparet horrendum ; timidus aſpectus nihil non exitiale præſumit. Igitur, quòd mundi potentes timemus, non tàm in causâ eſt eorum ferocia, quàm noſtrorum oculorum ignavia.

13 Iterum auſcultanda Exploratorum narratio. Ubi vulgata habet : *Quibus comparati videbamur quaſi locuſtæ* ; editiones aliæ tenent : *Et eramus coram nobis, aut in oculis noſtris, velùt locuſtæ.* Quid ? Corporis ſtatus ab oculis nè pendet ? Si corporum moles ad nutum oculorum creſceret, aut decreſceret, profectò non unus foret, qui videndo adjiceret ad ſtaturam ſuam cubitum unum : ſicut perarus veſtri ſimilis inveniretur, qui juſtam corporis magnitudinem ad locuſtæ parvitatem anguſtaret. Deindè, vix capio expreſsionem illam : *in oculis noſtris.* Non etiam in alienis ? Aſt corporis ſtatus idem ubique eſt, nèque ſpectantium diverſitate variabilis. Quomodò ergò, qui coràm alijs juſtæ ſtaturæ homines videbamini, coram vobis ipſis poſiti, locuſtarum parvitatem refertis ? Quid moramur? In cauſa ſunt oculi, egregij, nimirùm, transformationum artifices. Jidem ipſi, qui Chananæos in Gigantes, Iſraelitas in Locuſtas mutavère. Præclarum figmentum utrumque : nam nèque adeò horribilia monſtra Chananæi, neque tàm deſpicabilia in ſecta Iſraelitæ. Igitùr, quòd nimis pericula formidamus, non defectus eſt virium, nec diſcriminum magnitudo ; ſed oculorum ignavia, quæ ex hoſtibus fingit monſtra, & meticuloſos transformat in vermes. *Et eramus in oculis noſtris quaſi locuſtæ.*

Oculus timoris fomes.

Timor artifex transformationum.

14 Ignavum itaque non tàm pericula exagitant, quàm oculorum illuſio : nec res ipſa, ſed rerum apparentia perturbat. Quò refero jucundam hiſtoriam, valdèque huic loco opportunam, quam ideo in Commentario ejuſdem tradit ſupra laudatus Pater Lorinus. Viso quidam in vaſto Siciliæ ſpecu magnitudinis immenſæ Gigante, cum telo inſtàr trunci arboris, metu exanimati, primùm aufugerunt : deinde multis armatis illùc concurrentibus, cum voce, motùque carere videntes, ſimùl attigerunt, in pulverem redactus eſt. Mutatò nomine de pleriſque fabula narratur. Nullum mundi Procerem non immaniſsimum Gigantem ſuſpicantur. Ideòque vel pavidi fugiunt, vel non niſi trementes coram illis apparere audent. Quid timetis ? Potentes ſunt, Gigantes ſunt, Monſtra ſunt, & fulminibus dexterâ armati. O locuſtæ ! Accedite propiùs, zelo divini amoris armati. Tangite, tangite confidentèr ; & , mehercule, horrendæ illæ ſtatuæ redigentur in cineres. Statua illa Babylonica tàm ſplendida, tàm firma, tam magna, lapillo uno, ſponte-

Lorin.

Faceta hiſtoria de Gigante.

Eccleſiaſtica juriſdictio audeat in Magnates, ſi bona ſit cauſa.

que

que caſo, in favillas redacta eſt. Quid Philiſtęo horribilius, pugnatius, audatius? A juvene inermi, imbelli, inexercitato, unò lapidis jactu proſternitur. O ſi Præſules, & Superiores auderent! Quòt Monſtra tunc caderent! Quòt Gigantes ruerent! Quòt magnæ Statuę abirent in cineres! Audeant itaque, & vincent.

DISSERTATIO X.

CRUX CHRISTI, ET imago Matris hoſtium terror, ac exitium.

Argumentum inſeſto Triumphi S. Crucis.

1 VIſum hoc præcipuè, toto mirante Orbe, ridente Cœlo, fremente Tartaro, in campeſtris Toloſæ (Navas vocant Hiſpani) ubi Alfonſus Caſtellæ Rex, cognomento Bonus, multo inferiore manu, ducenta millia Maurorum proſtravit, ac ferè incredibili occiſione contrivit. Indomitas Hiſpanorum cervices, & quas nullus unquàm ſatis emollivit, ferreum Maurorum jugum detriverat. Quòd indignantes generoſæ Animæ, numquam non illud excutere nitebantur. Non equidem ſemper felici eventu; ſed animo ſemper infracto. Quin dejectio proſtrati occaſio fiebat triumphi: dabat enim quodammodò infirmitas fortitudinem, lapſus palmam, & ruina victoriam. Hoc Nobili Alfonſo (ita etiam cognominabatur) accidiſſe certa narratione comperimus. Qui cum fuiſſet ab Agarenis ſemel ſuperatus, Antæonis more, ita validior ſurrexit à lapſu, ut innumerabiles hoſtium copias uno impetu protriverit. Ut non immeritò proindè Alfonſo noſtro accommodare poſsis, quæ de Saulo proſtrato Gregorius Bolzi in *Laxar. Poetic.* 25. *Jan.* cecinit.

Concutit attonitam ſtrato qui corpore terram,
Antæum ſiquis nuntiet, ille ſapit.
Nempè ubi de tactâ Alfonſus tellure reſurgit,
Fortior ex illâ, quàm fuit antè, reddit.

Gregor. Bolz.

2 Ergò ut victum ſe vidit Nobilis Alfonſus, ſe ipſum, penè dicam, erubuit: & reaſſumptis viribus, iterùm dubiæ belli ſorti ſeſe committere audet, mori paratus, aut vincere. Agebatur is annus à Chriſto nato ducenteſimus duodecimus ſuprà milleſimum, cùm Alfonſus inſtructiſsimis copijs cum Mahomat Agarenorum Rege bellum inſtaurare decrevit. Primo congreſſu noſtri repulſi: quin & fervente prælio anceps adeò victoria fuit, ut Rex Alfonſus, penè animum ſpondens, ad Archiepiſcopum Toletanum, cunctis audientibus, diceret: *Eia Archiepiſcope, hîc nos, hîc moriamur.* Cui Archiepiſcopus: *Nequam moriemur, ò Rex, imò felicitèr vincemus.* Quid ni vincerent? *Ecce in medio conflictu, cùm maximè noſtri laborare viderentur, Crux Domini Alfonſo Regi, quam plurimiſque alijs viſa in aere.* Hinc quippè confirmatis militum animis, veluti crudi Leones Mauros fugaces diſcerpêre. Præfuit ergò pugnantibus cæleſte ſignum, tàm ſecundum Hiſpanorum catervis, quàm nefaſtum Agarènorum copijs. Hæc illa nobilis Victoria, quæ *Triumphus S. Crucis* appellatur, quamque Hiſpaniarum Eccleſiæ, ex Officio à Summis Pontificibus conceſſo annua feſtivitate concelebrant.

Crux apparet in Cœlo Regi Alfonſo.

Cauſa feſtivitatis Triumphi Stæ. Crucis.

3 Hæc de origine feſtivitatis. Nunc ſtilo oratorio agendum. Et illicò duæ nobis occurrunt ventilandæ quæſtiones: Et cur, nimirùm, celebris hæc victoria dicta *Triumphus S. Crucis*? Et cùr ſolùs Crucis? Quæ quidem quæſtiones, & ſi à longè aſpicientibus humillimæ for-

Laus Regis Alfonſi Boni.

fortaſsè videbuntur, & flocci pendendæ; cominùs tamèn intuentibus non ità contemnendas arbitramur. Oro, ut gratas aures præbeas ad ſequentia.

Crux Vexillum Chriſti, & Sceptrum.

Scio equidem Domini Crucem æterni Imperatoris eſſe Labarum: occinit quippè Eccleſia.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium.

Iſai. 9. 6.

Haüd me latet, Sceptrum eam eſſe illius imperij, ab Iſaia prænuntiati illis verbis: *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Non denique ſum inſcius, Cruce Dominum cunctos inimicos ſuos triumphaſſe. Hoc enim nos diſertè Apoſtolus docet, ad

Coloſ. 2. 14. 15.

Coloſſenſes ſcribens: *Chirographum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Verùm & illud

Crucis Triumphus ſine ſanguine hoſtium.

ſcio, Dominum à Ligno triumphaſſe, non quidem aliorum ſanguine effuſſo, ſed proprio ipſius cruore. Nempè, hoſtes Chriſtus ſubegit, cædendo nullum, ſed pro omnibus moriendo; propria quippè morte mortem omnium ſuperavit. Eò igitur S. Crucis triumphus duntaxàt celebrandus videtur, quòd neminem præter Triumphatorem occidit.

4 Jàm Chriſtum egregiè armatum, tanquàm ſtrenuiſsimum Ducem, non obſcurè D. Petri verba ſubindicant: *Chriſto paſſo in carne, vos eadem cogitatione armamini.* Verùm eo armorum genere novimus inſtructum, quibus ipſe ſolus duriſſimè torqueretur. Audi pulcerrimum D. Thomæ cogitatum:

Petr. 4. 1.

Mortificatio carnis.

Chriſti arma inſtrumenta paſsionis.

D. Thom.

Habuit in capite galeam, non de auro, ſed de ſpinis. Habuit loricam, non de ære, ſed carnem immaculatam. Habuit in manibus non lanceam, vel gladium, ſed magnos clavos manibus affixos. Pro equo verò habuit ipſam Crucem. Ecce quibus Rex potentiſsimus armis orbem ſubegit, atque ſtupendum de hoſtibus triumphum reportavit. Nimirum, armatur Chriſtus, ut cadat ipſe, non ut cædat. Novo ſanè præliandi modò; ſed quo nullus Maximo Imperatorum decentior: ubi non per vulnera inflicta, ſed accepta pervenitur ad Triumphum. Meritò proindè dulcis Luſitaniæ Vates inſolitam hanc pugnandi artem Domino gratulatur *lib.* 5. de *Chriſt. paſ.*

Chriſtus moriendo vicit.

Maximus Rex, fulvo cui non
Coma fulgurat auro,
Sed circum horrenti cuſpide cinctа riget.
Regna recognoſcent tua te ſuperata duello,
Tartara te, liquidum te mare, terra, polus.
Maxime bellorum ductor, quem vulnerat ingens
Haſta, humeros pondus non leve, Chriſte, tuos.

Piment.

Cum itaque Chriſti morte S. Crucis Triumphus nobilitatus fuerit; quo jure Triumphus quoque Crucis appellandus ille, quo ducenta Hominum millia dirâ fuerunt morte perempti? Qui adeò miſerrima clades Crucis gloriam extollet, cujus ſumma laus eſt, vitam generi humano tribuiſſe? Vide, ut non temerè ſupèr attributo Cruci Triumpho, ob partam hanc victoriam, dubitaverim.

5 Sed & illud ſecundo loco nos movet. Cur nimirum, ſoliùs Crucis Triumphus hic dicatur? Conſtat quippè Angelorum quôque Reginam noſtris contrà Africanos militaſſe. Namque ubi ipſius imago venit in caſtra, turba hoſtium propemodùm innumerabilis, quę ad id tempus immota præſtiterat, cæſa gladijs, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit. Hiſpanum Officium: *Ad preſentiam Imaginis Beatæ Virginis Mariæ, quæ in vexillis regijs depicta erat, ingens Maurorum multitudo corruit.* Cur ergò ſalutiferæ Cruci ſpecialitèr hęc tribuitur Victoria, pro qua ob-

B. Virgo pro nobis contra Mauros pugnans.

Cúr non etiam dicatur Triumphus B. V. Mariæ.

obtinenda Sanctiſsima quoque Dei Genitrix mirabili adeò virtute dimicavit ? Quid , quòd eam fuiſſe victoriæ cauſam nobiles Scriptores tradunt , ut notarunt Balinghen , Colvenerius , & Ferreolus citati à Tamayo in *Martyrol. Hiſp.* die Jul. 16 ? Cùr ergo iſthæc feſtivitas *Triumphus S. Crucis* univerſaliter appellatur; non etiam Triumphus B. Mariæ Virginis vocitari conſuevit ? Adeò ne erga noſtræ libertatis vindicem ingrati ſumus Hiſpani ? Apage ſuſpicionem iniquam. Latet in ſilentio veneratio eximia. Ut ut ſit , eadem , quę de Filio , recurrit de Matre difficultas.

Tamay.

6 Quid enim pijſsimæ Genitrici cum furore belli ? Quis Eccleſiæ Minervam in Bellonam recudit ? Sua ſunt verba illa: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* Quomodò ergò pacifica olivà in duram quercum converſa? Atqui perfidum illud genus hominum. Quid quòd fuiſſent? Etiam impijs , etiam idololatris, etiam nigerrimis peccatoribus miſericordiæ ſinus aperit clementiſsima Mater. Id quod non ſine ſtupore David cecinit illis verbis : *Ecce alienigenæ , & Tyrus , & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Quid ergo pietas tanta commune habet cum irâ? Qui miſera hominum ſtrages dici valeat pietatis Triumphus? Ecce in plano , ut apparet , argumento , non contemnendæ difficultates.

Quid B. Virgini cum furore belli ?

Eccli. 24. 19.

Pſalm. 86. 4.

7 Jam porrò, ſi Evangelij verba , quæ in hac Feſtivitate reſonant , eidem accomodare ſtudeas , haud facilius id aſſequeris , quam ſi quadrata rotundis adaptare præſumas. Prædicuntur ſanè ibi præliorum turbines , ſeditionum tumultus , gentis in gentem commotiones , atque per turbationes regnorum : *Cum audieritis prælia , & ſeditiones , nolite terreri. Surget gens contra gentem , & regnum adverſus regnum.* Ecce bella , horrida bella! Et verò armatos , & præmunitos ad illa ſuos optat Diſcipulos Dominus. Sed mirum quali armatura ! *In patientia , inquit veſtra poſsidebitis animas veſtras.* Non lanceâ præmunit eos , non enſe corroborat; ſed una patientia obarmat. Quia , nimirum , in prælio illo caſuri erant Diſcipuli , non cæſuri. *Morte afficient ex vobis.* Quo ergò ingenio evangelica verba , quibus patientiæ virtus unicè commendatur, militari robori , quod in hoc Triumpho maximè fulſit , accomodare quibis ? Nùm victoria illa huic Triumphò comparabilis eſt ? Nam quæ affinitas inter patientiam , qua mors, & vulnera tolerantur ; & iram, quę homines detruncat , & enecat ? Ecce novam , eamque urgentiſsimam difficultatem.

Quomodo feſtivitati quadret Evangelium.

Patientia Chriſtianorum armarium.

Luc. 21. 9. 10.

Ibid. 19.

Ibid. 16.

8 Cæterùm ab his omnibus unico verbo me expediam. Cuncta videlicet in hac celebritate commutari. Crux quippè ſpicatur in Lanceam , Maria in Deboram transformatur , & oves Chriſti in Leones. Cataſtrophen demiraris ? quid ſi audias à Davide multò antè vaticinatam ? Diligens Lector attende. Pſalmus quadrageſsimus quartus hoc Titulo præſignatur : *In finem pro ijs , qui commutabuntur.* Hieronymus pro *in finem* reddit : *Victori.* Aquila : *Vincenti* , aut , *victoriam facienti.* Symmachus : *Triumphus* , *aut Triumphale carmen.* Habes epinicia pro inſigni victoria partâ ab ijs, qui commutabuntur. Hos porro cognoſcere aves : obſcura quippe ſunt verba. Sed lucem accipient , evoluto cantico. Totum eſt de Chriſto , & Virgine Matre : ambo ibi à militari fortitudine commendantur. Ille quippè mirificè plauditur tum ab enſe fortiſsimè accincto , tùm à ſagittis ſtrenuè jaculatis. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsimè. Sagittę tuæ acutæ , populi ſub te cadent.* Hæc item prædicatur egre-

In Triumpho S. Crucis miræ commutationes.

Pſalm. 44. 1.

Hieron.

Aquil.

Symmach. Crux in gladium , & ſagittam converſa.

Chriſtus enſe armatus, & ſagittis.

Ibid. 4. & 6.

egregie, quòd prælianti Filio conſtans bellatrix adhæſit. Hoc enim illa verba ſubindicant: *Aſtitit regina à dextris tuis.* Verbum quippè *Aſtare*, ſeu *ſtare* militare eſt. Unde ille:

Ibid. 10.

Mulciber in Troiam, pro Troia ſtabat Achilles.

Et Naſo 13. *Metam.*

Ovid.

Cui ſtandi vulnera vires non dederant, fugit.

9 En Cœli ſcenam prodigioſe mutatam. En Chriſtus pro Cruce gladium arripiens, pro clavis ſagittas; & qui quondam velut agnus innocens diram pro hominibus mortem libenter ſuſtinuit; modo in Leonem verſus, populos proſternit, & devaſtat. *Populi ſub te cadent.* En quoque miſericordiæ Matrem in Palladem verſam; atque pro Jove acerrimè adverſus Gigantes pugnantem. Quod veriùs in hoc triumpho Callimacus occiniſſet, quàm in *Laucr.* Pallad.

B. Virgo in Palladem verſa.

Non armis quando permultâ cæde cruenti,
Venit ab injuſtis horrida Terrigenis.

Callim.

Et Steſichorus

Pallada bellorum ſtudijs cantamus amicam,
Et Jove progenitam magno, quæ deſtruit urbes.

En tandem Chriſti Agnos in Leones mutatos. Etenim iam non tamquam agni manſueti; ſed veluti ferocientes Leones in lupos irruentes, ad ducenta eorum millia uno incurſu devorarunt. Vides omnia permutata in hoc celeberrimo Triumpho. Sed hæ duæ nobiliores permutationes præcipuè conſiderandæ; nimirum, Crucis in lanceam, Dei Genitricis in Palladem. Mira iſthęc; ſed indè mirabiliora, quòd non tàm armis, quàm ſuî præſentiâ tantum triumphum fuerint conſecuta. Singula percurramus.

Chriſti oves in Leones mutati.

Orationis partitio.

10 Principiò, illud mirum apparet, quod Triumphus Sanctæ Crucis is dicatur, ubi multa hominum millia fuère occiſa; quandoquidem Chriſtum non niſi mortuum in Cruce triumphaſſe, confitemur. Quid! Semper nè Chriſtus pendebit in Cruce, manuſque affixas habebit? Minimè gentium. Quin ſolvet ille manus, & Cruce, velut haſtâ, contrà hoſtes potenter dimicabit. Id quod Habacuc ceciniſſe arbitror in illo ſuo victoriali cantico, quo apertè Chriſti Triumphum in Cruce partum concelebrat. Audi: *Cornua in manibus ejus. Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus: antè faciem ejus ibit mors. Et egredietur diabolus antè pedes ejus. Aſpexit & diſſolvit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi. Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis.* Præclarus herculè Triumphus! Ubi & mors devicta, & diabolus fugatus, & gentes diſſolutę, & montes contriti, & colles incurvati. Neque id ſolùm; verùm & calcata terra, & ſtupefactæ gentes, & capita impiorum percuſſa, & eorum ſceptra maledicta. *In fremitu conculcabis terram: in furore obſtupefacies Gentes. Percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum. Maledixiſti ſceptris ejus.* Utque nulli dubium ſit, id de Chriſto ceciniſſe Prophetam, clariſsime illum deſignat, dicens: *Egreſſus es in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo.* Jam, Dominum media Cruce talem ac tantum Triumphum fuiſſe conſecutum, ſatis illa verba demonſtrant: *Cornua in manibus ejus. Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Et hæc apud Interpretes plana, qui communi calculo Habacuc canticum exponunt de Triumpho, à Chriſto in Crucem acto, aſſecuto. Celebris quidem expoſitio, dignaque quæ à piis mentibus oſculetur.

Chriſti patientia non irritanda.

Habac. 3. 4. 5. 6.

Ibid. 12. 13. 14.

Ibid. 13.

11 Cęterùm prophetica verba exploranti mihi aliud quoque victoriæ genus Habacuc celebraſſe, probatur: Nimirùm, id quo Chriſtus, non Cruci affixus

xus, ſed Cruce armatus, inimicos protrivit. Nota proprietatem dictionis. *Cornua in manibus eius.* Per cornua intellige Crucis brachia. Verùm haùd levis hinc difficultas inſurgit. Quæſierim quippè: Num in manibus cornua; num vero in cornibus manus fuerint? Atqui Dominus Cruci affixus, totus in ea pependit. Quomodo igitur Crucis cornua in manibus Chriſti, quem palmis ſuſpenſum Crucis brachia tenuerunt? Hypallagen hic Doctores agnoſcunt, figuram Hebræis uſitatam, quùm ſcilicèt unum pro altero ſubjicitur: ut quùm agere dicimus, quod patimur: aut contrà. Sic *Exod.* 12. 11. calceamenta dicuntur eſſe in pedibus, id eſt pedes in calceamentis. *Calceamenta habebis in pedibus.* Sic Poeta: *Trade rati ventos*, pro *Trade ratem ventis.* Et, *Perflavit fiſtulâ buccas*, pro *perflavit buccâ fiſtulam.* Cornua igitur Crucis in manibus fuiſſe dicuntur, quia manus fuêre in manibus Crucis. Optimè.

Crux quomodo in manibus Chriſti.

Hypallage in Scriptura.

Exod. 12. 12.

12 Verùm ſepoſita figurâ verborum, ſenſum alium ibi latère, vehementi ſuſpicione, ut credam, commoveor. Etenim, dùm non manus Chriſti in cornibus Crucis; ſed cornua in manibus Propheta deſcribit, Triumphum alium liquido ceciniſſe videtur, quod Chriſtus non ligatis, ſed ſolutis manibus de hoſtibus reportavit. Duplex ergo Chriſti victoria: Altera, ubi manus habuit in Cruce; altera, ubi Crucem in manibus. In illâ triumphavit moriens; in iſtâ vicit occidens. Mortuus quippè eſt, cùm manus habuit in Cruce. Verùm interfecit hoſtes, cùm Crucem habuit in manibus. *Cornua in manibus eius.* Nimirùm, nolùit Dominus uti manibus, cùm voluit Cruci affixas. Ubi verò hoſtes proſternere ſtatuit, manibus Crucem pro lancea contorſit.

A Cruce duplex victoria Chriſti.

13 Et hoc idem Propheta denuntiat ibidem, cùm, haſtâ Domini fulgurante perterrefactos inimicos, aſſerit. *Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtę tuæ.* Anteà Crux, modo lancea? Ita. Idem quippè Lignum, quod Crux erat, cùm manus Domini teneret, mutatur in lanceam, ubi manibus tenetur. Cornua in manibus, Crux in palmis: Et idem Vates, qui Dominum ſpectavit, Crucem manibus geſtantem, lanceâ quoque inſtructum vidit: quoniam Crux in manibus Domini non amplius Crux eſt, ſed haſta, cunctis hoſtibus formidabilis. *Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* An non Lanceam meritò dixeris Crucem Chriſti, quæ, incolumi vexillifero Paſchaſio, validiſſimam Agarenorum aciem penetravit: & medios inter hoſtes uſque ad finem belli immota perduravit? Cur ità, niſi quoniam ſplendore fulgurantis haſtæ conterriti hoſtes, nedùm accedere non audebant, quin palatim fugitabant? Nempè; *Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* An non Crux Lancea hoſtibus formidabilis, imò cruenta, cùm alto ab æthere apparens, ut Chriſticolis robur addidit, ſic hoſtes exanimavit, conterruit, perſtrinxit, atque fœdæ morti ſubjecit? Profectò nulla Haſta cruentior ligno Crucis, ubi Chriſti manibus ſuſtinetur: *Cornua in manibus eius. Ibunt in ſplendore fulgurantis Haſtæ tuæ.*

Crux in Lanceam.

Ibid. 11.

Cruce fugantur hoſtes.

14 Præterea meditandum illud: *Ibunt in ſplendore.* Nota quod non dicit: *In ictu*; ſed *in ſplendore.* Res ſanè mira! Ergò quòd hoſtes terrentur, quòd exanimantur, quod cadunt, non percutientis eſt haſtæ, ſed ſplendentis. Ita. Neque enim opus eſt ferro vulnerante; ſat eſt, ſi lancea Crucis fulgeat, ut concidant hoſtes. Tanta eſt potentia Crucis. Non percutit, & perimit. Non vul-

Crux xiſa terror hoſtium.

vulnerat, & exanimat. Non tangit, & occidit. Solùm visa prosternit. Solà præsentia vincit. *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Hoc, si alias, non sine stupore notatum in prælio Tolosano, ubi in tantâ Maurorum cede nec vel gutta sanguinis in campo certaminis visa. Res sanè incredibilis, ni ocularis testis, omnique exceptione maior, Toletanus Antistes Rodericus eam literis consignasset, *Histor. Hisp. lib. 8. cap. 10.* à quo mutuavit Joannes Tamayus Salazarius in suo *Martyrol. Hispan.* die 16. julij. Sic quippè ait: *Erant autem Agareni, staturâ proceri, pinguedine dilatati, & (quod mirabile est dictu) licet jacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & jam à pauperibus spoliati, in toto campo nec signum sanguinis poterat inveniri.* Hæc Archiepiscopus. Opportuna pathos illa, *mirabile dictu.* Nam quis non putaret ex tot occisis corporibus sanguine putrefactum iri solum, rivulos inebriandos, flumina cruentanda? Nùm Agarenis sinè sanguine vita? Quomodò ergò nullum cruoris vestigium in tanta Maurorum clade? Ecce Sanctæ Crucis Triumphum. Sine tactu enecat, sine ictu prosternit, sinè vulnere exanimat. Ut apparet, vincit: quippè non apparet hostis, ubi apparet illa. *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

Tamay.

In prælio Tolosano nullum sanguinis vestigium.

15 Atqui obtruncati, inquis, Agareni jacuere: Verùm, qui parva Fidelium manus contra numerosissimas Agarenorum copias prævaluisset sine Crucis auspicijs? Vicit ergò Hispana Pubes hostes, cùm proceritate corporis, tùm numero superiores. Uni verò Cruci gloria victoriæ debetur. Triumphat quippè Christianus miles quamvis viribus impar, ubi coràm Cruce certamen aggreditur. Sanè pastor ille Bethlehemiticus, ubi cum Philisthæo in vallem Terebinthi pugnaturus descendit, baculum secum portavit. *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus.* Quorsum baculus, si lapide & funda duntaxat certamen erat agendum? Præstaret virgam abijcere, non nisi impedimento futuram. Et quomodo inermis Adolescens sola funda obarmatum, & ocreatum Gigantem prostrasset, si non fuisset baculo communitus? Erat quippè in baculo Crux Dominica præsignata. Undè exponit D. Augustinus serm. 197. *Cum baculo: cum Cruce Christi.* Consultissimè itàque David, cum Gigante pugnaturus, baculum gestare curavit; quoniam præsente Crucis ligno, vel funda prævalet monstruo. *Infixus est lapis in fronte ejus & cecidit.* O admirabilis potentia Crucis! Te coràm opilio in militem audet, inermis in cataphractum, puerulus in Gigantem. Nec solum audet, sed & prosternit, sed calcat, sed obtruncat. *Præcidit caput ejus.*

1. Reg. 17. 40.

Davidicus baculus.

D. August.

Ibid. 49.

Mira potest. Crucis.

Ibid. 51.

16 Ob id fortassè Goliath Davidis fundam non observavit, qui tamen Virgam exploravit attentè. Undè exprobratio illa: *Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo?* Cum baculo tantùm? Non etiam cum funda? Ecce utràque manu occupatus incedit. Altera baculum, quem vidisti; altera fundam, quam non observasti, tenet. *Et fundam manu tulit, & processit adversus Philisthæum.* Quid ergò baculum dilig entèr exploras, nulla de funda habita ratione? Nescio quæ virtus latet in Cruce, quę vel ab ignorantibus illicò præsentitur, hostesque reddit attentos. Haùd fundam advertit superbus Gigas: qui tamen in virgam totus intendit. Nimirùm, virtus omnis erat in baculo. Hinc fundæ, & lapidi robur, debilissimis alioquin armis contra montem æneum. Etenim quòd vicit funda, quòd prævaluit lapis, præsentia Crucis effecit,

Crux terror hostium.

Ibid. 43.

Ibid. 46.

Crux militantium robur.

Vel à minimis cavendum.

Coram Cruce vel monstra cadunt.

cit, in baculo figuratæ. Ideò ergò inobſervata fundâ, unum baculum Philiſthæus cauſatur: veluti præſaguiente nâtura à nullo alio maius ſibi periculum imminere, quàm à Cruce. *Tu venis ad me cum baculo.* Nuſquam (id credere religio eſt) Hiſpani Leones Afras Tigrides devoraſſent, ni Crux cœlitùs apparens novum generoſis mentibus ardorem inſtillaſſet. Inſtructiſſimæ ſanè Heſperiæ copiæ; ſed parva manus: pugnax juventus; ed concludi facilis. Animo ſuperior; ſed numero longiſſimè impar. Vicit tamen hoſtem robuſtiſſimum, ferociſſimum, numeroſiſſimum. Quid ni vinceret? Crux adfuit. Et coram Cruce nullus Chriſticola non fortior Leone pugnat: nullus infidelis non infirmior ove procumbit. Vel inermis paſtor ſola fundâ proſternit Gigantem, ſi virga non abſit. *Tulit baculum ſuum. Infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit.* Ecce, quod primò propoſui, Crucem in lanceam converſam.

Chriſtianorum fortitudo à Cruce.

17 Mirabamur ſecundo loco, miſericordiæ Matrem, veluti Palladem alteram, in hoſtes acerrimè dæſevientem. Verùm ingenioſa Vetuſtas in una eadem ficta divinitate, & pacis amorem, & furorem belli pulcrè aſſociatos fabulatur. Etenim Minerva apud Mithologicos eadem ac Pallas; ſed quæ modò, quâ Minerva, pacem daret, modò, quâ Pallas bella perurgeret. Ob idque diverſimodè picta: Tùm cum ramis olivæ, in ſignum benignitatis; unde & *Ramifera* dicta, ut tradit Lilius Giraldus *Hiſtor. Deor. Syntag.* 11. Tùm galeato capite, vultu virili, & truculento, oculis torvis, cum haſta prælonga, & cryſtalino clypeo. Hinc *Armipotens*, & *Armiſona* vocatur à Poëtis. Virgilius lib. 1.

Beatiſ. Virgo in hoſtes terribilis.

Minerva eadem, ac Pallas.

Cur dicta Ramifera.

Armipotens.

Armiſona.

Armipotens belli præſes Tritonia virgo. Virgil.

Statius lib. *Theb.*

Palladis armiſonæ, pharetrataque ora Dianæ. Stat.

Valerius Flaccus lib. 1.

Et pallade fretus Armiſona. Val. Flac.

18 Sed miſſas faciamus doctas Poëtarum fabulas, & ſymbola ſacratiora rimemur. *Quid videtis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Verba ſunt cœleſtis Sponſi, ſuæ Genitricis præclaras tùm corporis, tùm animi dotes egregiè commendantis. Attamèn ſenſus nimiùm obſcurus eſt, & involutus. Namque Sulamitis interpretatur Pacem colens, ſeu Pacifica. Conſule ad finem Bibliorum Interpretationem *Nomin. Hebraic.* At quæ pax ſperari poterit ab armatorum agminibus? Quomodo ergò Cultrix pacis, bello ductrix; ut eadem ſit Sulamitis, qui chorus caſtrorum? Nimirum, ad utrumque eſt parata: & pacem colere, & agmina ducere. Nam ut pacifica Chriſticolis, ſic contra fidei hoſtes pugnaciſſima eſt. *Quid videtis in Sulamite niſi choros caſtrorum.* Idipſum quærerem ego ab oppoſitis agminibus, cùm Imago B. Virginis advenit in caſtra: Quid videtis? Quid videtis? Et diverſæ utrimque reſonarent voces. Reſponderet quippè miles Hiſpanus: *Sulamitem.* Ex adverſò clamaret Agarenus: *Choros caſtrorum.* Utrumque verum: namque ſui præſentiâ, & pax allata Hiberiæ populis, & turmæ Maurorum deletæ. *Ad præſentiam Imaginis B. Virginis Mariæ, quæ in vexillis regijs depicta erat, ingens Maurorum multitudo corruit.* Cant. 7. 1. Beatiſ. Virgo pacifica, & bellatrix.

19 Atqui duplicem faciem cœlorum Reginæ videmur appingere. Quidni appingamus? Habet equidem. Neque id indecorum, ſed glorioſum valdè. Laudi datur Jano, quòd bifrons, imò quadrifrons fuerit habitus. Virgil. *Æneid.* 12. B. Virgo bifrons. Janus bifrons.

La-

Latonæque genus duplex,
Janumque bifrontem.

Panes propositionis faciales dicti,& vultuales. Lyra. Abulens. Greg. venet.

Panes itèm propositionis, (Eucharistici panis symbolum) *faciales dicti*, *vultuales*, & *conspectuales*, quòd duabus faciebus constarent, ut placet Lyrano nostro, & Abulensi in cap. 21. *Exod.* Quin & Gregorius Venetus in *Armon.* observavit, inter Hebræorum arcana reperiri scriptum, esse unam quandam creaturam suprà cæteras eminentiorem, cunctisque prælatam, cui nomen *Mitraton*, quod *Principem facierum* significare docent. Jam numerorum habita ratione, *Mitraton* nonaginta novem unitates perficere inquiunt; easdem ipsas nimirùm, quas nomen Mariæ continet. *Mitraton* ergò Beatissima Virgo; obidque facierum Princeps. Decet enim quàm maximè, creaturarum verticem plurimâ facie nitere.

Miraton quid.

B. V. Princeps facierum.

20 Verùm quid longiusculè petita testimonia moramur? Ecce iterum cœlestem sponsum dilectissimam Matrem suis ipsius partibus grapnicè colorantem: *Pulcra est*, inquit, *Amica mea, suavis & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Non mirùm, quod à pulcritudine commendatur singularis Virgo, cujus pulcritudinem Sol, & Luna mirantur. Illud verò mirandum, quòd blanda simul & terribilis prædicatur. Nam quid magis contrarium suavitati oris, quàm terror vultus? Quòque formidandam Sponsæ faciem elegantius describeret, non sat habuit uni cohorti, non legioni æquasse, nisi omnibus exercitibus comparasset; atque his non dissolutis, sed tùm cum firmissimi censentur, nimirùm, ubi dispositio concentu præliantur. Tùm quippè hostibus terribiliores apparere, rerum expertis. Ergò nè adeò terribilis sponsa, quæ blandissima suavitate præstat? Num ab eodem vultu, & blandimentum amoris, & terroris austeritas effluere valet? Verùm quæ laus sponsæ fuisset, si pulcerrima cum esset, suavitate vultus tantùm, non etiam terrore præstaret? Pulcritudo nimis blanda vix caret suspicione levitatis. Propertius *lib.* 2. ad Cynthiam.

Cant. 6. 3.

Unio formidabilis.

B. Virginis pulcritudo maiestate plena.

Pulcritudo sit seria.

Propert.

Non quià peccaris, testor te;
Sed quia vulgò
Formosis levitas semper amica fuit.

Meritò proindè feminarum pulcerrima à fortitudine vultus commendatur: quoniam in tanta præstantia formæ nihil molle, aut effeminatum prostabat; quin tanta majestas oris, ut se aspicientibus miram reverentiam incuteret. Suavis ergò, & terribilis Virgo Mater: etenim vultu eodem, quò sui amorem ingenerat, oculos intuentium prestringit. *Pulcra est Amica mea, suavis, & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

21 Plausibilis sanè expositio, atque ab Auctoribus ferè recepta. Sed cùm audiam Dei Genitricem exercitibus permistam, resque bellicas tractantem, haud video, cur huc spectasse Sponsum inficiemur. Nodum igitur facilè solves, si bifrontem eam fuisse dixeris. Non quòd Virgineam dividamus faciem; sed quòd non una cunctis est visa. Christicolis quippè mirè suavis; Sarracenis contra prodigiosè formidabilis. An non *suavis* Hispanis cohortibus, quas penè viribus, & animo fractas suâ præsentiâ exhilaravit, roboravit, atque animavit in prælium? An non *terribilis* Maurorum turmis, quibus, ubi virgineum vexillum apparuit, tela fluxerunt, & arma, vires defecerunt, & corda? Adeò interest cohortibus, utrâ facie à Virgine conspiciantur. Tota fortuna belli ab ejus pendet faciebus. Quos blanda tuetur, victores facit: quos torvo aspectu conspicit, exanimat. *Suavis & decora: terribilis ut castrorum acies ordinata.* Elegantissimè pro illo suo, quo pollebat,

Fortuna belli à Virginis facie.

bat, ingenio vere igneo P. Emmanuel Pimenta, quem ſæpè ſæpius audire delectat; hęc eadem verba modulatus cecinit, *lib. 2. de Virg. Ort.*

Pimenta.

Tartara formidant, quam fœta draconibus unam?
In ſtiga quàm multos frons gerit una metus?

22 Porrò quid Virgo Mater, niſi Filij ſequeretur exemplum? Quomodo non illa pugnax, ubi ſuus pugnabat Natus? Quieſceret nè bellorum ductrix, ubi Imperator acerrimè prælium urgebat? Non tàm patiens illa eſt, ubi cum hoſtibus fidei dimicandum. Igitur Imaginis ſuę præſentia prælio Toloſano aſtitit Virgo Mater, quòd Chriſtus ibi ſigno Crucis affulſit. Nimirùm, ità conſuevit Regina Cœli, càm de Infidelibus eſt reportanda victoria. Celebratiſsimum Joſue Triumphum nemo eſt, qui neſciat. Etenim quinque Reges, viribus congregatos, ab eo fuiſſe contritos, Codex ſacer commemorat. Verùm illud maximè in præſentiarum notandum; pro tantâ, nempe, victoria aſſequenda Solem, & Lunam perſtitiſſe immotos. *Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.* Sanè quàm, quòd gradum Sol tunc continuit, opportunum fuit obſequium. Fecit namque longa dies ſpatium vincendi: luceque ipſâ completa victoria, quę tenebris noctis, ſi non prorſus impedita, certè fuiſſet retardata. Luna porrò cur greſſus moratur ſuos? Victoriæ ſumma in eo ſita erat, ſi nempè, plus ſolito dies portenderetur; hoc ſolis ſtatione perfectum. Ad quid ergò Luna conſtitit? Nempè conſtitit Luna, quoniam Sol ſtetit: etenim nequit non pugnare Luna, ubi Sol pro Joſue dimicat contrà Idololatras: *Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.*

Ubi Chriſtus pugnat, pugnat & Mater.

Joſue triumphus.

Joſ. 10. 13.

Sole, & Lunâ Joſue triumphat.

23 Quid Sol niſi Chriſtum Dominum, & quid Luna niſi Matrem Virginem deſignat? Quid inſuper Joſue niſi noſtrum Alfonſum Caſtum præfigurat? Pugnavit ille ſtrenuè contrà Idololatras. Hic contrà Mahometicos animosè bellavit. Par utrique fidei ardor. Succenſus ille divini Nominis zelo: flammatus hic Chriſtianæ Religionis amore. Parvis ille copijs quinque Regum exercitus contrivit. Hic manu longè inferiore ad ducenta millia Maurorum trucidavit. Felix utraque victoria: quippè cœlo dimicante parta. Sol namque, & Luna pro Joſue; Chriſtus, & Mater pro Alfonſo ſtetere. Neque ibi Sol ſine Luna, neque iſthic ſine Matre Chriſtus. Etenim fidei hoſtibus debellandis nequit non arma ſumere Mater, ubi Filium dimicare conſpexerit. *Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.* Ecce, quod ſecundo propoſuimus loco, miſericordiæ Matrem, in Palladem converſam.

Joſue victorię Regis Alfonſi victoria comparata.

24 Videbor jam fortè, orationi colophonem addidiſſe. Verùm, ſi benè meminiſtis quæ initio inſtituebamus, invenietis utique difficultatem aliam nobis diſcutiendam ſupereſſe. Nimirum; cur hæc Victoria uni vivificæ Cruci ſit tributa, ejuſque feſtivitas *Triumphus Sanctæ Crucis* dicta; cùm conſtet, eam auſpicijs quoque ſanctis Genitricis Dei fuiſſe partam? Etenim ut Cruce Filius, ſic hoſtes fidei Mater Imagine debellare fuit viſa. Cæterum haùd injuriam noſtræ Patronę, ac Tutrici facimus Hiſpani, quòd tantæ victorię grates uni Chriſto referre videmur. Non enim immemores Matris ſumus, quòd Triumphatori Filio gratulamur. Imo tunc nobis propitiam Dei Genitricem diſerte prædicamus, cum tacito illius nomine, ſolius Filij laudes expreſſè ſonamus. Sat quippè Triumphus Matris concelebrare comperitur, qui Filij victoriam canere gloriatur. Audiſtis, Solem, & Lunam inſolitâ ſtatione pro duce Joſue pugnaſſe, donec mi-

Laus Chriſti redundat in Matrem.

Trumphus S. Crucis, quomodo triumphus Virginis.

miram de hoſtibus victoriam reportavit. *Steteruntque Sol, & Luna.* Audite modò quibus id verbis à Sirachidis filio Concionatorum doctiſsimo, eo Libro, qui inſcribitur *Eccleſiaſticus*, enarretur. *An non in iracundia Joſue impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Videtur diminuta narratio. Nam, ut ex Libro Joſue vidimus, non tantum Sol reſtitit; verum, & Luna in illius gratiam immota permanſit. *Steteruntque Sol, & Luna.* Si ergò luminare utrumque ſimul adfuit prælianti, pariterque maturavit victoriam; cur Concionator diſertiſsimus Solis opem commemorat, nulla de Lunæ auſpicio mentione facta? Non id oſcitantis, ſed vigilantiſsimi fuit Oratoris. Nam cùm conſtet, Lunam Solis æmulam eum perpetuò obſervare, nèc unquam deſerere; ſuperfluum putavit Sirachides, illius ſtationem exprimere, ubi hujus præſentiam deſcripſit. Satis itàque ingeniosè Lunę auxilium commendavit, cùm ſolem Joſue militanti aſtitiſſe nuntiavit. Perſpicuè namque Luna triumphaſſe dignoſcitur, ubi ſolis victoria non tacetur. *Steteruntque Sol, & Luna. Impeditus eſt Sol.* Vides, quanto pietatis ingenio dilectiſsimam ſuæ libertatis Vindicem Hiſpana corda concelebrent. Feſtum S. Crucis Solemniter celebramus ob illam Victoriam, in quâ Beatiſ. Virgo ſimùl cum Filio hoſtes conterere eſt viſa. Haud ſeparamus à Triumpho, cùm ſolius Crucis Triumphum exprimimus. Imò verò eundum ac Filio currum Matri ſapientèr deſignamus. Etenim Filij gloria nequit non in Matris præconium mirificè redundare.

Eccli 49. 5.

DISSERTATIO XI.

D. JACOBI APOSTOLI facies duriſsima Mauris.

1 QUoniam de potentia vultus nobis eſt ſermo, cogit nunc grati animi ſtimulus, ut potentiſsimam Faciem, deque Hiſpania noſtra præclarè meritam, taciti ſilentio non prætereamus. Jam quò mens noſtra tendat, crediderim te non obſcurè ſubolfacere. Nam quæ facies potentior D. Jacobi vultu? Nulla Mauris terribilior, nulla ſalubrior Hiſpanis. Quotiens ille, miles inter milites apparens, Agarenos contrivit, Chriſticolas erexit? Profecto qui ejuſmodi *Apparitiones* minutatim recenſere vellet, negotium iret, non niſi multo otio, & labore perficiendum, aſſumeret. Unus Joannes Tamayo Salazar quatuordecem refert, plurimis alijs omiſsis, in ſuo *Martir. Hiſpano* die 25. Julij: Hinc ſolus Jacobus inter Apoſtolos *Equitis* bellatoris nomen promeritus, quod totiens equo inſidens armatus, gladio fulminante, inimicos Eccleſiæ, & Hiſpaniæ hoſtes, vitus fuerit in prælijs obtundere. id quod Eccleſia Hiſpana fatetur *in Feſt. S. Jacobi Apoſt. ad Benedictus*, dicens: *Viſitavit nos per Sanctum ſuum Apoſtolum, & fecit ſalutem de inimicis noſtris Dominus Deus noſter.* Et expreſſius *in Hymn. Veſp.*

Tu bella nos cùm cingerent,
Es viſus ipſo in prælio,
Equôque & enſe acerrimus,
Mauros furentes ſternere.

2 Ec quid niſi Martium ſpiraret Jacobus? Non ipſi vana nominis umbra. Jacob nomen ſupplantatorem ſignificat. Quod Eſau expoſuit, cum de fratris dolo apùd communem Patrem

Argumentum de S. Jacobo Apoſtolo.

D. Jacobi potentiſsima facies.

Apparitiones in bello.

Salazar.

Eques bellator.

Eccl. Hiſp.

Jacob ſupplantator.

Genes. 27 36. conquerestur. *Justè*, inquit, *vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me altera vice.* Undè Arabicus emphaticè vertit: *Jacobavit me altera vice.* Jacobare quippè est verbum frequens Arabis, supplantare significans, & ad fæcem usque, & extremum attenuare. Quis porrò feros homines sic supplantavit, ut Jacobus noster? Sanè pro tanti nominis dignitate validissimas Maurorum phalanges *Jacobavit*, protrivit, penitùsque delevit. Jam si *Jacob* literas hebraicè transponas, uti Gregorius Benetus *in Armon.* fecit, pro Jacobo anagrammaticè leges *galeatus.* Ut pro inde nihil in tanto Viro reperire liceat, quod pugnax, & bellicosum non sonet.

Jacobare quid.

Jacob galeatus.

3 Sed mirabitur quis forsitàm, à Christi Apostolo bella tractari. Etenim Christi agnos decoratos passione, illustratos tormentis, proprio sanguine honestatos, mortisque tolerantiâ commendatos iri, Evangelica testimonia apertissimè docent. Quomodò ergò Jacobus, fidelissimus Christi assecla, armorum prępotentiâ cantatissimum sibi nomen promeruisse dicendus? In illo ergò Ecclesiæ campo, ubi gloria est pati, ubi honor torqueri, ubi laurea occumbere; celebranda nè sunt cruenta Jacobi prælia, virique Apostolici tumultus horridi? ita. Etenim in Ecclesia Christi nedùm laude digni, qui pro fide sancta, ut Agni mansueti cadunt; verum & ij quoque qui pro eadem fide velut Leones fortissimi desæviunt in hostes. Huic favet cogitationi Rupertus. Quærit quippè doctissimus Abbas, cur in Ecclesia Christiana celebrantur Machabæi, quorum tota gloria à prælijs, & bellicis tumultibus claruit? Ad quod ille *lib.* 10. *de Victor. verb. Dei cap.* 25. respondet: *Fuerunt isti Machabæi, qualium prælijs, & victorijs non quærebatur, ut ulla fieret pressura mundi; sed ut defenderetur gens, undè esset ventura salus mundi.* Igitur à pręliorum turbine celebrantur Machabæi, & in Ecclesia Christi. Ense quippè Dei populum, hostes proterendo, à misera servitute vindicarunt. Justorum plurimi fuere, qui tormentorum acerbitate catholicam fidem propugnarunt. Et præclaros inter hos Martyres strenui illi Milites commendantur: quippè haud minus laudabile facinus, ferro & armis hostes fidei devastare, quàm pro eâdem fide tuenda, tormenta, & Cruces subire.

D. Jacobus cur armis celebris?

Christianorum gloria hostes fidei debellare.

Machabęi cur in Ecclesia celebrantur?

Rupert.

Bellum ut Christianis licitum.

4 Desine proindè mirari, si Jacobum pręlijs, & armis illustrem prædicamus. Jacobi quippè gladio gens Hispana defensa. Gens, inquam, illa, unde novi orbis salus ventura: unde America fidei luce donanda: undè Idololatriæ tenebræ discutiendæ: undè Christiana religio mirificè propaganda. Quid ergò mirum, si inter glorioſissimos Christi agnos, Leo iste summis plausibus celebretur? At qui Leo nè tantùm Jacobus noster? Non nè & Agnus? Ità. Hostia quippè Christo Herodis gladio mactata. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Verùm tanto Apostolo non fuit satis hostili gladio jugulum præbère, nisi & proprio gladio fidei hostes jugularet ipse. Imò nèque Ecclesiæ fuisset satis: quę non solùm Martyrum patientia, verùm & militari virtute inexpugnabilis redditur.

Novi Orbis fides á gente Hispana.

Potentia, & armis fulcitur Ecclesia.

5 Hinc cœlestis Sponsus dilectæ Ecclesiæ suæ, quò firmiùs eam contra hostiles muniret incursus, haud muro contentus, propugnacula meditatur. *Si murus est, ædificemus supèr eam propugnacula argentea.* Nunquid non sufficiebat murorum custodia? Quid ergò superstruere curat propugnacula argentea? Consultissimè utrumque. Murorum quippè est, hostium tela fortiter excipere, machinarumque impetus constantèr sustinere. Porrò supèr murum propugnacula eriguntur,

Ecclesia non solum murata, sed & turrita. Cant. 8. 9.

ut

ut ex ijs editiſsimis præſidijs ſecurùs tela jaculentur in hoſtem, plumbeiſque globulis conficiant. Murus itaque detrimento ſui, propugnaculum verò hoſtium ruinâ, Civitatem defendit. Et Eccleſia Sancta nedùm muro circumcingitur, verùm & altiſsimis propugnaculis communitur : quoniam non ſolâ patientiâ Sanctorum defenditur, ſed bellicâ quoque Juſtorum fortitudine propugnatur. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea.*

D. Jacobus Eccleſiæ murus, & propugnaculum.

6 Vide in uno Jacobo munitiſsimum Eccleſiæ præſidium. Sanctorum alij pro muro Eccleſiæ fuerunt ; pro altiſsimis propugnaculis alij. Quidam namque hoſtium tormentis expoſiti, vel cum ſui ruina, Catholicam Religionem tenatiùs defenſarunt. Sic fortiſsimi Chriſti Martyres. Quidam verò fulgentiſsimis armis inſtructi, hoſtes fidei proſternendo, procùl ab Eccleſiæ finibus propulſarunt. Sic quondam Joſuè, Gedeon, David, & Machabæi. Sic in Lege gratiæ, pluribus haùd infimi Nominis prætermiſſis, duo illi clariſsimi, & Sanctiſsimi Hiſpaniarum, & Galliarum Reges, Ferdinandus III. & Ludovicus IX. Sic Canutus IV. Danorum Rex, & Martyr egregius. Sic S. Joannes de Capiſtrano, meus. Homo, *quem ad maximas tractandas res ſuæ voluntatis Deus, & interpretem eſſe voluit, & adminiſtrum*, ut inquit ſanctiſsimus Leo X. Pont. Max. in Epiſt. ad Vladiſlaum Panoniæ, Boemiæ Regem, quæ eſt vigeſsima ſecunda *lib.* 4. *Epiſt.* Petri Bembi. Quem proindè, ut ſpeculum bellicæ fortitudinis tanto Regi contemplandum objecit, quò animoſior factus, confidenter auderet in Turcas. *Ea repete*, infit, *quæ ipſo tuo in Regno Dominus apud Taurunnum oppidum paucos antè annos per Joannem Capiſtranum confecit. Néque tu Vladiſlae fili Joanne Vaivoda, qui unà cum Capriſtrano Turcas ſuperavit, es inferior.* Eccleſiæ itaque pro muro alij ; alij pro turribus fuere. Quid porrò Jacobus Zebedæi? Quæ diviſa in alijs, collecta tenet. Idem quippè & murus, & propugnaculum Eccleſiæ. Murus utique, quoniam pro illius defenſione Herodis gladio collum præcidendum obtulit. Propugnaculum inſuperè : quippè ferro, & armis conſpicuus impios Maurorum conatus repetitis cladibus fregit. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.*

Martyres Eccleſiæ muri.

Sanctæ militiæ duces, Eccleſiæ propugnacula.

Laus SS. Ferdinandi, & Ludovici, & Canuti Regum.

Laus S. Joannis de Capiſtrano ab ardore bellico.

Leo X.

7 Vides in magno Jacobo bellaciſsimum Eccleſiæ propugnatorem. Demirare modò genus armorum. Nimirum, ſolâ præſentiâ Maurorum agmina terruit : totieſque de infidis reportavit victoriam, quoties illis conſpiciendum ſe dedit. Atqui non inermis, dixeris, Jacobus inter phalanges apparuit, ſed equo albo inſidens, albumque alterâ manu vexillum geſtans, alterâ micantem gladium ſtringens. Unde apoſtrophe illa Eccleſiæ Hiſpanæ

Tu bella nos cum cingerent,
Es viſus ipſo in prælio,
Equoque & enſe accerrimus.

Armatus herculè viſus. Sed viſus duntaxat barbara profudit agmina. Non ille impiorum capita ſpumantis equi ungulâ trivit. Non micantem gladium nefando ſanguine polluit. Etenim, ut fidei hoſtes triumpharet, ſat fuit apparere coram illis. Hinc votum illud Illuſtriſsimi Antiſtitis ad D. Jacobum, quod pulcerrimis numeris concinnavit nunquam ſatis laudatus P. Emmanuel Pimenta lib. 8. de *Chriſt. Triumph.*

Jacobus ſolâ præſentia vincit.

Polluere indignum eſt Mauro te ſanguine dextram;
Sat tuus infeſtâ pro face nutus erit.

Pimenta.

8 Hinc præclarior Jacobi gloria. Manus otiantur, & cadunt hoſtes. Quieſcit gladius, &

& ſanguis effunditur. Arma feriantur à vulnere, & paſſim cadavera jacent. Quis non bellicam Jacobi virtutem enixè gratuletur? Equidem dignus eſt præcipua laude; quippè nobilius triumphat, qui ſolâ facie exterminat hoſtes. Audi Judithàm Domini potentiam extollentem ob partam de Aſyrijs victoriam: *Perierunt in prælio à facie Domini.* Cur non à dextera Domini Aſyrios perijſſe, occinit bona femina? Etenim victricem Dei manum ſummis plauſibus extollit Regius Vates, ubi inquit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Quid ergò Judith victos Aſyrios à facie Domini nuntiat; David autem dexteræ potentiam prædicat? Quia, nimirum, Deo auſpice, nobiliorem longè victoriam Judith, quàm David fuerat conſecuta. Nam quanti æſtimandus eſt Davidis triumphus vel de Saule, vel de Abſalone, ſi cum Judithæ victoriâ compares, de formidabili Aſyriorum potentiâ reportata? Dubio procùl mirabilior in Femina, quàm in Duce Domini virtus eluxit: quippè & Mulier infirmior, & hoſtes validiores. Ideò, quò magis prudentiſsima Femina Domini potentiam extolleret, non manu, ſed facie ſolâ hoſtes protriuiſſe dicit: quoniam illuſtrior multò victoria illa, in qua, otiante manu Ducis, ſolâ fronte concidunt hoſtes. *Perierunt in prælio à facie Domini.*

Judit. 16. 14.

Pſal. 117. 16.

Judithæ victoria quàm Davidis illuſtrior.

9 Claret D. Jacobi potentia. Territat hoſtiles acies, agmina fundit, copias devaſtat, omneque Lyvicum robur ſæpè confringit. Quoque nobilius triumphet, non haſtam contorquet in hoſtem, non tela mittit, non gladio percutit, non denique dextera utitur; ſed vultum duntaxat oſtendit. O certè miram Jabobi virtutem! Sic triumphat Dominus, cùm glorioſius triumphat. Sic vincit Jacobus, ut vincat illuſtrius. A Domini facie perijt aſyriorum robur. A facie Jacobi concidit Maurorum virtus. *Perierunt in prælio à facie Domini.*

Jacobi victoriæ Domini victoriis quam ſimiles.

10 Verè tronitrui filius Jacobus, hoc eſt, fulmen. Sed quod nedum tactu, verùm & ſolo aſpectu valeat Mortalibus perniciem afferre. Hinc oratio illa Davidica, quâ Dominum, ut hoſtes ſuos exterminet, deprecatur: *Fulgura coruſcationem, & diſsipabis eos.* Trevetus, Faber, Victorius: *Mica fulmine.* Cur, ſi hoſtibus ſuis extremam cladem David exoptat, non à Deo petit, ut fulmine tangat; ſed, ut fulmine micet? Quia, nimirum, fulmina à Deo in vindictam inimicorum jaculata, nedum telo, verùm & ſplendore obvium quemque interficere valent. Perinde eſt itaque, utrum David imprecetur, ſive tactum, ſive fulgorem: æquè quippè ruent hoſtes, ſive telo fulminis percuſi, ſive ſplendore conterriti. *Fulgura coruſcationem: Mica fulmine, & diſsipabis eos.* Pulcrè Jacobo ſuo gratulatur Hiberia:

Jacobus fulmen.

Pſal. 143.

Trevet.

Jacobus ſolo ſplendore lethalis.

Defenſor Almæ Hiſpaniæ,
Jacobe vindex hoſtium,
Tonitrui quem filium,
Dei vocavit filius.

Bellè omnia conſonant: & vindex hoſtium, & tonitrui filius. Quis enim tam deſævire poſſet in hoſtes, quàm fulmen? Tanto ergò fulmine hoſtes Hiſpaniæ conſumpti. Quid? Fulmine hoc tacti? Minimè; ſed ſolo ſplendore perculſi. Coruſcavit fulmen, diſsipati ſunt hoſtes. An non fulmen coruſcans Jacobum diceres, ſi ſpectaſſes, veluti lucis globulum, nubibus elapſum, per liquidum aera vagantem, oculis micantibus, ore radiante, enſe pellucido, armis ſplendidis, equo candente, flammeo toto? Non ergò opus habuit

buit tangere hoſtes, ut dirâ cœde multaret: ſât fuit apparere illis, ut deleret funditùs. *Fulgura coruſcationem, mica fulmine, & diſſipabis eos.*

Oculorum animoſitas.

Jacobus quàm terribilis Mauris.

11 Quod ſi adhùc ſcrupulosè ambigas, ſplendore duntaxat potuiſſe à Jacobo tot hominum chiliadas interfici; audias, quæſo, irrefragabile teſtimonium è ſublimioris ſapientiæ ſcrinio depromptum. Cùm enim in idolatrarum punitionem à Domino fuiſſe immiſſam mutorum animalium multitudinem enarraſſet Sapiens, commodum ſubdidit: *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis novi generis irâ plenas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes, aut fumi odorem profe-*

Sap. 11. 18. 19. 20.

rentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes: quarum non ſolùm leſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere. Vides ut oſtenta ignivoma aſpectu ſolo contuentes interficere valent. Nihilum quidèm ſpectatorem lædunt, & exanimem faciunt: quoniam, ut ignis corporibus parcat, violentiâ tamen terroris extorquentur animæ. Porrò quale portentum terribilius Jacobo, ubi alto in æther ſuprà phalangas apparuit? Non ſi monſtrum apparuiſſet, globos igneos ore cavernoſo evomens, aut nigra è naribus fumi volumina ructans, aut ab oculis minaces flammas emittens; non inquam, qualecumque hoc monſtrum, tàm formidabile fuiſſet Mauris, quàm fuit Jacobus. Nimirùm, Filius erat tonitrui, & nihil terribilius fulmine. Quid ergò mirùm, ſolo terrore exanimaſſet Mauros, ſi ſpectra mitiora hanc perniciem afferre valent mortalibus? *Sed & aſpectus per timorem occidere.*

Timor ut valet occidere.

12 Præterea, ignoras nè, humanam fortitudinem in oculo potiſsimùm eſſe ſitam? Hic animorum ſedes, hic audaciæ thronus, hic conſtantiæ regia. Undè oculorum epitheta, nempè, ut dicantur *ſublimes, elati, ſuperbi*, ſicut & facies *fortes*, emanata. Non priùs itaque immanium robur infringes, quàm audaciam oculorum coerceas. Neſciunt timère corda, quandiù oculi perſeverant intrepidi. At nullus in pectore vigor, ſemel atque palpebras occupavit timor: totus homo cadit, ubi acies oculorum concidit. Patent Jacobi victoriæ abſque vulnere hoſtium. Equidem fulgore ſolo pugnavit, & quoties pugnavit, vicit. Quid ni vinceret, qui ſuperborum Maurorum lumina ſuo ſplendore peritrinxit? Enimverò totus homo perit, ubi oculorum altitudo deprimitur. Hinc confidentiſsima illa Davidis oratio ad Dominum: *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Texturam verborum attende. Non enim, quod magis congruum videbatur, humilium ſaluti oppoſuit ſuperborum ruinam; ſed depreſſionem oculorum duntaxat. Non enim dixit: ſuperbos perdes; ſed, *oculos ſuperborum humiliabis.* At qui eatenùs David ſperabat, populum humilem fore à Domino ſalvandum, quatenùs ejus hoſtes exterminandos præviderat. Quamobrem igitur, ubi hoſtium cladem annuntiat, ſolos oculos humiliandos prædicit? Quia, nimirùm, totus humiliatur homo, cùm ipſius oculi humiliantur. Elegantèr itaque ſapientiſsimus Vates, ſuperborum oculos humiliandos dixit, ut eorum excidium ſignificaret. Poſuit ergo pro ruina depreſsionem luminum: quippè exanimis fit homo, ubi fuerit oculorum arrogantia depreſſa. *Et oculos ſuperborum humiliabis.* Non itaque mihi ſuccenſeas, ſi abſque contactu, & vulnere hoſtium, Jacobum triumphaſſe affirmo. Namque tonitrui filius uſque adeo vi prepotente excandeſcere noſcitur, ut vel intactum quemque occi-

Jacobus hoſtes expugnat, eorum oculos expugnando.

Totum hominem vincit, qui ſolos oculos vincit.

Pſal. 17. 28.

Superbia regnat in oculis.

Hominum potentia in oculis.

Homines non timendi.

dere valeat. Ergò ſui præſentiâ hoſtes devicti : quoniam tanto fulgore excelſa eorum lumina oppreſſa. Nihil eſt itàque reliquum , quod ad perfectam victoriam deſideres : quippè oculos inimicorum deprimere , occidere eſt. *Oculos ſuperborum humiliabis.*

13 Hinc porrò optatiſsima ſalus Hiſpaniæ. Populus tunc ſanè humilis , quin & humiliatus à Deo. Sed per Jacobum exaltatus mirificè , quemadmodum olim humilis populus Juda , Domino auxiliante , hoſtibus ſuperior effectus. Verè ut Jacobo canere poſsit Hiſpania , quod tunc Domino David cecinit : *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* Verùm quis non hìc Jacobi virtutem ſtupeat , Domini virtutem felicitèr æmulantem ? Etenim ſi ingenium Domini ſpectes in vindicando populum Juda , idem in Jacobo videre licet , ubi pro Hiſpania dimicare conſtituit. Quid namque Dominus egit pro Judaici populi ſalute , niſi ſuperbientium hoſtium lumina expugnare ? Et quid aliud porrò à Jacobo præſtitum , ut miſeras Hiſpaniæ gentes pulcræ libertati donaret , niſi elatum Maurorum ſupercilium deprimere ? Hæc digna Deo victoria , hoſtes conterere , & turpi ipſorum cruore regalem dexteram non polluere. Sed & dignus Jacobo triumphus, copias Maurorum devaſtare , & impio ſanguine rutilum enſem haùd fœdare. Nimirùm , ſic Dominus exercituum pro populo Juda pugnat. Sic pro populo Hiſpaniæ dimicat bellorum Præſes Jacobus.

Jacobus pro Hiſpania , ut olim Dominus pro Juda, pugnavit.

14 Sed & illud valdè quòque notandum , quòd ſolus ſinè comite tot , ac tantas de perfidis reportavit victorias. Una quippè Jacobi præſentia omne robur Africæ ſæpè numero conterere viſa eſt. Quàm hinc Jacobææ virtutis excellentia pateat , inde colligere licet , quòd in auxilium Judæorum , contrà Timotheum pugnantium , quinque de cœlo equites apparuiſſe , ex hiſtoria Machabæorum habemus. *Cùm vehemens pugna eſſet , apparuerunt adverſarijs de cœlo viri quinque in equis , frænis aureis decori , ducatum Judæis præſtantes.* Fatendum , opportunum tunc fuiſſe ac neceſſarium Judæis auxilium de cœlo. Quomodo enim parva Iſraelitarum manus contrà ingentem multitudinem prævaleret , ni cœlesti milite fuiſſet roborata ? Namque *Timotheus convocato exercitu peregrinæ multitudinis , & congregato equitatu Aſiano , advenit quaſi armis Judæam capturus* , ut ſacer Textus narrat ibidem. Eſto. Verùm quoties contrà Hiſpanorum reliquias totius Africæ robur inſiluit ? Quoties pro uno milite catholico centum , & amplius Arabum numerares ? Non ergò Iſraelitarum difficilior congreſſus cum Aſianis , quàm Hiſpanorum cum Mauris.

Unus eques Jacobus pro multis cœlitibus.

15 Quid ergò eſt , quod Judæis præliantibus quinque cœleſtes equites auxiliatum veniunt; Hiſpanis verò , haùd minus periclitantibus , unicus Jacobus adſtat ? Nùm , quià præ Judæis pugnatiores Hiſpani , minore id circò auxilio indigûere ? Fortè non deerit , cui ventoſa hæc expoſitio arrideat. Sed , ut ſint, qui emant , ego certè fumos non vendito : certè nollem. Precipuè cùm comparatio fieret ad fortiſſimos Machabæos : quibus injuriam faceret quiſquis vel ſtrenuiſsimis ducibus poſponere auderet. Id ergo dandum virtuti Patroni noſtri , quòd ipſe unus eques pro quinque cœleſtibus ſufficiat : dum ipſe ſolus pro Hiſpanis militans haùd minores triumphos agit , quàm Angeli quinque pro Machabæis certantes. *Apparuerunt de cœlo viri quinque.*

2. Mach. 10. 29.

Angeli pro fidelibus militantes.

Pro fide pugnantes, ſperent in Deo.

Ibid. 24.

Chriſtianos milites multitudo infidelium non terreat.

16 Quid , quod non ſolùm apparuiſſe hos cœlites , verùm & hoſtes telis , ac fulminibus perijſſe

Angeli fulminibus dimicant ; Jacobus ſolâ præſentiâ.

tijſſe liquidò conſtat ? Sic enim conceptis verbis ſacra eadèm narrat Hiſtoria : *In adverſarios autem tela , & fulmina jaciebant.* Jacobus ſola præſentia hoſtes interimit ; Angeli verò non niſi telis , & fulminibus jaculatis. O pontentiſsima Jacobi facies ? Cœleſtes equites robur Aſiæ gloriosè proterunt , ſed laborante manu. Tu vero , otiante dexterâ, Africæ vires ſolâ oris majeſtate confringis. Præliantibus Angelis cadunt Aſiatici , ſed jaculis confoſsi. Te militante pereunt Afri, ſed nullo fulminato telo. Quid ergò dicemus , niſi quòd oculorum tuorum radij pro telis fuêre , ac fulminibus , ab Angelicis manibus jaculatis ? Ergo bellorum Præſes , Hiſpaniæ columen , dulce præſidium , ſi quando nos bella prement , da robor , fer auxilium. Supplex tua numina poſco. Sed

Ibid. 30.

Apoſtrophe ad D. Jacobum.

Poſco ſupercilium ; non dextræ fulmina ; fundat
Agmina cæleſtis barbara frontis honor.
Barbarus è Lybia perit infelicius hoſtis,
Quando velut trifido fulmine fronte cadit.
Polluere indignum eſt Mauro te ſanguine dextram.
Sat tuus infeſtâ pro face nutus erit.

Piment.

DISSERTATIO XII.

S. BENEDICTI OCULI pro manibus.

Argumentum pro S. Benedicto Abbate.

1 ID non ſinè ſtuporè viſum , cùm Patriarcha ſanctiſsimus ſolo oculorum jactu fortia vincula, quibus infelix homo adſtrictus tenebatur , diſſolvit. Rem Magnus Gregorius jucundâ narratione deſcribit *lib.* 2. *Dialog. cap.* 31. Gotthorum quidam Zalla nomine quadam die avaritiæ ſuæ æſtu ſuccenſus in rapinam rerum inhians , dum quendam ruſticum tormentis crudelibus affligeret , eumque per ſupplicia diverſa laniaret, victus pœnis ruſticus , ſeſe, reſque ſuas Benedictò Dei famulo commendaſſe profeſſus eſt, ut dùm hoc à torquente crederetur , ſuſpenſâ interim crudelitate , ad horam vita repararetur. Tùm idem Zalla ceſſavit ruſticum tormentis affligere ; ſed eius brachia loris fortibus adſtringens , antè equum ſuum cœpit impellere , ut quis eſſet Benedictus , qui eius res ſuſceperat , demonſtraret. Quem ligatis brachijs ruſticus antecedens , duxit ad ſancti viri monaſterium , eumque antè ingreſſum cellæ ſolum ſedentem reperit , & legentem. Quem dùm fervido ſpiritu cum perverſæ mentis inſaniâ fuiſſet intuitus , acturum ſe exiſtimans eo terrore , quo conſueverat, magnis cœpit vocibus clamare dicens : Surge , ſurge , & res iſtius ruſtici redde. Ad cuius vocem vir Dei protinùs oculos levavit à lectione , eumque intuitus , *mox etiam ruſticum , qui ligatus tenebatur , attendit. Ad cuius brachia , dùm oculos defflexiſſet , miro modo tanta ſe celeritate cœperunt illigata brachijs lora devolvere , ut diſſolvi tàm concitè nullâ hominum feſtinatione poſſent.* Cumque is qui ligatus venerat , cœpiſſet ſubito adſtare ſolutus, ad tantæ poteſtatis vim tremefactus Zalla , ad terram corruit , & cervicem crudelitatis rigidæ ad eius veſtigia inclinans , ſe orationibus illius commendavit. Hucuſque Sanctus Doctor , cuius prolixam narrrationem tranſcribere haùd piguit: quoniam , nempè , ſuper eam, tamquam ſuper firmiſsimam petram tota oratio edificanda.

D. Gregor.

S. Benedictus ligatum hominem cùm aſpicit , ſolvit.

2 Et primò ſcire gaudeo ſanc-

D. Benedictus verè oculatus.

Sanctiſsimum Benedictum veris luminibus faiſſe præditum. Ridebis fortè imprudens dictum; quaſi id commune non ſit omni non cæco. Et tu ita ſapis? Ego ſane tecum non ſapio. Namque in ea ſum ſententiâ, ut putem, oculos nullius frugi nullos eſſe. Oculi quippè non ad videndum, ſed ad benefaciendum donati: igitur haud eos habere eſt dicendus, qui benefacere negligit. Audi Apoſtolorum culmen: *Cui hæc præſtò non ſunt, cæcus eſt, & manu tentans.* Quæ verò iſthæc? Num tunicarum, nervorum, humorum, & ſi quæ ſunt alia, quæ organi præſtantiſsimi fabrica expoſcit, integra miniſteria, & officia? Etenim ubi ſalva iſthæc, & integra non ſunt, oculus cæcitate laborat. Apagè frigidam expoſitionem, calorèque Apoſtolicò indignam. Quis vel tonſor, aut lippus hoc ignorat? Ergò dignam Petro ſententiam concipiamus. Suaſerat proximè Chriſticolas præcipuarum virtutum exercitium, utens eleganti gradatione uſque ad apicem charitatis hoc modo: *Vos autém curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtrâ virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientiâ autèm abſtinentiam, in abſtinentiâ autèm patientiam, in patientiâ autem pietatem, in pietate autèm amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* His poſitis, mòx ſubintulit: *Cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans.* Quia, nimirum, oculi, quibus juſti vident, virtutes ſunt, quibus proximis benefacere ſtudent. Undè meritò cæci dicuntur, qui oculos ſteriles geſtant. Sicut è regione, oculatiſsimi audiunt, qui pia lumina portant. Non itaque contemnendum elogium, quò veros oculos habuiſſe Benedictum dicimus. Neque enim vere fuiſſet oculatus, ſi non tàm bonæ frugi oculos geſtaſſet.

Oculi ad benefaciendum.

Cæcitas eſt carentia virtutum.

2. Petr. 1. 9.

Virtutes juſtorum oculi.

Ibid. 5. 6. 7.

Clímax, ſive Gradatio in Scriptura.

Oculi veriores.

3 An ignoras, ſubeſſe oculis beneficentiam? Verùm id ſpiſsis teſtimonijs edoceberis. Pſalm. 15. 11. *Adimplebis me lætitia cum vulto tuo.* Pſalm. 20 7. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Chald. *A conſpectu tuo.* Proverb. 16. 15. *In hilaritate vultus regis vita.* Lege quæ diximus in *Expoſit. Liter. num.* 30. Qualis ergo erit aſpectus, qui benefacere neſcit? Profectò minimum eſt videre, niſi & videndo proſis. Ut proindè quaſi nulli cenſeantur obtutus, à quibus nil boni ſperare queas. Pulcrè D. Ambroſius lib. 6. in Examer. *Quod Sol, & Luna in Cœlo, hoc ſunt oculi in homine.* Conſonat D. Baſilius Seleucenſis Orat. 36. *Quod Sol in mundo, hoc ſunt oculi in homine.* Atqui Solis eſt, nedum ſuo lumine colluſtrare mundum; verùm & multiplici fœtu locupletare. Abſidubiò quippè muneri ſuo deficeret, ſi ſolius vultûs maieſtate orbi ſuperbè exhibità, nihil præterea fomenti, roboris, alteriuſvè beneficij in illum conferret. Non tantùm ergò Sol mundo lucet, ſed fovet, vegetat, animat. Unde Seneca Tragicus in *Med.*

Spectat hoc noſtri Sator Sol generis.

Oculi ergò, à quibus nihil boni conſuevit prodire, nec Sol, nec oculi appellari merentur. Cùm Benedicti faciem ad mentis ſpeculum revoco, novum tunc Cœlum mihi videre videor, cuius Sol oculi. Nam quod Sol in Cœlo, hoc in facie Benedicti oculi. Etenim Sol videndo fovet, & oculi Benedicti videndo favent.

4 Qualis porrò, ac quantus favor! Dignus certè, quem ſtupeant omnes. Nam quid prodigioſius, quàm aſpectu ſolò fortia vincula diſſolvere? Accuſatus Joſeph falſi criminis in Ægypto, conjectuſque in carcerem, ac duris vinculis conſtrictus a longam erumnarum ſe-

Oculi benefici.

Pſal. 15. 11.

Pſal. 20. 7.

Prov. 16. 15.

Quod Sol, & Luna in Cœlo, hoc oculi in homine.

Senec.

Oculi Beedicti quaſi Sol, videndo favent.

Mira potentia oculorum Benedicti.

ſeriem ſubire fuit coactus ; donèc tandem divino opitulante auxilio , nedùm ſoſpes evaſit, verùm & divitijs maximis , & ampliſsimis honoribus cumulatus. Quam felicitatem dùm Pater Jacob gratulatur , inquit : *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum , & manuum illius per manus potentis Jacob.* Pro *potentis* Hebraicè eſt *abbir* & accipitur pro *Deo*, ut tradit Vocabularium Hebraicum Complutenſe ; ut in illo: *Votum vovit Deo Jacob.* & iterùm : *Tabernaculum Deo Jacob.* Ergò ſenſus eſt: Soluta ſunt vincula brachiorum , & manuum Joſeph per manus Omnipotentis Dei Jacob. Tanti, nempè , fuit, brachiorum, ac manuum pauperis hominis vincula enodare , ut id Omnipotentis Dexteræ Sanctiſſimus Patriarcha tribuerit acceptum. Sed eccè ſolutus pauper à vinculis , nullâ Benedicti manu adhibitâ , ſed ſolo oculorum nutu. *Ad cujus brachia cùm oculos deflexiſſet , cœperunt illigata brachijs lora devolvere.* Quid eſt hoc? Ut brachia Joſeph ſolvantur, manus admovet Omnipotens ; ut verò brachia ruſtici liberentur, ſat eſt , ſi deflectat oculos Benedictus ? Jam non demiror , quòd oculi ſint ipſi pro manibus ; ſed quòd oculis efficere valeat , quod manibus agit Omnipotens : *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob.*

Geneſ. 29. 24.

Vocabular. Complut. Pſal. 131. 2. & 5.

Dei manûs eſt, ligatos ſolvere.

Quod Deus manibus, præſtat oculis Benedictus.

5 Dè Benedicto quid dici queat mirabilius ? Quid ſublimius prædicari ? Si enim Jacob ſatis indè extolli divinam potentiam judicavit , quòd manuum ope vinctum hominem abſolvit; quid , ſi ſolis oculis ſolutum videret ? Oculos Omnipotentis hos diceret , ſicut manum Omnipotentis dixit illam. *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob.* Quid ergo ? Omnipotens Benedictus ? Non adeò vecordes ſumus ; ut creaturam audeamus Deo componere. Num quid omnipotentem ſe Apoſtolus jactavit , dùm omnia ſe poſſe aſſeruit , cùm dixit ad Philip. 4. *Omnia poſſum* ? Omnia ſanè poterat , ſed opitulante Deo. Undè ſubdit : *In eo , qui me confortat.* Ergò nihil ſinè Deo creatura poteſt : cæterùm Deo bono nihil non poteſt creatura. Valuit ergo Benedictus id oculis conficere , quod Dei Omnipotentis eſt præſtare manibus. Quoniam id ipſum , quod oculis valuit exequi , non niſi à manu Omnipotentis habuit. Hoc cùm ſit planiſsimum , tamèn emollire placuit, nè mentibus delicatulis vel minutiſsimum ſcrupulum relinquerem , quo earum teneritudo poſſet offendi. Redeo ad orbitam.

Divina virtus in oculis Benedicti.

Nihil non poſſumus in Deo.

6 Et audio te mihi ſuccla-mantem : Quid tu de divinis oculis ſentis ? Non recordaris Davidicum illud tritiſsimum teſtimonium : *Dominus de Cœlo in terram aſpexit , ut audiret gemitus compeditorum , ut ſolveret filios interemptorum* ? Ecce ubi aſpectû Dominùs ſolvere ligatos dicitur. Et hoc præclarum teſtimonium eſt divinæ virtutis , nimirùm , id ipſum oculis præſtare, quod manibus. Claret quippè divina potentia , ubi oculi pro manibus ſunt ; viſùque perficitur , quod manibus fuerat agendum. Aſpicit itàque Dominus in terram , ut ærumnoſos homines ab vinculis ſolvat : præſtantia quippè eſt divini conſpectûs, eâdem , ac manus , virtute pollêre. *Dominus de Cœlo in terram aſpexit , ut ſolveret filios interemptorum.* Habes in Benedicto quandam veluti umbram divinæ virtutis. Deus eſt , cui oculi ſunt pro manibus : nàm cùm manus, & oculos habere deſcribitur ; id ipſum quoque aſpectu oculorum efficere , quod manuum miniſterio , nuntiatur. Admotâ quippè manu Joſephum à vinculis abſolvit Omnipotens , ſoloque oculorum jacta filios morti deſtinatos libertate donavit. Hæc vis ocu-

Pſal. 101. 20. 21.

Dei eſt ligatos videndo ſolvere.

A Deo aſpici, afflictorum ſolatium.

lorum Dei. Sed mirum in modum oculis Benedicti concredita; dum non adjutorio manus, ſed ſolâ erectione luminum vincti hominis ligamina rupit. Enodare vincula, manuum eſt opus. Verùm nullo negotio evolvuntur coram oculis Benedicti: quoniam divinæ virtutis æmulus id ſolo intuitu præſtat, quod poſſet præſtare manibus. *Dominus de Cœlo in terram aſpexit, ut ſolveret filios interemptorum.*

Miracula Benedicti citiſſima.

7 Sed novâ ſunt ponderatione digna Gregorij verba: *Ad cujus brachia dum oculos deflexiſſet, miro modo tanta ſe celeritate cœperunt illigata brachijs lora devolvere, ut diſſolvi tam concitè nullâ hominum feſtinatione poſſent.* Miratus eſt Pontifex celeritatem miraculi. Ruſtici manus preſsêre lora, donec in conſpectum Benedicti non ſtetit. Mox verò ubi colluſtratus fuit Sanctiſſimi Patriarchæ luminibus, protinùs vinculorum moleſtiam non ſenſit. Vidit Benedictus, ſolutus eſt homo. Dicat Gregorius: *Diſſolvi tàm concitè nullâ hominum feſtinatione potuiſſent.* Ità profectò. Namque multò velocior eſt oculorum acies omni manuum celeritate. Efficerent alij dexterâ, quod lumine Benedictus. Nulla itàque hominum feſtinatione illigata brachijs lora tàm concitè diſſolvi potuiſſent, quàm devoluta fuêre Benedicto aſpiciente: tarda quippè eſt vel expeditiſſima manus ad promptitudinem viſus.

Manus oculatæ Symbolum hominis liberalis, & benefici.

Miſericordia in pauperes.

8 Magnus planè Benedictus, quem votis ſuis philoſophia moralis non potuit æquare. Minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſsit. Ut hominem ſummè beneficum illa exprimeret, *Manus oculatas* figuravit. Quippè inſignis liberalitatis eſt indoles, quærere, cui benefacias. Oculi ad videndum donati, manus ad opitulandum. Et pulcerrimo ſymbolo benefici hominis manibus appinguntur oculi: quippè totus id intendit, ut ærumnas proximorum explorando ſublevet. Verùm hoc Symbolum, quanquàm ingeniosè excogitatum, Benedicti beneficentiam non adæquat. Maius eſt, quod iſte præſtitit, quàm quod doctô commento illo ſignificatur. Ego equidem, ut beneficentiſsimum virum demonſtrarem, non manus oculatas pingerem, ſed *oculos*, ut barbarè dicam, *manuatos*. Hoc eſt, non oculos manibus appingerem, ſed oculis manus. Credo convenientiùs, ad denotandam Benedicti celeritatem in benefaciendo. Tardiùs quippè moverentur oculi in manibus, quàm manus in oculis. Quià, nimirùm, lentos illæ motus peragunt, citiſsimos iſti. Et Benedicti ergà miſeros ſtudium tardas manus dedignatur, ut oculis velociſsimis quàm feſtinatiſsimè faveat. *Diſſolvi tàm concitè nullâ hominum feſtinatione potuiſſent.* Ecce itàque manus in oculis Benedicti, dùm vincula ruſtici tuendo diſſolvit: evoluit quippè nexus, quaſi manus geſtaret in oculis. Sed hoc celeritate mirabili; quoniam in ictu oculi egregiè perfectum.

Manus in oculis, Benedicti ſymbolum.

9 Colligas hinc, quàm mirificus, quamque potens miraculorum patrator fuit Benedictus. Eluxit ſanè in eo vis prodigioſa ad ſigna facienda. Verba Gregorij difficultate non carent: *Ipſa miraculi celeritate indicat, quià ex poteſtate acceperat habere, quod fecit.* His S. Doctor amplificat laudatum Benedicti miraculum. Notate illud *ex poteſtate*. Ecquis non miracula facit ex poteſtate à Deo collata? De Apoſtolis conſtat ex illo Marci: *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* Qualis ergò ſpecialis gloria Benedicti, quod ex poteſtate miraculum fecit? Luce ejuſdem Gregorij ubi ſupra *cap.* 30. hæc obſcuritas colluſtranda. Miracula aliquandò ex prece, aliquando ex poteſtate fiunt. Tunc fiunt ex prece, cùm virtute orationis impetrantur à juſtis. Tunc vero

D. Gregor.

Miracula Benedicti ex poteſtate. Marc. 3. 15.

Miracula aliquando ex prece, aliquando ex poteſtate.

verò ex poteſtate fiunt, cùm ad ſolum voluntatis nutum Deus miracula exhibet. Utriuſque exempla refert ipſemet Doctor. Nam Petrus Thabitam mortuam orando ſuſcitavit; Ananiam verò & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim oraſſe in eorum extinctione legitur; ſed ſolum modò culpam, quam perpetraverant, increpaſſe. Audi modò tanti Doctoris illationem: *Conſtat ergò quòd aliquandò hæc ex poteſtate, aliquando verò exhibent ex poſtulatione, dùm & iſtis vitam increpando abſtulit, & illi reddidit orando.* Eccè miraculorum Benedicti eximia gloria. Nihil orat, & ruſticus ſolvitur. Haüd movet labia, & vincula cadunt. Videt tantùm, & duri evolvuntur nexus. Agnoſce ergò poteſtatem Benedicti ad patranda miracula, dum non oratione, ſed ſolò oculorum nutu ea in momento operatur. *Ipſâ miraculi celeritate indicat, quià ex poteſtate acceperat habere, quod fecit.*

Act. 9. 40. Ibid. 5. 5.

10 Verùm rogitas, quid ſublimius habet, miracula exhibere ex poteſtate, quàm ex prece? Audi. Miracula ex precibus ſolus Deus operatur. Illa verò, quæ ex poteſtate fieri dicuntur, etiam Juſtorum cooperatione patrantur. Et longè præſtantiùs eſt, cooperari Deo tamquàm inſtrumentum Omnipotentiæ, quàm ſola oratione a Deo impetrare miraculum. Id quippè nonnunquam vel peccatoribus datum; nam ut ait S. Hieronymus: *Virtutes facere interdùm non eſt eius meriti, qui operatur, ſed invocatio nominis Chriſti hoc agit ad aliorum utilitatem.* Illud verò non niſi eximiæ ſanctitatis viris donari conſuetum: quod tandèm reſolvit Gregorius per hæc verba: *Eccè eſt, Petre, quod dixi: quia hi, qui Omnipotenti Deo familiarius ſerviunt, aliquandò mira facere etiam ex poteſtate poſſunt.* Claret ex hoc prodigiò ſanctitas Benedicti. Non cuivis Juſto datum miracula facere ex poteſtate, ſed ſolùm viris ſanctitate eminentioribus. His ergò annumera Patriarcham egregium, quippè cui conceſsit Omnipotens, ut ex poteſtate miracula faceret, dùm ſolo nutu oculorum fortia vincula dirupit.

Miracula ex prece & ex poteſtate quomodo differant.

Miracula ex prece interdum & peccatores faciunt.

Miracula ex poteſtate argumentum eximiæ ſanctitatis.

11 Vel dicito, indè benè probari miraculoſam Virtutem Benedicti, quòd ſolo luminum aſpectu arctiſsimos nodos diſſolvit. Poteſtas quippè eſt in manibus. Sed hanc poteſtatem habuit Benedictus in oculis. Quoniàm aſpiciendo præſtitit, quidquid tangendo valuiſſet. Senſere funes virtutem oculorum, & quaſi diligenti manu extricati, nodos explicuêre ſuos. Ars erat eſſe oculos Benedicti, in cuius poteſtate fuit uti oculis, tamquàm manibus.

Poteſtas eſt in oculis Benedicti.

12 Potentiſsima ſanè virtus oculorum Benedicti! Dubito, num ſimilis reperiatur in alijs viris præſtantiſsimi meriti. Certè haüd memini, me legiſſe, imò neque audiſſe. Unum occurrit ex Apoſtolorum Actibus. Sed quod huic Benedicti prodigio collatum inferiorem locum obtinere videatur. Attende. Jacebat Petrus geminis catenis conſtrictus. Tetro in carcere detinebatur victima, mox caſura in obſequium Judæorum; ſic enim de alieno corio ludere impio Herodi placuerat. Sed quanta eſt humana potentia contrà conſilium Divinitatis? Eccè enim ad adventum Angeli ſolutus Petrus, illuſus Tyrannus: *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſoque latere Petri, excitavit eum dicens, ſurge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius.* Audiſti nè catenas excuſſas? Notaſti nè prodigium? Sed quantis egit Angelus, ut catenæ loco cederent, atque in Apoſtolum ſævire dedocerentur? Fulgore,

Virtus Benedicti Angelicæ comparata.

Act. 12. 7.

gore, nimirum, voce, tactu. Lumen quippè ſparſit, vocem dedit, manu percuſsit. Quis non miretur divinæ virtutis diſpenſationem? Agnovere vincula tùm Angeli, tum Benedicti imperium. Sed pluribus egit Angelus, quàm Benedictus, ut duros emolliret nexus. Ille quippè lumen adhibuit, linguam exercuit, manum admovit; Benedictus autem totum negotium abſolvit ſolò viſu. Utrum prodigium maius, nobiliùs, præclarius? Mortalium non eſt decernere; ſed Dei potentiam laudare, qui talem poteſtatem Benedicto dedit, quæ videatur cum Angelica poſſe virtute contendere.

DISSERTATIO XIII.

D. IGNATIUS LOIOLÆUS in imagine vivus.

Argumentum de S. Ignatio Loiolæ. Tamay.

1 DUbitas? Audi Joannem Tamayum in ſuo Martyrologio Hiſpano die 14. Novembris. *Ad eius ſacrum tumulum Deus Optimus Maximus, eius meritis intercedentibus innumera ægrotantibus beneficia confert.* Nota ſequentia. *Adeò ut tantùm eius faciei Effigies omnes prorſus morbos depellere viſa ſit.* Audi quoque dulciſsimum Vatem Luſitaniæ, prodigioſam hanc Imaginem celebrantem *lib.* 11. de *Chriſt. Triumph.*

Illius imago miraculoſa.

Formidanda Erebo facies, dilecta, Tonanti,
Grata ſolo, miro lumine, grata Polo.

Fugat morbos omnis generis.

Territat immanem tam mira potentia mortem.
De terris morbos, toxica, monſtra fugas.

Pimetn.

In caſſum queritur totum Pandora per Orbem
Effudiſſe luem, quam fugat oris honor.
Cùm diverſa levent morbos medicamina: morbos
Non niſi prodigijs unica mille levas.
Undè poteſt tantum facies? Loiola precatus
Tranſtulit in vultus Numinis ora ſuos.

2 Quid? Soloſnè morbos fugat picta Loiolæ facies? Auguſtiùs multò imperare dignoſcitur. Territat quoque dæmonum phalangas, & in nigra Tartara mittit. De quo præclarum hab s teſtimonium apud eundem Tamayum *ibid.* quod exſcribere haud piget. Sic enim habet: *Poſt S. Corporis tranſlationem, cùm quidam à dæmone obſeſſus, & furialibus Erebi tormentis defatigatus ad ſepulcrum S. Ignatij duceretur, ſuprà cuius verticem in pariete affixam conſpiceret Divi imaginem, protinùs ad eius conſpectum dæmo perterritus, horrendis ſingultibus, & ſtupendo ſtridore commotus, corpus miſerabile reliquit, ſtupentibus omnibus.* Habes Triumphum. Fruere modo Luſitaniæ Lyrâ, ubi dudùm.

Dæmonibus imperat.

Vis portentoſa Imaginis D. Ignatij.

Dùm fugis, ô Pluton, ſocij fugere Typhæi.
Et data ſunt turpi pallida terga fugæ.
Unica Loiolæ, Pluton, te pellit Imago:
Unica Loiolæ pellit Imago tuos.
De te, déque tuis ſacra dedit Imago triumphos:
O pudor! En victor præmia pictus habet.

Pimens.

Quis iam neget, ſanctiſsimum Loiolam in imagine vivum? Eadem vis illi in imagine picto, qualis in corpore vivo. Vivens Ignatius terror fuit dæmonum, ægrotantium ſolatium. Nihil minus habet mortuus: quoniam ad eius effigiem, & dæmones diſpârent, & morbi.

3 Oculorum potentiam ſatis ſuperque hac totâ Commutatione

ne oſtendimus. Sed nondum vidimus oculos pictos, aliquâ virtute ornatos; quia necdum pictum Ignatij vultum contemplavimus. Undè porrò vis tanta faciei pictæ? Nimirùm à vultu Dei precibus Loiolæ in ora ſua tranſpoſito. Audi iterùm mellitiſſimum Pimenta.

In facie pictâ Loiolæ Dei vultus micat.

Undè poteſt tantùm facies? Loiola precatus
Tranſtulit in vultus Numinis ora ſuos.

Fulget itàque miraculis picta Loiolæ facies; quoniam micat in eâ divini vultûs potentia. Eccli. 7. 12. Qualis iſthæc. Audi: *Eſt qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus*, inquit Sirachides. Profectò Deus eſt, qui arrogantem humiliat, quique humilem exaltat, vel deportis mortis. Verùm id exequi ad Omnipotentiam attinere videtur. Qui ergò in oculos Numinis regerit Eccleſiaſticus? Cùr non dixit: *Eſt qui humiliat, & exaltat Omnipotens Deus*, ſed, *Circunſpector*? Quià, nimirùm, facies Numinis Omnipotentiæ ſedile. Intuitu ſolò quidquid vult, exequitur. Aſpicit duntaxat, & cadunt arrogantes, ſublebanturque abjecti. Felix homo, vel miſer, quem ſuo Dominus dignatur obtutu. Infelix ſuperbus, in quem oculi divini collimant. Exaltabit ille caput: huius cervix conteretur. Regnat ergò Omnipotentia in facie Numinis: quippè circumſpiciendo ſolummodò, aut beatos ille facit, aut contemptos. *Eſt qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.*

Dei oculi ſedile Omnipotentiæ.

Superbos conterunt, humiles extollunt.

4 Eccè undè faciei Loiolæ tàm mira poteſtas. Nimirùm, ſplendet in ea, veluti in ſpeculo, Divinitatis vultus. Mirabaris ad pictam Imaginem dæmones formidine oppreſſos; immanem mortem devictam; rebelles morbos fugatos? Deſine mirari. Proſtat in illa facie potentiſsimus Numinis vultus. Spectat in illa Imagine teterrimus Sathan; ſpectat mors dira; ſæviſque dolores ſpectant, non tàm pictam Loiolæ faciem, quàm oris divini Majeſtatem, inibi micantem. Hinc tanta Ignatij vultui poteſtas, quoniàm ab ore Numinis habuit tàm mira poſſe præſtare. *Eſt qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.*

5 Quanta porrò Ignatij virtus, Imagine ſola dæmonum ſuperbiam conterere, ægritudinumque moleſtias abigere? Rogo, ut D. Petri miracula expendas. Conſule Apoſtolorum Annales, ubi leges ſequentia: *Ità ut in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltèm umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Et nè putares, ad ſolas corporis naturales moleſtias, non etiam ad diabolicos incurſus deprimendos, umbræ Petri virtutem extendi; protinùs additur. *Concurrebat autem, & multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem, afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui omnes curabantur.* Nulli alio Apoſtolorum hæc gratia conceſſa legitur, præter quàm uni Petro. Plurimis ſanè miraculis eos coruſcaſſe novimus; ſed miniſterio, & applicatione manuum, quod Lucas narrat: *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe.* Quin & datum ijſdem per ſola verba facere ſigna, minimè dubitandum. Ampliſsimam facultatem illa Chriſti verba continent: *In nomine meo dæmonia eijcient, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

Comparatio D. Ignacij ad Apoſtolum Petrum.

D. Petri umbra ſalutaris. Act. 5. 15.

D. Petrus per umbram, alij Apoſtoli per manus, aut verba miracula faciebant.

Ibid. 12.

Marc. 16. 17.

6 Vide Petri ſingularem prærrogativam ſupra Apoſtolos reliquos. Illis datum eſt duntaxat miniſtrâ manu, aut voce ſonante, morbos pellere, dæmoneſque fugare. Huic uni conceſſum ſolâ umbrâ hæc omnia præſtare. Profectò miracula, ſi virtutem activam ſpectes, quam divinam eſſe, & infinitam oportet, omnia ſunt paria. Tamen, ſi rerum

Miracula omnia paria quo ad virtutem, ſed quo ad res diverſa.

rum naturam, aut modum, qui in ijs faciendis adhibetur, attendas, inæqualia comperies. Curare itàque per ſolam umbram mirabilius eſt, quàm per contactum, & verbum. Quoque reliquos Apoſtolos, ut in Primatu, ita & in gloriâ miraculorum antiſtaret Petrus; huic uni conceſſum, ut ſolâ umbrâ prodigia conficeret, quæ non niſi manu, vel voce Coapoſtolis exhibere donatum. *Ut ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum.*

Pictura nata ex umbris.

Plin. Clem. Alex.

7 Quid aliud umbra eſt, niſi quædam corporis effigies? Profectò non aliundè, quam ex formatis per umbram imaginibus natam picturam Authores tradunt, ut Plinius *lib.* 35. *cap.* 3. & Clemens Alexandrinus in *Pæd.* Per ſui ergò Imaginem mirabilia operatus eſt Petrus, cùm corporis umbrâ, & morbos compeſcuit, & dæmones. Habes, cui ſimilem dicas Loiolam. Imagine valet Petrus: Imagine Ignatius. Ad Petri effigiem diſparent morbi, immundi fugantur ſpiritus. Ad Imaginem Loiolæ mors hæret, Tartara pavent. Quid poteſt de Ignatio predicari glorioſius, aut ſublimius? Cæteris Apoſtolis datum eſt facere ſigna per contactum, vel ſonum linguæ; Petro, & Ignatio per ſolam etiam vacuæ Imaginis ſpeciem. *Ut ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Sanctorum Imagines venerandæ.

Petri præſentia, non umbra, ſanabat.

8 Addam hìc aliquid, quod Ignatij gloriam haùd parùm commendare crediderim. Non umbram Petri, ſed corpus per umbram contingens ægros, infirmitates fugaſſe, notant communiter Patres, & Expoſitores. Umbra quippè, cùm ſit mera lucis privatio, nihil prorsùs efficere valet. Solâ itàque Petri præſentiâ ſanabantur, qui ſub illius corporis umbra veniebant. Ergò quòd ex ærumnijs recreabantur infirmi, non Petri effigies effecit, ſed corporis virtus. Lorinum audi in *Expoſitione* huius loci: *Neque tamen umbra Petri per ſe operabatur, cùm ſit privatio, ſed præſentia Petri.* Quid modò dicam de Loiolæ effigie? Nùm à corpore habet, quòd tam mira patrat? Atqui prorsùs ſemota à corpore pendet. Res mira! Ad Petri effigiem curantur infirmi, dæmones exulare cogùntur; ſed quoniam Apoſtolus adeſt. Abeſt Ignatius, imò, & Ignatij corpus abeſt; & tamen coràm Imagine ſolâ ſimillima miracula fervent. Magna profectò Thaumaturgia Petri. Sed quę à miraculoſa virtute Loiolæ quodammodo vinci patiatur. Petrus quippè, ubi obumbrabat, ſanabat. Erat enim umbra corporis quaſi meta virtutis. Haùd ſat erat ęgrotis, Petri effigiem in umbrâ contemplare. Tangere oportebat, ut optatam ſalutem conſequerentur. *Ut ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.* Quid vero Ignatius? Longiùs ſuam virtutem expandit: quippè quæ terminum alium neſcit, quàm oculorum ſpatium. Adeò non opus habent infirmi Loiolæ Imaginem tangere; ſpectare ſufficit, ut priſtinæ incolumitati reddantur.

Lorin.

Virtus miraculoſa Loiolæ quàm longè diffuſa.

9 Ergò tantæ virtutis nobilius exemplum quæramus. Ecce ex Numeris præcunctis illuſtriſſimum. Graſſabatur in caſtris Iſrael ſerpentina lues. Juſta, nimirùm, Numinis vindicta in ſerpentinas linguas. Cui quidèm malo, ut Dominus tandem miſeratus occurreret, lignum erigere juſsit, in eòque ſerpentem æneum ſuſpendi. Ergò elevatur anguis in antidotum languidorum, ſolòque aſpectu medicina paratur. *Fecitque Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem quùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur.* Notaſtin? Qui videbant, vivebant. Solò aſpectu reſpirabant miſeri ab ignitorum ſerpentium lanienâ. Non æneum draconem attingere, non ſub illius umbram confugere, opus

Murmurantium pœna.

Linguæ cura.

Loiolæ Imago quaſi ſerpens æneus.

Chriſti paſsio contemplanda.

Num. 21. 9.

Serpens æneus.

Ingens, & altus.

opus erat. Vel longiſsimè poſitis halabatur ſalus, dummodo ſpectare contingeret. Ob id namque tantæ fuiſſe molis, tamque in ſublime erectus, ſerpens ille creditur, ut, nimirùm, per vaſtiſsima caſtra, quęque facilè per ſex milliaria protendebantur, vulneratis circunquaque patêret. Et undè, rogas, æneo ſerpenti tàm prodigioſa virtus? Non ſanè à ſe ipſo, ſed à Chriſto in Cruce pendente, cuius typum gerebat. Quò pertinent tetraſtica quædam græca Theodori Podromi, quæ fecit latina, lege tamèn carminis haüd ſervatà, P. Lorinus *in Comment. hui. loc.*

Lorin.

Vivos dracones interficit æneus draco.
Num æs ſerpentes interficiebat?
Et ubi auditum eſt, æs eſſe in lethiferis?
Non igitur æs ſed typus crucis interficiebat.

Et typus Chriſti.

Clariſsimè Dominus ipſe: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Nimirùm, ea eſt Chriſti Domini ſalutifera virtus, ut vel ipſius figura, conſpecta duntaxat, vitam largiatur ijs, quos mors amara perdiderat. *Quem quùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur.*

Chriſtus in Cruce pereuntium ſalus.

Chriſti Imago ſalutaris.

10 Rogabas; undè æneo Draconi ſalus tanta? Reſponſum habes. Typus fuit Agni in Cruce ſuſpenſi. Mirabaris; quòd ſinè tactu revaluiſſent pereuntes? Agnoſce Chriſtum prefiguratum ibi. Umbram ſaltèm deiderabas pro pharmaco? Umbra Crucifixi vel quos non obumbrat, ſanat. Atqui à præfigurato longè figura diſtabat. Imago Chriſti, etiam abſente Domino, vitam ſpargit. Sed enim Chriſtum in Cruce mortuum præſignabat ille. Et hinc Domini virtutem ſtupe; quæ vel à defuncto in ſui effigiem tàm prodigè fuerit effuſa. Jàm illud ſcrutabaris avidiùs; quommodo, ſcilicet, ab æneo ſerpente ſolis oculis hauriebatur ſalus? Nè te torquas: Figura Chriſti eſt, quę ſe aſpicientes à mortis faucibus eruit. *Quem quùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur.*

11 Quid noſtro argumento convenientius? Videor mihi in Loiolæ Imagine ſerpentem alterum æneum videre. Non umbrâ ſerpens, non medio contactu virus lethale fugabat. Neminem obumbrat imago Loiolæ, tangitur à nemine; & nullius non morbus pellitur, evaneſcit lues. Procul ille poſitis amiſſam ferè vitam largiebatur. Nulla huic diſtantia obeſt, quin penè enectis remedium præſentaneum exhibeat. Abeſt Chriſtus; & in Typo ſalus abundat. Haüd videtur Ignatius; & ab effigie medicamina depluunt. Quid quòd apud utrumque ſolo aſpectu promeretur ſalus? Hoc in ſerpente æneo viſum: quippè Chriſti figura. Hoc in picta effigie conſuetum: quoniam Loiolæ icon. *Quem quùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur.*

Ignatiús cúr in ſua Imagine vivus?

12 Ex his abundè, ni fallor, manet evictum id quod initio propoſuimus probandum; Ignatium, nimirùm, in Imagine vivere. Ecquî non in Imagine vivat, qui alijs in Imagine vitam halat? Audi Moyſen: *Et erit vita tua quaſi pendens antè te.* Apud Tertulianum cont. Judæ. cap. 11. & 13. *Et erit vita tua pendens in ligno antè oculos tuos.* Haüd me latet, ſententiam iſtam frequenter exponi de Chriſto Domino in Cruce ſuſpenſo. Germanus autèm Patriarcha Conſtantinopolitanus *Orat. in Ador.* æneo illi ſerpenti adaptat non incongruè. Eius verba ſunt: *Moyſis dictum: Videbitis vitam veſ-*

Sancti vivunt in ſuis Imaginibus miraculoſis.

Deuter. 28. 66.

Tertul.

Imago Crucifixi vita noſtra.

Germ.

Patriarch.

veſtram pendentem antè oculos veſtros ; hunc ſerpentem innuere videtur. Atqui Chriſtus, cuius Typus ſerpens , mortuus jacuit in ligno. Quonam igitur pacto figura dicitur vita, ubi is, qui præſignatur , vitâ caret ? Num vivebat in ſerpente Chriſtus , qui in ligno pependit occiſus ? Ità. Vivit Dominus in ſerpente illo æneo, etiam quùm repræſentatur quaſi mortuus in Cruce. Vivificâ nàmque virtute ſerpens ille dùm fulget , ſalutis Authorem , à quo virtus illa deſcendit , præfigurat. Meritò itàque vita pendere dicitur , dum adeò vitalis anguis pendet : etenim mirâ modò in Imagine vivere noſcitur , qui de morte in Imagine triumphat. *Et erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos.* An non ante oculos mortalium pendet vita , dum Loiolæ Imago pendet ? Profectò. Id namque altè clamant tòt cæci illuminati , tòt claudi expediti , tòt languentes recreati , tòt energumini curati, tòt denique ab umbrâ mortis in lucem revocati. Viventem ergo ; an mortum dices Loiolam ? Utrumque rectè. Corpore mortuum ; ſed in Imagine vivum. vivit namque vel poſt funera clarus , cuius effigies halare vitas non ceſſat. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te.*

DISSERTATIO XIV.

CORRECTIO BLANDA ſeveriore potentior.

Correctio ſuavis potentior.

1 HOc diſcant animarum Paſtores, & diſcant ab oculis. Nullum ijs membrum teneriùs ; ſed & nullum ſubditorum moribus corrigendis potentius. Undè ajebat Sapientiſsimus Regum : *Rex qui ſedet in ſolio judicij , diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Putabam , tùnc omne facinus fore è Reipublica eliminandum , cùm dexterâ Rex armatus deſæviret in inſontes. Nam, ut inquit ille:

Vetantur peccare mali formidine pœnæ.

Verùm credendum Regi , quę de Rege pronuntiat. Imò non Regi, ſed Deo , qui loquitur in illo. Non manu armatâ , ſed ſimplici obtutu Regem profligare crimina , Salomon docet : quòd manus armata nimis ſit dura; ſimplex contuitus valdè ſuavis. Et compeſcendis delictis multò potentior eſt humanitas Regentium , quàm ſeveritas. *Rex qui ſedet in ſolio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Proverb. 20. 8.

2 Errant, errant Judices , qui ut delicta ſubditorum coerceant, minis agunt , & terroribus. Faciliùs dura mollibus , quàm aſperis penetrantur. Et blandimentis potiùs lenitatis , quàm aſperis caſtigationibus duros animos liquabis. Quantis egit Moyſes, ut à petra extorqueret rivulos! Aſt quàm nullo fere negotio à Petro Chriſtus lacrymas elicuit! Prodigioſam ille Virgam arripuit, elevavit , geminoque ictu ſilicem repercuſsit. *Cùmque elevaſſet Moyſes manum , percutiens virgâ bis ſilicem , egreſæ ſunt aquæ.* Quid porrò Chriſtus ? Unico aſpectu Petrum colluſtravit. *Converſus Dominus reſpexit Petrum. Et egreſſus foras Petrus , flevit amare.* Silex , niſi bis percuſſus, non emolleſcit in latices. Petrus , qui jam obrigueràt in petram , ſolo & uno aſpectu tenereſcit in lacrymas. Potuit unus reſpectus corrigentis oculi , quod non valuit unus ictus percutientis virgæ. Adeò vel lapidea corda faciliùs humanitate domabis, quàm aſperitate diſciplinæ. Cordis duricies ægre aſperitate tollitur. Correctio oculorum efficatior , quàm virgæ. Num. 20. 11. Luc. 22. 61. 62. Petri converſio. Chriſti reſpectus lacrymas elicit.

3 Dubitatur à multis ; cur ad primum Virgæ Moſaicæ ictum non ſtatim ſilex largitus eſt aquas ? Diverſi diverſa dicunt. Supetior durus.

Ego

Ibid. 8.

Ego cenſeo, hanc petræ reluctantiam à Moyſis ſeveritate obveniſſe. Præceperat ei Dominus, ut virgâ inſtructus, ſolis verbis imperaret ſilici. *Tolle virgam. Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Quod autem percuteret, minimè mandavit. Certè non legimus. Hinc ad primum virgæ ictum lapis reſtitit, abſdubio miſſurus aquas, ad primum vocis ſonitum. Ignoraſſe tunc Moyſes videtur artem emolliendi cautes, néque ſatis Domini doctrinam caluiſſe. Putavit ille, facilius verberibus, quàm voce, petræ duriciem fore domandam. Atqui Dominus ad ciendos ex ea latices, ſat eſſe vocem prædixit. *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Bis ergò Moyſes habuit percutere, qui una voce potuiſſet aquarum gurgites impetrare à ſilice. Expertus eſt duriciem lapidis, quòd durè cùm illo egit: nimiſque rebellem ſenſit, quòd non blandâ voce commonuit. *Percutiens virga bis ſilicem.*

Dura corda leniter caſtiganda; né magis indureſcant.

4 Habent Superiores præclarum pro emolliendis lapidibus documentum. Noverint, ſe in id muneris eſſe vocatos, ut corda, interdùm duriora ſaxis, in lacrymas tenereſcere doceant. Sed Domini vocem potiùs quàm zelum Moſis attendant, oportet. Subditos, ſi quos habent corde lapideos, animóque induratos, non ſtatim virgâ percutiant, ſed leni verborum adhoratione demulceant. Fortè rigore virgæ lacrymas illi dabunt. Sed fortè ad ſolam vocem liqueſcent. Cùr ergò aſperioribus utendum remedijs, ubi blandiora ſufficiunt? Aut cur vi extorquendæ lacrymæ, quæ multò placidiùs, clementiâ obſtetricante, fluerent? Quid obſtinatiùs ſilice? Nihilominùs tamèn illicò dediſſet aquas, ſi verbis eam deliniſſet Moyſes. Quoniam verò ſtatim venit ad flagella, non niſi poſt geminum ictum impetravit rivulos. Dura corda, qui priùs verberibus, quàm verbis, emollire tentat, mirùm erit, ſi poſt repetita vulnera in lacrymas erumpere cogat. *Percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ.*

Superioris officium emollire ſaxa.

5 Quamquàm quale conſilium eſt, priùs in corrigendo uti virgâ, quàm voce? Ordo ſanè præpoſterus, à nulloque ſapientium non reprehenſus. Exerenda eſt virga, ſed ubi nihil remedia blanda profuêre. Non diſplicet ſeveritas; ſed inviſa eſt improbitas præſulum, cæco impetu, & importuno zelo ferream virgam arripientium. Furor hic eſt, non zelus. Nam furor arma miniſtrat. Et qui vero zelo aguntur, priùs periclitantur miſericordiam, quàm ſeveritatem expediant. Geminum Chriſti Domini adventum ſacra nos Volumina docent. Alterum, ubi homines redempturus advenit: alterum, ubi judicaturus ſedebit. Heu porrò quantùm Chriſtus à Chriſto diſtabit! Ad judicium quippè veniet more fulminis, Matthæo teſte: *Sicùt fulgur exit ab Oriente, ità erit adventus filij hominis.* Ad redemptionem verò illapſus eſt, ſicut aqua è cœlo decidens; quod prædixerat Pſalmographus. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Notaſtinè ſcenę a ſcena diſcrimen? Nam quid pluviâ ſalubriùs? Quid verò immanius fulgure? Irrorante pluviâ, facies aridæ lætatur, prata rident, germinant campi. Ruente fulgure, ingemiſcunt montes, quatiuntur turres, & obvia quæque flammantur. Cùr ergò Dei Filius, qui ſub his figuris res hominum exequi decreverat, non fulgur elegit adventui primo, pluviam ſecundo? Nimirùm, præfectus fuit à Patre cunctis mortalibus, iuxta illud Davidicum: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Quod & cecinit quòque Sybilla:

Superior clementia utatur antè ſeveritatem.

Tardus ſit ad penas.

Adventus Chriſti duplex, ſed valdè diſpar.

Matth. 24. 27.

Pſal. 71. 6.

Chriſtus fulgur, & pluvia.

Prælatus pluviâ ſit, non fulgur.

Pſal. 2. 6.

Sybilla.

Ipſe dedit Deus ut à fidelibus coleretur.

In pluviæ irroratione nil non ſuave ; in fulgoris ictu nil non aſperum. Et qui hominum regimini præſunt , delinquentes priùs mulcere debent blandimentis lenitatis , quàm verborum acrimoniâ contere. Priùs , inquam, ut pluvia cordibus peccatorum illabi , quam in morem fulguris immaniter deſævire. *Sicut pluvia , ſicut fulgur.*

6 Nota verò maximè , quod Chriſtus D. cùm apparebit in fulgure , tùm peccatores miſerrimè perdet. E contra verò ſalutem attulit mundo , quandò deſcendit , ut pluvia. Severitate ergò peccatores interimet , qui benignitate fugavit peccata. Videant Præſules nimiùm ſeveri, nè fortè peccatores perdant, quando in peccata plus ſatis iraſcuntur. Plurimi quondàm fuere , qui zelo divini honoris accenſi , gravia flagitia delevêre. Sed qui , dum finem peccatis voluerunt imponere , viram quòque peccatoribus finierunt. Moyſes Idololatras cæcidit : Phinees adulteros confodit , Joſue lapidibus obruit Achan ; Jehu præcipitio colliſit Jezabelem ; Elias Pſeudoprophetas ad Torrentem Ciſon interfici juſsit , duòſque quinquagenarios principes igne cœleſti conſumpſit. Profectò zelus iſte multa ſuſtulit è mundo peccata. Verùm & multos quòque peccatores abſtulit è medio. Haùd reprehendo zelum , quem approbavit cœlum. Sed paucorum eſt , ſanctiſsimè iraſci. Quid porro Chriſtus ? *Ecce Agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi.* Tollit peccata , verùm ſalvat peccatores. Sordes abſtergit , quin veſtimenta dilaceret. Crimina conſopit ; ſed vitæ reorum parcit. Hæc ut Agnus. Diſsimilima ut Leo. Talem ſe in noviſsimo exhibebit adventu. Tunc quippè rugiet horrendùm , impioſque diſcerpet atrocitèr ; ut fiat ſermo , qui ſcriptus eſt : *Dominus de Sion rugiet.* Agnus ergò tollit peccata. Leo verò peccatores perdit. Qui ſalvas optat animas à peccatis , Agnum agat, non Leonem. *Eccè Agnus Dei, eccè qui tollit peccata mundi.*

Severitas nimia Prælatorum extinguit peccatores; Clementia tollit peccata.

Zelantes veteris legis.

Joan. 1. 28.

Chriſtus Agnus , & Leo.

Ut Agnus tollit peccata. Ut Leo perdit peccatores.

Joel. 3. 16. Prælatus ſit Agnus , non Leo.

7 Hinc illæ voces Sponſæ , de hortuli ſui amœnitate ſolicitæ. *Surge Aquilo , & veni Auſter, perfla hortum meum , & fluent aromata illius.* Ec cùr tàm prudens Femina Aquilonem abire jubens , Auſtrum devocat in hortum ? Quoniàm Aquilo durus ventus eſt , procellarum & turbinis excitator , aſper & rigidus ſemper. Undè *ſævum* vocat Propertius lib. 3. Cant. 4. 16.

Auſter , non Aquilo.

Aquilo durus, & aſper.

Propert.

At tu ſæve Aquilo nunquam mea vela videbis.

Et Martialis *Iniquum* lib. 10. Martial.

Stridenteſque feram flatus Aquilonis iniqui.

Auſter verò ſpiritus lenis eſt , benignus , & placidus. Undè Valerius Flac. lib. 6. Auſter benignus.

Lenibus alludit ſlabris levis Auſter. Valer. Flac.

Et Baptiſta Mantuanus: Bapt. Mant.

Mittit ad Ethruſcos , Auſtrique tepentis ad axem.

Favet quòque Naſonis argumentum ab impoſsibili , lib. 4. de Pont.

Et tepidus Boreas , & ſit præfigidus Auſter. Ovid.

Sed præſtat audire doctiſsimum Gillebertum ſerm. 39. in Cant. *Ille Aquilonis ingratus ; ideoque illi tanquàm gravi , & ponderoſo prementique dicitur , ſurge: hic tanquàm lætus , gratuſque invitatur , ut veniat , & perflet hortum Sponſæ. Ille minax eſt, hic blandimentis , delicijſque manans.* Verùm Auſtri adventus quæ utilitas ? *Et fluent* , inquit , *aromata illius.* Felix hortus , quem perflat lenis Auſter. Miſer , in quem ſævus Aquilo exufflat. Furente Borea , devaſtata fuerat, exuſtaque facies Viridarij Sponſæ. Ablandiente Auſtro , valdè copiosè exundarunt aromata. *Et fluent aromata illius.* Ergò , qui hortus eſt benignitate Auſtri , fit deſertum ſeveritate Aquilonis. Timeant Prælati , nè Religionis hor-

Gilleb.

Lapſi blandè erigendi.

Prælati auſteritas valdè nocet.

hortos, quos cœleſtis Aura excoluit, duro ipſi aſperitatis turbine in miſerandam ſolitudinem redigant.

Superior amore ducat.

8 At, inquis, timoris quoque impulſu frequentèr viſi ſunt Subditi, pretioſa germinare aromata. Nego. Certè dum Boreas in horto regnat, vel aromata omninò non lacrymantur; aut ſiquæ liqueſcunt, non niſi in guttulas erumpunt ſteriles. Verùm perflante Auſtro, fit ingens aromatum copia. Choro, inquis, inhærent, quos intrare compello. Orationi vacant, quos ligatos teneo. Profundè ſilent, quorum ora obſtruo. Frequentèr illacrymantur, quos comprimo. Obſervantijs invigilant, ſuper quos invigilare non deſino. Euge Præſulum rectiſsime! Sed cave, nè ſpuria ſint, & notha, quæ tibi aromata pretioſa videntur. Non illi in choro pſallunt, ſed ſubmurmurant. Non orant, ſed corde vagantur. Non ſilent, ſed latibula quærunt, ubi cum amicis garriant licentiùs. Non lacrymantur ex corde, ſed ex cute. Nimirùm, non illa agunt, ut Deo placeant, ſed ut tibi illudant. Curant minima, ſed graviora contemnunt. Poſtremo, quæ oſtentant, non vera ſunt aromata, ſed fucata, ſed apparentia, ſed evanida. Talis fructus dat hortus, ubi Aquilo preſidet. Crede mihi, pretioſa aromata exundant, ubi blandus Auſter inſpirat. Impetrabis clementiâ, quod rigore non extorques.

Timor humanus facit hypocritas.

Prælati ſævitia terret ſubditos, non convertit.

9 Audi regium Pſalten Domini potentiam extollentem: quod & terræ fundamenta concutiat, & montes ſolidiſsimos in ceræ morem eliquet. En primum. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra.* En alterum. *Montes ſicùt cera fluxerunt à facie Domini; à facie Domini omnis terra.* Rem notatu dignam expende. Fulminibus terra jaculatur, & contremit duntaxat. Faciem Domini montes vident, & eliquantur. Quis non ſuſpicaretur oppoſitum? Id eſt: fulminum igne montes eliquandos; vultu autem Domini orbem terræ commovendum? Quid quòd à facie Domini non tantum montes, verùm & omnem terram fuiſſe liquefactam, regius Vates cecinit? *Montes*, inquit, *ſicùt cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* Ita ne? Defluit terræ moles à facie Domini, & à fulminibus commovetur duntaxat? Ità profectò. Etenim corda terrena non fulminum ità, ſed vultûs benignitate liquantur. Fulmina territant; ſed vultus eliquat. Tonet Prælatus horrendùm; crepitantibuſque fulminibus in orbem ſibi ſubditum deſæviat. Quid? Pavère illum faciet, tremere, commoveri. Ut autèm liquidus fluat, omninò non faciet. Perſiſtet in ſuâ pigredine terra, monteſque tumores ſuos durabunt. Poſt ſubitam illam commotionem terra, terra manet, montes, montes. Superbus non detumeſcit: nèc ſegnis tarditatem deponit. Solo ergò vultui cùm terra, tùm montes cedere conſueverunt. Placidè nàmque defluunt, atque colliqueſcunt in ceram, ubi à facie Domini corriguntur. Vultus inviſentis Prælati vel duriſſima corda tranſmutat in cerea. Fulmen ſævientis territat, non mutat: illa quippè perturbatio, quam extorquet à ſubditis, pura puta commotio eſt, non converſio. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Montes ſicùt cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.*

Correctio mitis vel duriſſima eliquat.

Facies potentior fulmine.

Converſio ficta.

Pſal. 96. 4.

Ibid. 5.

10 Mancos ergò facis Prælatos, inquies, a quibus Virgas, & fulmina extorques; faciemque ſolam pro correctione permittis. Falleris. Expedit ſanè Prælatis, nonnunquàm manibus uti. Pulſandi quippe ſunt ſubditi,

Prælati qualiter manibus uti debeant.

diti, non tantum colluſtrandi. Verùm id quàm blandiſsimè fiat, oportet. Adeò, nimirùm, ut non tàm manibus, quàm oculis miſeri ſe putent attingi. En huius doctrinæ Magiſtrum probatiſsimum. Angelum dico, qui jacentem Danielem, ac pene exanimem, erexit, & confortavit. Mirum verò quâ arte. Ipſe Daniel exponit. *Tetigit me*, inquit, *quaſi viſio hominis, & confortabit me.* Quid ais Propheta diſſertiſsime? Num tactus fiunt viſione? Manibus certè tangimus, oculis autèm videmus. Quàmque repugnat manibus, attactu quid videre, tàm contradicit oculis, viſione attingere. Diceret ergò Propheta, ſe ab Angelo fuiſſe quaſi manu tactum. Verum, quaſi viſione? Obſcura nimis locutio. Obſcuram agnoſco; ſed quę ſub tanto verborum involucro valdè utilem doctrinam adſervet. Commutatio eſt clariſsima; quâ, quod proprium eſt manibus, oculis tribuitur: in egregium, videlicèt, documentum Prælatis; ut diſcant, quantâ cum lenitate ergà lapſos Subditos ſe gerere debeant, ſiquidem manus erit adhibenda. Sanè manu Angeli pulſatum fuiſſe Danielem, ipſomet narrante cognovimus: *Et ecce manus tetigit me.* Cùr ergò ſe dicit attactum quaſi oculorum viſione; niſi quiâ uſque adeò ſuavis tactus fuit, ut magis videretur ab oculis profectus, quàm à manibus? Viſione tangi dicitur, qui tactum non ſentit. Is namque ſolùm pulſari manu cenſetur, cui tactus dolorem facit. Sapienter itàque Vates manuum conctatum, quo ab Angelo fuit roboratus, viſioni oculorum tribuit: Angelorum quippè eſt, dùm ad manus eſt veniendum, ità temperare impulſum, ut non manibus, ſed oculis lapſos tangere videantur. *Tetigit me quaſi viſio hominis, & confortavit me.*

Daniel. 10. 18.

Lapſi blandè erigendi.

Oculis tangere, quid.

Ibid.

11 Quàm verò ſuaviſsimus tactus efficax ſit ad debilium corda roboranda, conſtat dilucidè ex eadem narratione prophetica. Bis ſe ab Angelo fuiſſe tactum Daniel refert. Primo: *Et ecce manus tetigit me.* Secundo: *Rurſum ergo tetigit me.* Verùm, quamquam manus fuit eadem, & planè cœleſtis; effectus tamèn non fuit utrobique idem. Primô namque contactu erectus quidem eſt Vates ſuper genua, ſtetitque in gradu ſuo; ſed adhùc toto corpore contremiſcens. *Erexit me ſuper genua mea. Steti tremens.* Poſtremò autèm ità confortatus; ut jam vocem Angeli non formidaret audire. *Et confortavit me. Loquere Domine mi, quià confortaſti me.* Vides nè, ut ad ſecundum contactum fortiùs Propheta convaleſcat, quàm ad primum? Undè verò diſcrimen? Num quia prior remiſior, poſterior validior? Quinimò totum oppoſitum. Ideò firmior ſtetit ad ſecundum, quam ad primum, quoniam ſuavior ictus poſterior, quàm prior. Primô namque ità pulſatus fuit Daniel, ut manûs ictum ſentiret. *Et ecce manus tetigit me.* Poſtremô autèm tàm blandè attactus, quàm ſi oculorum blandimentis fuiſſèt delinitus. *Tetigit me quaſi viſio hominis.* Uſquè adeò quò ſuavior Prælatorum manus eſt, eò firmiùs eriguntur invalidi. *Steti tremens. Confortavit me.*

Manus eò efficatior, quò blandior.

Dan. 10. 10.

Ibid. 18.

Ibid. 11.

Ibid. 19.

Lapſi quomodo erigendi, ut perfectius convaleſcant.

12 Ad iſta quoque ſubmuſſas, & tamquam importunè adducto, nec hilum exemplo cæleſti commoveris, ut aliquid de ſeveriore correctione remittas. Tetigit Angelus, inquis, quàm moliſsimè jacentem virum; ſed Prophetam, ſed Myſtam, ſed Dei familiarem; ſed qui corruerat, non peccatorum pondere oppreſſus, ſed Angelica Majeſtate conterritus. Ad propoſitum quid inde? Num pari lenitate agendum eſt cum impijs, ac cum juſtis? Ut tu gnaviter ſeveritatem

S. Daniel Propheta.

tem tuam defendis ! Verùm, si exemplum illud, quasi parùm idoneum non arridet ; age, & Deum intuere, Jeremiam, Gentibus, & Regnis præficientem. *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super Regna.* Intuere & ceptrum, quo illum voluit instructum. Virga est, sed vigilans. *Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Virgam vigilantem ego video.* Virga est ; sed *oculata.* Ita exponit Viegas in *Apoc. cap.* 5. Virga est correctio, sed plena oculis. Hâc Virgâ instructum voluit Dominus Jeremiam, cùm Regnorum, & Gentium præsidem renuntiavit ; ut doceret, nimirùm, in corrigendis subditis, tàm blandè virga ipsi utendum, quasi si feriret oculis. Sceptrum, quod à Deo traditur, haùd cæcum est, sed oculatissimum. Punit, sed oculis. Læditur, dùm lædit. Vulneratur, dùm vulnerat. Dolet, quòd dolere facit. Hinc, ut oculis suis parcat, parcit ab impetu ; & nè charissima lumina offendat, quàm mollissimè punitionem exequitur. Vide ut spectaculo virgæ oculatæ Jeremiam Dominus in Principem clementissimum voluerit recudere. *Virgam vigilantem ego video.*

Jerem. 1. 10.

Ibid. 11.

Vieg.

Virga oculata Symbolum Prælatorum.

Clementia Prælatorum.

13 Verum restat, Populorum, & Gentium, quibus Jeremias præficitur, mores inquirere. Scrutinium perfacile. Etenim clarissima sunt Domini verba : *Dereliquerunt me, & libaverunt dijs alienis, & adoraverunt opus manuum suarum.* Idololatræ itaque erant, atque adeò ingrati, rebelles, fœdifragi, & perjuri. Et ne putes, paucorum hæc fuisse vitia ; en tibi Dominum quærentem inter omnes virum justum, ut illis misereretur, nec tamèn invenientem. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus ; an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem : Et ero propitius ei. Quod si etiam vivit Dominus dixerint: & hoc falsò jurabunt.* Omnes ergò tàm ex plebeis, quàm optimatibus in pravitatibus suis, & idololatriâ indurati erant, & effusi. Vides nè homines perditissimos, flagitiosissimos, inquinatissimos ? Hos tamen Deus corrigere Jeremiam docet, non ferro, non flammis, non loris, sed virgulâ, eâque oculis refertâ, ut blandiùs ferire discat. *Virgam oculatam ego video.* In uno Jeremiâ Prælati instruuntur omnes. Virgam illi oculatam ostendit, vel cùm destinavit ad impios castigandos. Quatenùs hoc Symbolo Deus eam à Præsulibus opinionem penitùs amoveret, quâ suum iri transversum zelum putant, ni fulminibus, & diris desæviant in impios, virgulis teneris in correctionem bonorum reservatis.

Prælati blandi sint etiam cum impijs.

Ibid. 16.

Jerem. 5. 1. 2.

Dei misericordia.

Vir justus concivium protectio.

14 Atqui ollam quòque igni vomam in eadem scenâ spectavit Jeremias. Spectavit equidèm, sed secundo loco. *Et factum est verbum Domini secundò ad me dicens : Quid tu vides ? Et dixi: Ollam succensam ego video.* Et virgis, & flammis instructus debet esse superior ; sed priùs illi contemplanda objicitur virga vigilans, quàm ola succensa ; ut discat, in iniquos non ardère, ante quàm nitissimè corrigat. Licet, licet Prælatis, ignescere. Cùr enim perpetuò frigeant? Verùm non licet semper ardere. Nam ubi clementiæ locus? Ollam igitùr virga præcedat, & oculus flammam. Tentanda priùs blanda correptio, & si nihil profuerit ista, tùm demùm zelus justitiæ exardescat in impios. *Virgam vigilantem. Ollam succensam.*

Jerem. 1. 13.

Clementia prius.

Zelus discretus sit.

15 Verùm hic ardor justitiæ in vindictam peccatorum ebullit, non in correptionem. Eò quippè succenditur olla, ut peccatores inflammet, quos blanda virga flectere ad pœnitentiam non valuit. Dùm autem de con-

verſione impiorum eſt ſermo, in eâ ſum opinione, ut putem, blanditijs melius, quàm ſuplicijs eos iri converſum in probos. Audi cæleſte monitum, quo regendi artem Dei Agnus Petrum edocuit, cùm Paſtorem ſui gregis inſtituit. *Paſce agnos meos. Paſce agnos meos. Paſce oves meas.* Ter monuit, ut paſceret; ſed nè ſemel quidèm, ut percuteret. At qui & baculo, & fundâ David paſtor incedebat armatus; ut tùm lapide, tùm virgâ errantes oves revocaret ad caulam. Qui ergò Petrus ovem vagantem reduceret, nullo inſtrumento terroris formidabis? Pabulo. Feliciùs paſcuis, quàm tunſionibus Oves Chriſti corriguntur ad frugem. Baculo, & fundâ non rarò læduntur oves, ſemper terrentur. Paſcuis nunquàm non oblectantur. Et Bonus Paſtor, cum Petro ſui gregis curam commiſit, non de baculo, non de fundâ cum admonuit, ſed tantùm de paſtu: quoniam ars optima ſervandi Chriſti gregem illa eſt, quę allicit; non quæ terret, non quæ tundit, non quæ cædit. Quid, ſi ſæpè aberret ovis? *Paſce.* Quid, ſi turpi ſcabie laboret? Paſce. Quid, ſi Agnus interdùm petulantiùs laſciviat? *Paſce.* Ita ne paſcendum tantùm? Ità profectò ijs, qui Ovilis Chriſti curam gerunt: etenim illa medicina ſalubrior eſt, non quæ ſecat, ſed quæ nutrit: namque & herbis feliciùs curantur corpora, quàm inciſione venarum. *Paſce. Paſce. Paſce.*

Joan. 21. 15. 16. 17.

Oves Chriſti Paſcendæ, non vulnerandæ.

Correctio indiſcreta.

Apoſtatę blandicijs trahendi.

16 Quòd ſi blandimentis melius, quàm aſperitatibus, animorum infirmitates curantur; ergò quò quis jacet deſperatiùs, eò dultiùs eſt alleviandus. Conſequentia firmiſsima in ſcholâ charitatis; quamque cæleſtis Medicus ſuâ praxi nobilitavit. Lector attendat. Plures mortuos fuiſſe à Chriſto Domino ſuſcitatos D. Auguſtinus cenſet; quanquàm tres ſolos Pagina ſacra commemorat. Puellam, nimirùm, Adoleſcentem, & virum. Infirmorum verò, quos curaſſe conſtat, non eſt numerus. Illud porrò intereſt, quòd infirmos, quibus ſalutem impertijt, ſolitus erat, deterrere à peccatis; nè in pejorem morbum reciderent. *Ecce ſanus factus eſt: noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* Mortuos verò, quos excitavit, hâc ſuper re nunquàm commonuiſſe novimus. Puellæ ſuſcitatæ nullum verbum dixit. Id tantùm habemus: *Tenuit manum ejus, & ſurrexit Puella.* Adoleſcenti, ſolùm ut reſurgeret, imperavit. *Adoleſcens, tibi dico, ſurge.* Virùm item dè ſepulcro vocatum, liberum abire juſsit. *Prodijt qui fuerat mortuus. Solvite, & ſinite abire.* Quid ergò eſt, quòd à ſe ſanatos, ut à peccatis caverent, Dominus monuit; ſuſcitatis verò tàm ſalubre conſilium non inſpiravit? An illi qui languebant, peccantium erant Imago; non illi, qui perierant? Imò è contrà. An verò ideò, quià ſola mors ſufficit ad documentum perfectioris vitæ? Quis enim poſt ſepulcri horrorem vitæ huius delicias amet? Putredo, & vermes præclari ſunt reformandæ vitæ Magiſtri. Satis egregium Prædicatorem ſecum ducit, qui aliquando in ſepulcro jacuiſſe recordatur. Eleganter ſanè.

Joan. 5. 14.

Matth. 9. 25.

Luc. 7. 14.

Joan. 11. 44.

Mortis memoria vitæ renovatio eſt.

17 Subolet tamèn hoc loci neſcio quid opportunioris doctrinæ. Perfectior ſanè peccatoris effigies Defunctus, quàm Æger, eſt. Hunc tamèn monuit Dominus, non illum; ut Prælatos doceret, humaniùs eſſe tractandos ſubditos, qui graviùs jacent, quàm qui leviùs. Eos, quos à mortis faucibus deglutitos vides, cura, ut extrahas; verum nè corrigito. Sat eſt, ſi manu faveas; ſuper vacaneum coercere lingua. Adhùc delicatior eſt, quàm ut correctionem ſuſtinere valeat. Recens natus è tumulo, manu alleviandus eſt, non aſperi-

Graviores peccatores mitiùs tractandi.

Confeſſarij nimis auſteri.

ritate terrendus. Ergò Infirmus, cùm ſanatur, corrigi poteſt; Defunctus, cùm excitatur, corrigi non debet. Illum reprehenſio ſervabit à morte; iſtum blandicię revocabunt à tumulo. Cavendum eſt, nè non correptus ille peccet; metuendum, nè ſi reprehendatur iſte, deſperet. Ergò porrige manum Defuncto, ut vivat; Infirmum corrige, nè moriatur. *Tenuit manum eius, & ſurrexit Puella. Ecce ſanus factus eſt. Noli peccare.*

DISSERTATIO XV.

CHRISTI OCULI VITALISSIMI.

Malach. 4. 2.

1 *ORietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Verba ſunt Malachiæ Prophetæ, cæleſtem jacenti Mundo Medicum prænuntiantis. Eleganti porrò metaphora Soli Chriſtus comparatur, cùm medendi officium curaturus prædicitur: Sol quippè ubi radios ſpargit, ibi ſalutem diſſeminat. Undè vocatur à Marullo ſalutifer.

Chriſtus Soli comparatus.

Sol ſalutifer.

Marul.

Inferna ſalutifer omnia flammis
Ipſe ſuis luſtrat.

Et Medicus.

Hinc eſt etiam quòd ei tribuatur medendi poteſtas; quòd temperatus ſolis calor morborum omnium fuga eſt. Undè Apollinem quidam, quaſi *Apellonta*, hoc eſt, propellentem, & avertentem morbos, cognominatum putarunt. Et Athenienſes *Alexicacum* appellabant, quòd peſtilentiæ morbum, quo Attica affligebatur, excuſiſſe illum, crediderint. Eadem opinio *Soſpitalis*, & *Medici* dei in Romanorum quòque ſacris habebatur. Namque Virgines Veſtales ità indigitabant: *Apollo medice, Appollo Pæan.* Hinc Claudianus:

Apollo cur ita dictus.

Implorat Pæana ſuum conterrita Delos.

Claud.

Meritò itaque Chriſtus dictus eſt Sol à Propheta; ipſe quippè eſt noſter Apollo, ſanitatis præſes; imò reſurrectio & vita.

Chriſtus noſter Apollo.

2 Sed quid eſt illud: *Sanitas in pennis ejus?* Num ſol habet alas? Poeticè loquutus eſt Propheta, dùm pennas vocavit radios. Quem Virgilius imitaſſe videtur initio ſextæ *Æneid.* loquens de Dædalo.

Pennæ ſolis quæ.

Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo,
Reditus hic primùm terris tibi Phœbe ſacravit
Remigium alarum.

Virg.

Radij ergò ſolis pennæ illius ſunt, & in pennis geſtare ſanitatem dicitur: quoniam Salvator noſter ijs, ſuper quos vultus ſui radios expandit, mitificam ſanitatem impertit. Ægyptij ſolem pinxerunt quaſi avem, longas circumquaque pennas ſpargentem. Etenim ſol præſertim in ortu, utrinque radios in eam figùram conformat, ut avis alis expanſis videatur. Neque ſacer ſermo phraſim abhorret. Legimus quippè in Pſalmis: *Si ſumpſero pennas meas diluculo.* Hebraizantes: *Si ſumpſero alas Aurorę.* Sol ergò Chriſtus, quaſi avis volans, cunctos recreat mortales, cùm alas explicat: etenim illius radij pennati, ſunt præclara totius ſanitatis officina. *Et ſanitas in pennis eius.*

Chriſti vultus ſalutaris.

Sol velut avis.

Pſal. 138. 9.

Hebr.

3 Verum quid figuris agimus, atque in pennis emendicatis quærimus ſalutiferam Chriſti virtutem, quàm facilius, id eſt, abſque circuitione metaphoricâ, in eiuſdem oculis invenire poſſumus? In oculis, inquis? An potius in manibus? Sanè Princeps ille, cuius obierat filia, Chriſti manum exoravit, cùm optavit redivivam. *Impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Salus ergo & vita in manibus Chriſti. Non etiam in oculis? Apagè. Chriſti quippè oculi idem ac manus. Nam quod va-

Matth. 9. 18.

Chriſti oculi tàm ſalutares quàm manus.

valuit manibus, id ipsum oculis similiter valuit. Audi patrem alium, pro filij Energumeni salute deprecantem. *Magister, obsecro te, respice filium meum, quia unicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit, dilanians eum.* Ecce Parentum alter solos Christi oculos implorat; alter manum in auxilium vocat. Alter, solum ut aspiciat, rogat: *Respice.* Alter obsecrat, ut tangat. *Impone manum tuam.* Sapienter uterque. Etenim Christi oculi nihilo minus salutares, quàm manus. Perinde est igitur, sivè palpet, sivè aspectet: quoniam si tangendo liberat à mortæ; aspiciendo liberat à diabolo. Salvi ergo erimus vel manum super nos ipse ponat, vel oculis respiciat duntaxat. *Impone super eam manum tuam & vivet. Respice filium meum.*

Luc. 9. 38. 39.

4 Sanè vita nostra in manibus Christi; sed non ideò non ab eius oculis similiter speranda. Ista virtus salutifera non stagnatur in manibus Jesu, undulat etiam in oculis. Accipe argumentum, quod vocant, à minore ad maius. Ægyptij, vigente fame, his verbis aures Josephi pulsarunt: *Salus nostra in manu tua est; respiciat tantùm nos dominus noster.* Num præ mœrore confusi supplicem orationem turbarunt? Si fatentur, vitam suam in manibus Josephi esse positam; cur ut se tantùm conspiciat, rogitant? Quid enim hominibus pene enectis aspectus solus prodesset, siquidem in volis prostabat salus? Cur ergo miseri non orant, ut Joseph manibus faveat, sed ut oculis aspiciat? Sapienter. Quia nimirum, nequit non habere oculos vitales Princeps, cuius manus sunt salutares. Digitorum virtus citò recurrit in lumina; hauritque pupilla vitæ rivulos, quibus scaturiunt palmæ. Consultissimè itaque solus oculorum aspectus Josephi pro arcenda morte ab Ægyptijs expetitur, dum salutem quàm in eius dextera agnoscunt: quippè subditorum vita æquè pendet ab oculis Regentium, quàm à manibus. *Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantùm dominus noster.*

Josephi Patriarchæ oculi vitales. Genes. 47. 15.

Oculis eadem virtus salutaris, ac manibus.

Vita subditorum in oculis Prælati.

Superiorum vigilantia.

5 Christi Typum Joseph fuisse notius est, quàm ut pluribus testimonijs confirmari petat. Satis fuerit audire Pharaonem, à quo dictus est *Salvator mundi.* Grandi quò sanè titulo; sed egregie commeritò, eò quod orbem ab imminente famis exitio liberavit. *Vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Joseph igitur mundi Salvator, quòd illum à morte corporis liberavit. Christus mundi Salvator incomparabiliter excellentior, quòd à morte animæ vindicavit. Verùm si tanta vis fuit in typo, ut solo aspectu saluti mundi profuerit; quid de Archetypo censendum? Si tantùm potuit figura, quid veritas non præstabit? Valuit, valuit Joseph id oculis exhibere, quod manibus. Et prævalet, prævalet Jesus noster luminibus æquè, ac palmis. Pupillis Joseph halabat salutem, quam gestabat in dextera. Et Jesu oculi vitam spargunt, quam in manibus portat. Multò itàque meliore causa, fiduciaque maiore Christi excitabimus opem illis verbis, quibus Joseph clementia pulsata fuit ab Ægyptijs: *Salus nostra in manu tua: respiciat nos tantùm dominus noster.*

Josephi, & Christi collatio.

Gen. 40. 45.

6 Prodigiosum est quod de Charadrio Physici narrant. Charadrius autem avis est non satis nota. Huius mentio fit apud Leviticum, *cap.* 11. 19. Ergò de illa tradunt Physiologi, certam valetudinem homini restituere, si fixis oculis infirmi faciem consideret. Undè à Bartholomeo Rosso hac epigraphe donata: *Ex aspectu vita.* Le-

Charadrius avis ignota.

Levit. 11. 19

Eius oculi salutares.

ge

Picinel. ge Abatem Picinellum *lib.* 4. cap. 16. *Mund. Symbol.* Allegoricè ad Chriſtum transfer Hugo Vict. *lib.* 1. *de Beſt. cap.* 48. inquit enim : *Per Charadrium intelligimus Chriſtum , qui venit in mundum , ut ſalvum faceret genus humanum.* Erudi tè. Inſtar Charadrij Dominus Jeſus. Ex eius aſpectu vita noſtra. Infirmi ſanamur , & vel mortui reſurgimus , ſi in nos pia lumina vertit. Solus horum oculorum aſpectus pro pharmaco totiùs infirmitatis nobis eſt. Imò non aliundè ſperanda ſalus , quàm ab hoc cęleſti vultu. Æternùm quippè jacet ægrotus , quem Chriſtus ſuo dedignatur aſpectu. Protinùs verò exurgit , in quem pia lumina figit.

Hug. Vict.

Eſt Chriſti figura.

Converſio peccatorum ſolus Chriſti aſpectùs eſt opus.

7 Lethali vulnere culpæ Petrus confoſſus , vide , ut reſurgit. *Converſus Dominus reſpexit Petrum : & egreſſus foras Petrus , flevit amarè.* Ter negavit Petrus ; nec niſi poſt trinam negationem erupit in fletus. Negavit primò , & non flevit. Negavit ſecundò , nec flevit. Negavit tertiò ; poſt amariſsimè flevit. Cur ? Nimirùm , non niſi poſt tertiam negationem in illum converſa eſt Salvatoris facies. Et quem Dominus non aſpicit , miſerè jacet , faciléque corruit in pejùs. Quem verò aſpectare dignatur , in feliciſsimum vitæ ſtatum aſſurgit. *Converſus Dominus reſpexit Petrum : Petrus flevit amarè.* Uſque adeò ſalutaris eſt Chriſti D. aſpectus, ut quos ipſe aſpicit , fieri non poſsit , ut in peccati morte perdurent. Vidit Zachæum , & ex Publicano fecit Abrahæ filium. Vidit Matthęum , & ex Telonario in Apoſtolum cudit. Vidit Magdalenam , & de mancipio Sathanæ mutavit in diſcipulam charitatis. Meritò proindè Eccleſia ſancta tàlem apoſtrophen facit ad Chriſtum , *Hym. ad Laud. Dominic.*

Luc. 22. 61. 62.

S. Petri converſio.

Gratiæ neceſſitas.

Peccati pondus.

Jeſu labantes reſpice,
Et nos videndo , corrige:
Si reſpicis , labes cadunt,
Fletuque culpa ſolvitur.

8 Hæc eſt in oculis Chriſti divina vis , quę & lapſos erigat , & errantes corrigat, & immundos lavet , & duros emolliat. Profectò nullus eſt peccator uſque adeò rebellis , & induratus , qui tantę potentiæ non facilè cedat. Habacuc in Carmine Victoriali Chriſti Domini hęc cecinit : *Aſpexit , & diſſolvit Gentes : & contriti ſunt montes ſæculi. Incurvati ſunt colles mundi.* Magna vis profectò , quæ & Gentium cervices domet, & montium ſuperbiam conterat , & collium arrogantiam incurvet. Id verò totum Salvator conficit ; non quidèm fulmina mittens , ſed lumina vertens. *Aſpexit.* Porrò ſententiam , quę videtur formidabilis , D. Auguſtinus *lib.* 18. de Civit. cap. 32. accipit in bonam partem. Audi : *Reſpexit, & tabuerunt Gentes ; hoc eſt, miſertus eſt , & fecit populos pœniteſcentes. Contriti ſunt montes violentiâ ; hoc eſt , elatorum contrita eſt ſuperbia. Defluxerunt colles æternales ; hoc eſt , humiliati ſunt ad tempus , ut erigerentur in æternum.* Vim oculorum Chriſti formidabas ? Recipe animum. Potentiſsimus equidem illius eſt aſpectus ; ſed qui non ſtragem pariat , ſed vitam cordis. Diſſolvit Gentes ; ſed in pœnitentiam. Superbos conterit; ſed ut humiles reddat. Curvat elatos ; ſed ut obedientes faciat. Clarius : Vitia reſecat , ut virtutes inſerat : peccata evellit , ut gratiam proſeminet ; & improbos conterit , ut æternam reparet in vitam.

Chriſti oculorum vis ſalutifera.

Habac. 3. 6.

Dei miſericordia vel in irâ.

D. Auguſt.

Pœnitentiæ infictæ in bonum puniti.

9 Modò videor mihi percipere quemdam Iſaiæ textum valde obſcurum. Legimus cap. 14. 29. *De radice colubri egredietur regulus : & ſemen eius abſorbens volucrem.* Chaldæus Jonathan mirificè refert ad Chriſ-

Iſai. 14. 29.

tum : *De filijs filiorum Jeſſe egredietur Chriſtus.* Plùs hæret aqua. Quid enim commune habet Chriſtus cum Regulo, ſeu Baſiliſco ; animali, videlicet, exitioſiſsimo, qui nedum peſtifero ſibilò, ſeu afflatu, verùm & ſolò viſu lethales inferat noxas ? Id quod Mantuanus cecinit:

Chriſtus quomodò baſiliſcus.

Mantuan.

Natus in ardenti Lybiæ Baſiliscus arenâ,
Vulnerat aſpectu, luminibuſque nocet.

Occidit ad vitam.

Quò igitur pactò Regulus Chriſtus, cuius oculi mirificè boni, cuius lumina vitam ſpargunt, cuius vultus ſalutem irrorat ? Quomodò Baſiliſcus ille, ad cuius conſpectum languentes firmantur, mortui reſurgunt ? Verbo: Quoniam occidit ad vitam, & mortificando vivificat. Peremptores ſanè oculos Chriſtus habet. Sed quibus ita cædit ; ut vitam tamèn infundat. Vulnerat, ut ſanet, enecat, ut vivificet. Quippè cùm peccatores ſpectat ; & occidit delictum, & excitat vitam. Profundè, ut aſſolet, Tertulianus adverſus *Gnoſt.* exclamat : *O parricidij ingenium ! O ſceleris artificium ! O argumentum crudelitatis ! Quæ idcircò occidit, né moriatur, quem occidit.* Eccè præſentiſsimum virum divinorum luminum. Eccè quàm mortem ejaculat cæleſtis pupilla. Eccè lethale vulnus Dominici aſpectûs. Nocentior eſt, ſævior eſt, immitior eſt omnis Baſiliſci obtutu. Sed eò vitalior, quò lethalior. Nimirùm, *ideò occidit, nè moriatur, quem occidit.*

Tertul.

Criſtus erga peccatores pàtientiſsimus omnium.

10 Jam quis non optet divini huius Reguli oculis præſentari, ſi vivere cupiat ? Sanè ſub Chriſti luminibus vivit peccator, qui fortè ſub aliorum oculis interiret. De magno Elia, peccatorum maſtige, dicitur Eccleſiaſtici cap. 48. *Elias quidem in turbine tectus eſt.* Videlicèt, cùm raperetur in cælum. Cur verò tectus ? Eò, nimirùm, quò raptus. D. Chryſoſtomus *ſerm. 1. de Elia in fin.* cauſam raptûs Eliæ dat nimium eius zelum ; né eò perderetur, & periret orbis. Unde ſic Deum inducit loquentem ad Eliam: *Quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, aſcende quaſi in cœlum. Nam ſi diù tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod continuò à te plectitur, aboleretur. Ego autem cum peccatoribus peregrinabor.* Ergò rapitur Elias in cælum, nè peccatores amplius exterminet ; atque, nè vel eos ipſe in raptu videat, turbine, quaſi pallio, coopertus abducitur. Nimirùm, videre peccatores, & ſervare ad vitam, ſolius divini Baſiliſci virtus eſt. Regulus eſt Elias ; ſed qui ſceleroſos videns, perdat omninò. Regulus eſt Dominus ; ſed qui ſpectans iniquos, revireſcere faciat. Illius oculi, dum in peccatum ſæviunt, peccatorem ſimùl enecant. Iſtius lumina impietatem occidunt ; ſed ut feliciùs vivat impius. Aſpectu Elias interficit & mortem, & mortuos. Chriſti pupilla mors eſt, ſed mortis ; mortuorum autèm eſt vita. Obducantur itâque oculi Eliæ ; nè ſceleroſos ſpectans, interimat. At lumina ſua Dominus expandat ſuper iniquos ; ut feliciſsimè mortui, meliorem vitam reſpirent. Videat me Jeſus, & ſalvus ero. Non me videat vel Propheta ſanctiſsimus ; nè fortè diſpeream. *Elias quidèm in turbine tectus.*

Eccli. 48. 13.

Eliæ Zelus.

D. Chryſoſt.

Zelus né ſit nimius.

Punitio ad vitam.

11 Et quid dico Prophetam? Dominus ipſe, prius quàm oculos carneos aſſumeret, Regulus fuit horrendus, qui ſceleſtos contuens, miſeras ſtrages edidit. Cùr aquis Diluvij Mundus perijt ; niſi quià Dominus fœdatum vidit hominem ſceleribus? *Videns autèm Deus*, ait Moyſes, *quod multa malitia hominum eſſet in terra. Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.* Vidit ; delevit. Poſteà

Deus, ni oculos alió convertat ſeveré punit peccata.

Gen. 6. 5.

Ira Dei ab oculis.

téà verò, miſſerrimâ clade ad pietatem inflexus, de non obruendo iterùm aquis mundo ſententiam fixit: *Nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvij.* Gen. 9. 21. Nonnè tu Domine idem ipſe es? Mundus item non nè idem? Denuò revireſcent flagitia, repululabit impietas, noviſque criminibus fœdabitur orbis. Tunc verò quid? Non denuò ſimiliter exardeſcet indignatio tua? *Ne quaquam.* Cur? *Erit arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis mei ſempiterni.* Iris mortales omnes naſcituros reddet tutos ab elluvione. Obſtruet arcus cataractas iræ Numinis. Nec deinceps licebit, aquarum abyſſos rumpere, ſicut anteà. Nimirùm, anteà in hominum flagitia Dei oculi collimabant. *Videns Deus, quòd multa malitiâ hominum eſſet in terra.* Poſt defixos habet in arcum: *Erit arcus in nubibus, & videbo illum.* Ergò continet ſe ab irâ Numen, dum reſpicit arcum: effundit verò indignationem ſuam, cùm ſcelerà vidit. Uſque adeò vel Deus ipſe, ubi parcendum eſt peccatoribus; aliò lumina deflectit. Verùm ità Deus olim; modò non ità. Ex quo ad homines per Incarnationem venit, mitiores oculos geſtat. Non jam grave ipſi ſpectaculum, peccatores cernere. Non aliò vertit lumina, nè criminoſos non extinguat. Imò in illos defigit oculos; ut vitam habeant; & abundantiùs habeant. Væ peccatori, quem Deus olim viderat! Væ autem illi, quem modò non videt!

12 Quid facitis, ò Mortalium perditiſsimi? Quò faciem Chriſti velatis, infeliciſsimi ſcurræ? Inter tòt irriſionum genera, quæ Chriſtus eſt paſſus, enumerat Lucas faciem velatam. *Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes, & velaverunt eum.* Hæc una ſceleratiſsimis hominibus curâ fuit; ne Jeſum haberent inſpectorem, quò liberiùs in eum deſævirent. Tantâ quippe Majeſtate divinus vultus radiabat; ut ſacrilegos auſus impiæ gentis coerceret. Ità ſentit D. Hieronymus. Sed dùm Chriſti faciem velari ſunt auſi, ſupremam ſibi ipſis infelicitatem aſciverunt. Dei quippè cognitione, & fide; atquè adeò viſione privandos fore Judæos, Chriſti velata facies portendebat. Undè ad idem ſignificandum Moyſes, qui typum Chriſti gerebat, deſcendens de monte, velavit oculos ſuos, uti explicat D. Paulus 2. *Cor.* 3. 4. Infandam hanc ſortem canit egregius Pimenta *lib.* 5. *de Chriſt. paſſ.*

Vindice juſtitiâ, faciem tibi tegmen obumbrat,
Chriſtè, luant pœnas, quo fera corda ſuas.
Impia gens, ſævo ſibi longè immanior hoſte,
Proh, ſibi divinas quàm malè celas opes!
Quòd tegit auguſtos turpi velamine vultus:
Indignam aſpectu ſe probat eſſe tuo.
Prævenium pœnas ſupremæ mortis, & Orci,
Privari aſpectu, maxima pœna, tuo eſt.

Quid nimirùm pereat peccator, obvelato Chriſti vultu? Vita eſt in Oculis eius.

Impietas non patitur oculos divinos.

Majeſtas vultûs Chriſti patientis.

Mors infeliciſſima, non videri à Chriſto.

Pimenta.

Superior diſcat miſereſcere.

Ibid. 16.

Deus poſt incarnationem mitior.

Chriſti facies velata malum Judæorum omen.

Luc. 22. 63. 64.

DISSERTATIO XVI.

INVIDIA RES JUSTISſima, quòd ſuo noceat authori.

1 IN cæteris iniquiſsima, in hoc tamèn æquitatis aliquid ſervat invidia, quòd eum in quo eſt, tamquàm veneno proprio afficit, perdit, abſumit; eumque, more vipe-

Invidia res iuſtiſsima.

...DE LA PROPIEDAD IN...

viperæ, ulciſcitur primo, à quo concepta, & educata fuerit. Præclarè S. Baſilius Homil. de Invidia, *Invidia*, inquit, *concipientem ſe animam corrodit, & tabefacit.* Hinc magno fratri ſuo concolor S. Gregorius Niſenus invidentiæ ſevæſsimam æquitatem in numeris titulis ac nominibus deſcribit. Inter cætera ab ipſo vocatur *Mortifer ſtimulus, mutro reconditus, naturæ morbus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, inteſtinorum ignis.* Conſonat Virgilius Epiſt. de Liv.

S. Baſil.

S. Gregor. Niſ.

Eius deſcriptio.

Virgil.

Livor tabificum malis venenum.
Intactis vorat oſsibus medullas,
Et totum vorat artubus cruorem.

Et Benedictus Soſſagus lib. 3. in Epig.

Soſſag.

Non eſt invidia magis execrabile monſtrum,
Hoc tamen uſque boni peſsima peſtis habet;
Nam quemcumque tenet pœnis hunc torquet acerbis,
Et vitium vitiô conterit ipſa ſuô.
Ultrix ipſa ſui eſt, ſesèque ulciſcitur ipſam.
Pœna nec invidiæ triſtior invidiâ eſt.

Breviùs & ingenioſiùs nonnemo:

Iuſtiùs invidiâ nihil eſt, quę protinùs ipſum
Authorem rodit, diſcruciatque animum.

Sui ultrix. Suismet oculis torquentur invidi.

2 Quòd ſi tàm ſævę juſtitiæ miniſtros quæris; oculos invidorum explora. Hi ſunt carnifices impij, qui invidentię malignitatem caſtigant immaniter. *Oculi non parcere, non miſereri* dicuntur, quibus adeò noxia vis ineſt; ut vel ipſô tantum aſpectu conficiant, & exaniment. Lege *Expoſit. Literal.* n. 25. Et quæ nocentior vis, quàm quæ oculos invidorum inhabitat? Invidus græcè vocatur *Baſcanos*, quaſi oculis aſpectúque faſcinnas, vexans, enecans. Eccè oculos Baſiliſci:

Invidus ſe ipſum faſcinat.

Vulnerat aſpectu, luminibuſque necat.

Quid ergo? Alijs tantúm pernitioſi? Æquiores ſunt. Nam ſi ſe Baſiliſcus intueatur in ſpeculo, repercuſſo oculorum alitu, proprijs telis enecatur. Elegans hâc de re incerti authoris epigramma eſt:

Baſiliſcus ſibi nocet.

Acer in adverſo dùm figit lumina viſu
Niliacæ ſerpens peſtis acerba plagæ,
Obſcurat glaciale decus lethalibus auris;
In caput authoris ſed reddit omne ſcelus.
Namque repercuſo in corpus ſpiramine, vitam
Quam dederat, mirum! ſpiritus iſte rapit.

Ergô faſcinantes oculos, ſęvitiâque plenos geſtat invidia; ſed in pernitiem ſui: quoniam alieno lumine perculſi, lethale virus regerunt in authorem.

1. Reg. 22. 8.

3 Audi Saulis querelam: *Non eſt qui vicem meam doleat.* Quis te torquet? Filiùs, inquis, Iſai. At qui nullus in regno tuo adoleſcens tùm obſequentior eo, tùm verò etiam victorijs illuſtrior. Quinimò jure optimô ſuam vicem David dolere poſſet; quòd à te perpetuis inſidijs, atque aperto Marte quæſitus fuerit ad necem. Quid ergo in Davide te cruciat? Nimirùm, puellarum carmina in eum lætiùs, largiùſque ſonarunt. *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſuperſt niſi ſolum regnum?* Cordis ſecreta vomuiſti; & latens in corde venenum oculis indicaſti. *Non rectis ergô oculis Saul aſpiciebat David á die illa, & deincèps.* Davidi ſanè in Regulum es converſus: venenatis quippè oculis eum deſignas ad necem. Quid ergô miſerrimum te clamas, atque iniquam tuam ſortem cauſaris? Oculis in Davidem deſævis; & tibi quęris lenimenta doloris? Video, quod nequit non cordis

Merita eximia malorum Principum invidiam ſuſcitant.

Ibid. 18. 8.

Ibid. 9.

dolore angi, qui lividos geſtat oculos: nam invidiæ venenum plus ſpectantes nocet, quam ſpectatos. Sibimet regulus fuit Saul; ſeque ſuis oculis faſcinavit, cùm aſpectus lethales in Davidem contorſit: quoniam in ſui perniciem authoris virus effundit invidia. *Non rectis oculis Saul aſpiciebat David. Non eſt, qui vicem meam doleat.*

Invidiæ Schema.

4 Sapientèr Alciatus, quò graphicè invidiam pingeret, feminam delineavit ſordidam, oculis infirmam, vipereas carnes avidè devorantem, atque ſua viſcera corrodentem. Embl. 7.

Alciat.

Squalida vipereas manducans femina carnes,
Cui dolent oculi, quæque cor ſuum edit.

Invidiæ cibus.

Gemino itaque paſtû alitur invidentia, & viperarum carne, & proprio corde. Omne genus ſerpentium ſymbolum eſt infelicitatis, & ſortis extremæ. Quid enim ærumnoſius, quàm toto corpore ſolum verrere, gradi ſinè pedibus, ſinè manibus niti? Hac proinde pœnâ antiqui ſerpentis invidiam multavit Deus: *Supra pectus tuum gradieris.* Digno, nimirùm, ſupplicio: ut pedibus calcaretur hominis, cuius felicitatem inviderat. Porrò benè homini livido viperæ deſignantur pro cibo. His beſtiolis ille paſcitur, quibus nulla in Parentes crudelior. Vipera eſt, quæ geſtantem ſe matrem, eius uterum diſcerpendo, enecat. Et parricidis ſerpentibus ali perhibetur invidia: quoniam ipſa eſt, quæ gignentem ſe animam occidere gaudet. *Squalida vipereas manducans femina carnes.* Opportunè S. Baſilius ubi ſupra. *Sicut viperas dicunt obrupto matris ventre naſci; ſic & invidia concipientem ſe animam corrodêre, ſimulque tabeſcere ſolet.*

Suplicium invidorum.

Geneſ. 3. 14.

Invidia parricida.

S. Baſil.

5 Deinde non contentus livor ſævientes viperas devorare, dentes quòque exacuit, quibus & cor ſuum dilaceret. Quod & cecinit Vates ille, cuius carmen refert Cicero, Tuſcul. 3.

Invidia proprium cor edit.

Ipſa ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Vides imaginem Tityi, cuius jecur Poetæ referunt, jugitèr à vulture dilaniari. Crudelis nimis eſt morſus, qui corda depaſcit. Cordis vulnus etiam leviſsimum, lethale. Et invidus cor proprium lacerare dicitur: quoniam ſibi ipſi crudelem mortem aſciſcit.

6 Prudens femina Rebeca, cûm dilectum filium Jacob à rabidâ fratris invidia liberare percuperet, his verbis amandavit in Haram: *Conſurgens fuge ad Laban fratrem meum. Cur utrôque orbabor filio in uno die?* Quid ais afflicta Matrona? Alter dumtaxat filiorum periclitatur. Solus Jacob peribit, ſi furor Eſau non refrigeat. Is enim eſt, qui fratris necem doloſè meditatur. *Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Solo ergô Jacobò orbaberis, ſuperſtite Eſau fratricidâ. Falleris, inquit: Utroque ſimul orbabor. Invidentiæ ſtimulis ardet frater in fratrem: & ſi alterum occidit, cadet uterque: quoniam rabies liboris tàm eſt mors interfectoris, quam interfecti. Imò deſperatius perit, qui occidit invidiâ, quàm qui occiditur. Non enim, qui cadit, moritur, ſed qui cædit. Morietur Jacob; ſed vivet felicius. Vivet Eſau; ſed fœdiùs computreſcet. Undè veluti mortuum lugebo, quem videro livoris verme perpetuò tabeſcentem. *Utroque orbabor filio in uno die.*

Invidus, & homicida ſibi mortem inferunt.

Geneſ. 27. 43. 45.

7 Hanc infeliciſsimam invidorum conditionem duplici exemplo demonſtrat Propheta Regius, cùm inquit: *Circumdederunt me ſicùt apes, & exarſerunt ſicùt ignis in ſpinis.* Apibus ergò comparat, & igni: Sed primò; cùr invidia furentes animas non canibus committit, ſed

Pſal. 117. 12.

Invidus cur apibus comparatur.

apibus ? Certè non minore incommodò illi dentes, quàm istæ aculeos infigunt. Ità. Nocentiùs furunt canes ; sed sine dispendio sui. Verùm apes, dum feriunt, pereunt. Etenim postquam inferunt acúleos, illicò cadunt. id quod & experientia docet, & Maro cecinit lib. 4. *Georg.* vers. 136.

Injuriam inferre, nocivum.

Virgil.

Illis ira modum supra est, læsàque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt,
Affixæ venis, animamque in vulnere ponunt.

Peccator faber suæ infelicitatis.

Sapientèr itàque non canibus mordacissimis, sed iratis apibus homines lividi comparantur : nam cùm alios vulnerant, & sagittant, atrociùs in se desæviunt ; atque sibimet lethales sunt toti, cum erga insontem crudeles existunt. Mordet canis ; sed non moritur : pungit Apis ; sed inflicto vulnere perit. *Circumdederunt me, sicut apes.*

Invidus cur igni comparatur.

8 Cur item invidi conferuntur igni, & non vento ? *Exarserunt*, inquit, *sicut ignis in spinis.* Sanè crudelis est flamma ; sed ventus immanior multò. Valet ignis unam inflammare urbem, unam depascere sylvam. Videas autem unà ventorum procellà mare, terramque convolui, in momento navibus classes absorbi ; pulcerrimas Civitates cadere ; magnas Insulas dissipari. Quare ergo vir invidus non ventus, sed ignis dicitur à Propheta ? Eodem profecto acumine, quò Apis fuerat appellatus. Nimirùm, acriùs debacchatur ventus ; sed absque læsione sui. Nihil quippe accipit nocumenti, etiam cum maximè nocet. Omnia si vastet, illæsus ipse manet. At verò igni non licèt impunè desævire. Dum incendit, extinguitur ; absumitur, dum exedit, peritque, si perimit. Titionem domui admove : prius hic in cineres redigitur, quàm illa : & quamquam vivere videatur in incendio, quod peperit ; eò tamèn citiùs vivere desinit, quò vehementiorem edidit flammam. Sic invidiâ perit incendio, quod hostibus suis parat.

Peccati damna.

9 Illuxescit modò Lectio Hieronymi : *Extincti sunt quasi ignis spinarum.* Contraria omninò significatione. Nam quid magis adversum ardori, quàm extinctio ? Quomodò ergò sicut ignis exardescunt, qui extinguuntur sicut ignis ? Sed si rem subtilius expenderis ; facilè sibi cohærentia reperies, quæ maximè contraria videntur. Tàm citò quippè flamma, mox ut fuerit accensa, consumitur ; ut idem penè sit ardêre & extingui. Undè non ait simpliciter : *Exarserunt sicut ignis ;* sed posito exemplo : *sicut ignis in spinis.* Spinas dùm ignis corripit, cunctas earum partes horribili crepitatione & inflammatione allambit, & exedit ; sed brevi sonus ille, flammàque, spinis exustis, conquiescit, nè relicto quidèm ex incendio carbone. Rectissimè ergò cohærènt ista : *Exardescere ignem in spinis, & extingui* : quoniam utrôque modo denotatur velox actio ignis in spinas ; ità ut mox, ut exardescit, extinguatur. Hæc sanè hominis lividi est infelix conditio. Ardet invidia, & horribili crepitu furit in præstantes viros. Sed sibi magis nocet, dùm in alios sævit ; se punit, dùm se meliores percellit. Ignis est, sed in spinis. Urit, sed ardet ; dumque exardescit, extinguitur. *Exarserunt sicut ignis in spinis. Extincti sunt quasi ignis spinarum.*

D. Hieron.

Ira sibi nocet.

Vindicta sibi nocet.

Invidiam vel somniata felicitas torquet.

10 Sed quamquàm lividæ animæ perpetuo dolore tabescant ; in eo tamèn maximè calamitosi habentur, quòd nedum, verâ, verum & somniatâ aliorum felicitate torquentur. Ut somniatam Prælaturam fratribus Joseph nuntiavit, illicò invidiæ flammâ correcti, necem illius meditati sunt. *Ecce somniator venit : venite, occidamus eum : & ap-*

Gen. 37 19. 20.

pa-

parebit quid illi profuit somnia sua. Sed frater vester est; & siquidem eum regnaturum putatis, gaudendum pastoribus potiùs, quam tristandum de fratris principatu. Imò nihil acerbius inter fratres audiri potest, quàm minimum majoribus anteponi. Atqui Luminaria magna dicit Parentes; vos Sideribus comparat: se verò intrà Manipuli humilitatem continet. Quid? Nonne illius verba sunt: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum?* Id dixerit expriori somno; cæterùm ex posteriori jam stellas vos fatetur, cùm ipse tenuitatem manipuli excedere non præsumat. *Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.* Tantò proinde intolerabilior amentia, inquiunt, quæ fulgentia cæli sidera obscuris terræ manipulis postponere audet. Denique advertite, quòd somnium vobis narrat. Haud ferenda est vel somniata celsitudo. Nimirùm, tanta est calamitas æmulantium; ut non quidem ostensa, sed figurata dumtaxat celsitudine tabescant. *Ecce somniator venit: venite occidamus eum.* Nondum apparet splendor; & excæcantur. Nondùm Regalis purpura vernat; & discruciantur. Nondum vel fata virga quidem Principatûs, & eâ immanissimè cæduntur. Profectò conterrentur umbris, prolusionibus exanimantur.

11 Iterùm Saul canit in scenâ. Imò non canit, sed rugit: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?* Quinam porrò sunt, qui dederunt? Fœminæ, & quidem constrepentes ad sistra. *Præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* Et puellarum cantiunculis turbatur Rex tantus? *Parvulum occidit invidia*, sanctus Job inquit; Saulem verò, quamquam omni populo altiorem, ità præ livore consternatum novimus, ut puellarum ludentium carminibus contabescat. Nimirùm, nullus tam est eminentissimus, qui vel flabellò invidentiæ non facilè dissipetur. Regem proceritate corporis eximium sola fœminarum carmina prostravêre: & qui cunctis erat altior, infrà cunctos præ livore decrevisse comperimus. Mirum sanè invidentiæ artificium: ex Hercule facit pumilionem, & gigantem coartat in pygmæum.

12 Deindè regni amittendi metu Saulem tunc fuisse commotum, satis illa eius verba declarant: *Quid ei superest, nisi solum regnum?* Sed unde Regi mens ista? Equidem apud puellas de regno verbum omninò nullum. Et quamvis lætiora carmina in Davidem cecinêre; meritas tamèn laudes adæquare nescierunt. Imo tam parce David est dilaudatus, quam Saul immodice. Decem millia tantùm data sunt illi, qui totius Victoriæ fuit author. Mille verò isti, qui præ metu nedùm ausus non fuerat cum Gigante congredi; verùm nec pedem extrà castra præ segnicie ponere. Suum ergò Sauli regnum maneoat. Et siquid commovere possent simplicium puellarum cantiunculæ; potiùs ijs regalis animus in lætitiam, quàm in amaritudinem inclinare debuisset. Etenim infrà meritum miles, suprà virtutem rex collaudatus. Quid ergò perdendi regni metu Saul concutitur? Nimirum, semper præsumit sæva, perturbata livore conscientia. Animus, cui semèl æmulatio insedit, trepidat timore, ubi nullus est timor. Continuò expavet, nemine persequente. Ipse sibi fingit infortunia, & calamitates somniat, quibus miserrimè conflictatur. *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superst, nisi solum regnum?*

13 Pro-

Invidia inter fratres.

Invidia infelix. Ibid. 7.

Humilis cognitio sui.

Ibid. 9.

Invidia timida.

1. Reg. 18. 7.

Iob. 5. 2.

Invidia etiam reges tangit.

Invidia facit ex Gigantibus pygmeos.

Invidia suspiciosa.

Adulatio erga Principes.

13 Prodeat tandem in ſcenam invidorum choragus. Cainum dico. Dominum alloquitur. Audi quid recitet. *Eccè ejicies me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar: & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Tria formidat; ſed formidine invidentiæ propriâ, hoc eſt, ſomniatâ, & confictâ. Primum; à facie terræ projiciendum. Aſt quando Deus Cainum à facie terræ exulare juſſit? Iam quò illum extra orbem terrarum ablegaret? Invidus homo abſurda confingit, ut ſe torqueat. Secundum; à facie Domini abſconſum iri. *A facie tuâ abſcondar.* Hic arbitror deliraſſe Cainum. Namque ab oculis Domini quis ſe ſubducere valeat? *Quò ibo à ſpiritu tuo*, David inquit, *& quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic eſt; ſi deſcendero in infernum, ades.* Vel ethnicus id novit Homerus, qui pulcrè in *Gigantomachia* ita luſit

Quò fugis Encelade? quaſcumque acceſſeris oras,
Sub Jove ſemper eris.

Porrò ultimum quod timet, valde repugnat. Nam quis à facie terræ projectum hominem invenire valeat, nedùm occidere? Sed fruſtrà extrâ hominem, invidiæ furore percitum, cauſas timoris quærimus. Ipſe ſuæ pœnæ faber abſurda conciliat, diverſa conectit, repugnantia jungit, impoſsibilia componit. Sic peritus artifex, carnifexque ſui, juſtiſsimè in ſe deſævit, dùm alijs invidêre non ceſſat.

Gen. 4. 14.

Invidus timet vel abſurda.

Deum nemo effugere valet. Pſalm. 138. 7.

Homer.





COM-

JESUS, MARIA, Y JOSEPH.

COMMUTATIO SEPTIMA.

OCULI AMBULANTES.

PRO EO QUOD ELEVATÆ SUNT FILIÆ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant.

Iſaiæ 3. 16.

EXPOSITIO LITERALIS.

1 PRædicit hôc capite Iſaias gravem Judęorum afflictionem, & cladem, cauſáſque tantæ calamitatis deſignat. Hæc totius capitis ſumma. Porrò excidium non omnes unò modò intelligunt. Judæi, quibus numquam Chriſtus occurrit in Scripturis, ſed ſemper Babylonius, Aſſyrius, Sennacherib, David, Salomon, prætereà nihil, referunt ad captivitatem Babylonicam; Catholici verò ad ultionem Sanguinis Chriſti per Titum, & Veſpaſianum, Romanos Duces. Ità D. Hieronymus in *Comment.* ſuper hunc locum. D. Ambroſius *in Pſalm.* 118. in illa verba: *Principes perſecuti ſunt me gratis.* D. Athanaſius lib. 1. *de Paſſ. & Cruc. Domin.* D. Cyprianus lib. 1. *adverſ. Judęo.* Tertulianus lib. *adverſ. Judæo.* De claritate gentium in Chriſto. S. Baſilius, Cyrillus, Rupertus, & paſsim Veteres.

Senſus tertij capitis Iſaiæ.

Judæorum excidium ob Chriſti necem.

Hieron. Ambroſ.

Athanaſ. Cyprian. Tertul.

Et hæc quidem Expoſitio plurimùm roboratur ex totô Iſaiæ diſcurſu, & connexione uſque ad *cap.* 6. Quæ enim *cap.* ſequenti prænuntiat de Germine Domini magnifico, de Libro vitæ, de ablutione peccatorum in ſpiritu judicij, & ardoris, & *cap.* 5. de Cantico dilecti, & patruelis; perſpicuum eſt ex communi Interpretum calculô ad Chriſtum, Chriſtique, & Eccleſię tempora pertinere.

2 Minatur itáque hoc Vaticinio, quòd Deus à Judæis ob cædem Chriſti auferet, Primò, omne militiæ præſidium: *Auferet*, inquit, *validum, & fortem.* Secundò, omnem annonam, ut fame contabeſcant: *Omne robur panis, & omne robur aquæ.* Tertiò, Prophetiam, & Prophetas. Quartò, judices, & ſeniores. *Judicem, & prophetam, & ariolum, & ſenem.* Quintò, Conſiliarios optimos. *Et conſiliarium.* Sextò, peritos Architectos: *Et ſapientem de Architectis.* Septimò, viros pios, & ſpirituales: *Et prudentem eloquij myſtici.* Denique omne lumen ſanctæ Scripturæ, omnem religionis cultum, omnem gratiam, & favorem Dei. Ex quibus fiet, ut Dei ope deſtituti ſceleratiſsimi homines, cæci, & miſeri, inopeſque conſilij in ſuum exitium præcipites ruant: utque dirâ obſidione, fame, & peſte vexentur, cædantur, & in captivitatem abripiantur. Quod totum evenit poſt Chriſti paſsionem.

Iſai. 3. 1.

Pœnæ ruentis Reipublicæ.

3 Cauſas verò tantæ calamitatis Propheta exponit, tùm populi peccata, tùm Superiorum tyranidem. Unde ſubdit: *Ruit enim Jeruſalem, & Judas concidit.* Cur? *Quià lingua eorum, & adinventiones eorum contrà Dominum, ut provocarent oculos majeſtatis ejus.* Hoc eſt, ut D. Hieronymus interpretatur; *quia contrà Dominum blaſphemaverunt, atque dixerunt: Tolle, tolle, crucifige talem: non habemus regem, niſi Cæſarem: & clementiſsimum Dominum furôre linguæ ſuę ad amaritudinem provocaverunt.* Hebræa lectio planè idem ſonat, quam ſic ad verbum vertere poſsis cum Leone Caſtro: *Quia linguæ eorum, & opera eorum adverſùm Dominum ad reddendum amaros oculos gloriæ ejus.* Gloria Patris dicitur Chriſtus in Scriptura cujus clementes oculos impij Judęi amaricarunt, tùm linguæ con-

Ibid. 8.

Pœna Judæorum Chriſtum blaſfemantium.

D. Hieron.

Leo Caſtro.

convicijs, cum vocando dæmoniacum, vinosum, Samaritanum, blasphemum: tùm manuum adinventionibus, cum persequendo, flagellando, occidendo. Jàm Superiorum tyrannidem luculentèr idem Vates ostendit, cùm inquit: *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominati sunt ei.* Pessimis Deus consuevit punire malos, & populi iniquitatem Judicibus iniquioribus vindicari. Suos in hoc mundo carnifices habet Supremus Moderator rerum: & cùm gentem immeritam castigare decernit, Principes mittit avaros, rapaces, & violentos, qui spolient, excorient, flagellent, & mactènt. Sanè Judaicô populo sceleftior nullus; & ideo nullos duriores exactores promeruit.

Ibid. 11.

Exactorum violentia.

Superiores tyranni, carnifices Dei.

4 Per *Exactores* autèm intelligit nedùm Principes, & Magistratus sæculares; de quibus minùs mirandum, quòd non tàm prætores populi, quam prædatores fuissent; verùm & Prælatos, & Doctores Ecclesiasticos; puta Scribas, & Pharisæos, à quibus longiùs abesse debuisset omnis impietatis affectio. In hos ergô invehitur Propheta; qui turpis lucri gratiâ, ut acciperent decimas, & primitias, Dei filium negaverunt. Et non vocat eos Magistros, Scribas, atque Doctores, sed *Exactores*, qui quæstum putant esse pietatem: & devorant non, juxtà Apostolum, domus tantùm viduarum, sed universum populum. Ità D. Hieronymus. Patet ex Evangelio *Marc.* 7. 11. horum hominum usque adeò avaritiam increbuisse, ut juberent filijs, alimoniam parentibus denegare, dicereque *corban*, id est; munus hoc dedicatum est Deo, dandumque Scribis, & Phatisæis. Quàm verò rapaces illis manus fuerint, elegantèr exprimit hebraicum *meolel*, id est; racemaverunt. Nimirùm, ad ultimum penè obolum spoliaverunt. Racematur enim vinea; (liceat in gratiam sanctæ linguę, fingere verbum, auribus latinis ignotum.) Racematur, inquam, vinea, cùm peractâ vindemiâ, pauculę vuę, quæ oculos vindemiatorum fugerunt, studiosè rursús perquiruntur, & colliguntur. Sic avarissimi ministri Synagogæ miserrimi populi opes compilabant, & deglubebant.

Scribarum, & Phariseorum avaritia.

D. Hieron. Marc. 7. 11.

Exactores avare opulos pracemant

Ibid. 10.

5 Sed quid est illud, quod additur: *Et mulieres do-*

D. Hieron.

dominati ſunt ei ? D. Hyeronymus eoſdem Scribas, & Phariſæos intelligit, qui luxuriam, & turpem converſationem ſectantes, adeò erant effeminati; ut mulieres potiùs, quàm viri appellari meruerint. Sic ait Poeta: *Achivæ eſtis, non Achivi.* Et Virgilius lib. 9. *Æneid. O verè Phrygię, néque enim Phryges.* Homines enim luxurioſi ex viris degenerant in feminas. *Vir quippè dicitur à virtute, eo quòd libidines vincere debet*; ut inquit D. Auguſtinus lib. 3. *ſerm.* 13. Undè Sapientia in Proverbis 8. 4. *O viri ad vos clamito.* Ac ſi apertè dicat: exponit D. Gregorius lib. 28. Moral. in Job, *Ego non feminis, ſed viris loquor: quià hi qui fluxâ mente ſunt, verba mea percipere nequaquàm poſſunt. Et Scriptura ſacra viros vocare conſuevit, qui, nimirùm, vias Domini fortibus, & non diſſolutis greſsibus ſequuntur.*

Luxurioſus non vir eſt, ſed mulier.

Prover. 8. 4. D. Auguſt. D. Gregor.

6 Alij nedûm de Judęorum Principibus, verum & Romanorum, hunc textum interpretantur: rectiſſiméque vocatos mulieres, quòd nefanda venere præpoſteram libidinem exercêrent. Et quidèm Suetonius inter ſpurciſsimos exoletorum greges Titum, ipſum nimirùm Judæorum domitorem, recenſet. Adrianum quòque Imperatorem ſcortum maſculum fuiſſe Trajano, vti eidem Adriano fuit Antonius, patet ex Dione, Xiphilino *in Vit. Adrian.* Eâdem infamiâ laboraſſe quòque Julium Cæſarem, Auguſtum, Tiberium, Caligulam, Neronem, eorum hiſtorię produnt. Denìque eo tempore apud Romanos pęderaſtiam incaluiſſe, ſatis declarat obſcœna illa mulieroſiſsimi Naſonis excuſatio, 1. de *Art.*

Libido nefanda ex viris facit feminas. Sueton.

Pęderaſtia Romanorum olim.

Odi concubitus, qui non utrinque reſolvunt,
Hoc eſt, cur pueri tangar amore minùs.

Ovid.

Juſtin. Imper.

Senſit Juſtinianus Imperator, calamitates orbi propter hoc maximè ſcelus provenire: ideò edictô cavit eiuſmodi, ut eas ipſe vocat, *illicitas, impias, & diabolicas luxurias.* Conſtit. Novel. 77. Refert autèm Glycas in *Annal.* deprehenſos poſteà in iſto crimine, etiam Magnates, tamquam in triumpho per Urbem, veretris priùs amputatis, circumductos, hocque modo miſerè vitam finiſſe. Nominat Cedrenus in *Compen. hiſtor.*

Sceleris nefandi pœnę.

n. 136. Eſaiam Rhodi, & Alexandrum Dioſpoli Thraciæ Toparchas; deſignat etiam Senatoriam dignitatem; & ſcribit caſtratos, & publicè nudos in forum productos miſerabilitèr perijſſe, ſuôque exemplo reliquos pudicitiam colere docuiſſe. Jam ante legem tulerant Valentinianus, Theodoſius, Arcadius: *Ut omnes, quibus flagitij uſus eſſet, virile corpus muliebritèr conſtitutum alieni ſexûs damnare patientiâ, (nihil enim diſcretum videri habere cum feminis) ſpectante populo flammis vindicibus expiarentur; ut univerſi intelligerent, ſacroſanctum cunctis debere eſſe hoſpitium virilis animi: nèc ſinè ſummo ſupplicio alienum expetiiſſe ſexum, qui ſuum turpitèr prodidiſſet.* Refert hæc Pitheus ex quodam Codice *lib. 6. ad legem Juliam de adult.* Prior id adhùc ſanxerat Conſtantinus *leg. 31. Cod. Theodos. ad legem Juliam de adult.* appellans *ſcelus infame, quòd non proficit ſcire, venerem mutatam in alteram formam.* Vocant Hebræi tales honeſtô vocabulô, *kodeſcim*, quaſi dicas, ſanctos, id eſt, maximè impuros, per antiphraſim. Videſis Vocabular. Complutenſe Verbo *Cadas.* Apud Latinos etiàm *ſacer* pro *execrabili*, frequens formula: Feſtus: *Homo ſacer eſt is, quem populus iudicat ob maleficium: néque fas eſt eum immolari; ſed qui occidit, parricidij non damnatur; nam lege tribunitiâ primâ cavetur; ſiquis eum, qui plebiſcito ſacer ſit, occiderit; parricida nè ſit*: ex quô quivis homo malus, & improbus ſacer appellari ſolet. Afranius Fratribus:

ô ſacrum ſcurram, & malum!

Turpilius Demetrio: *Etiam me irrides peſsime, & ſacerrimè?* Plautus Bacchides:

Ego ſum malus. Ego ſum ſacer, ſceleſtus.

Hâc notione *ſacram famem* Virgilius, *ſacrum bellum* Catullus, *ſacrum Cruorem* Horatius, & Author Thebais; *ſacrum aurum, & ſacram inſaniam* Papinius uſurpavit.

Valentin. Virilis animus ſuam dignitatem revereatur. Pith. Conſtantin. Sanctum pro execrabili. Vocab. Compl. Feſt. Afran. Turpil. Plaut. Virgil. Horat.

7 Celebris eſt locus ille apud Oſeam 4. 14. ubi Dominus acritèr Judæorum pæderaſtiam coarguens, inquit: *Et cum effeminatis ſacrificabant.* Pro quô Hebræi legunt, ut idem Vocabularium docet ibidem: *Et cum meretricibus ſacrificabant.* Vides, ut aperti-

Oſe 4. 14. Viri qui meretrices dicti.

tiſsimè viri effeminati vocentur meretrices ? Dignô ſanè vocabulô. Erant hi quidèm ſexû viri , ſed abuſû libidinis , & naturæ meretrices , & feminæ. Undè Aquilæ verſio ſonat , *mutatos* , nimirùm , ex officio virili in femineum. Erant igitùr ſcorta maſcula, ut ſunt pueri pathici , ſacerdotes Priapi , (ſimiles habent labra lactucas) qui mollitie , & venere ſuccubâ ſodomitis ſerviendo ex viris quaſi feminas ſe efficiebant. Ità Cyrillus , qui ait : *Erant viri , ſed in feminas mollitie mutati , qui muliebri vociferatione , & cymbalis utentes , faceſque ferentes , circumcurſabant.* Favet D. Hieronymus : *ſciendum* , inquit , *quod in præſenti* Kedeſcot *meretrices , id eſt , ſacerdotes Priapo mancipatos vocet.* Sic legendum , non , *mancipatas* , nè ſecum pugnet vir doctiſsimus , qui paulò antè eos *viros* vocavit. Undè rectè ſuſpicatur Ribera mendum eſſe librariorum. Conſonat & Symachus , qui *etæras*, id eſt , ſocias , amicas , amaſias , propriè meretrices appellavit. Ad idem Theophilus : *Initiatos huiuſmodi vocat ſacros myſtas , dignos jam arcanis apud illos ſacris judicatos , ceu perfectiores : qui mares eſſe viſi , femellæ fuerunt cymbalis utentes , femineiſque ululatibus circumibant trivia , Beelphegor ſacramenta perficientes.* Per catachreſin itàque viri effeminati dicuntur meretrices.

Aquila.

Priapum nefanda libidine colebant Judæi.

S. Cyrill.

D. Hieron.

Riber.

Symach.

Theophil.

Catechreſis in Sacra Scriptura.

8 Noſter Lyranus , Hugo , Haymo , Rupertus , & alij cauſam aliam addunt , cùr feminæ vocentur ; quia , inquiunt , multi ex illis caſtrabantur; fiebantque eunuchi , ut ad venerem tantùm paſsivam valerent , quaſi feminæ , non activam. Eiuſmodi fuiſſe Gallos , matris deûm ſacerdotes , tradit Plinius lib. 35. cap. 12. *Samiâ teſtâ matris deûm ſacerdotes, qui Galli vocantur , virilitatem amputare.* Juvenalis *Satyr.* 6. de his ſacerdotibus , verſu 512.

Sacerdotes Priapi turpitèr caſtrati.

Juven.

Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.

Et Martialis lib. 3. epigram. 81 cuius tamèn carmina ſcribere pudet. Sed audi S. Hieronymum loc. cit. *Hi ſunt , quos hodie Romę matri non deorum , ſed dæmonum ſervientes , Gallos vocant , eo quòd de hac gente Ro-*

Cur dicti Galli. D. Hieron.

Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum meretrix fecerat) ſacerdotes illius manciparint : propterea autèm Gallorum gentis homines cffeminantur ; ut qui urbem Romam ceperant , hâc feriantur ignominiâ.

9 Prætereà , eò dementiæ corruptiſsimum illud ſæculum deveniſſe comperimus ; ut viri viris nupſerint , horrente naturâ. Notum de Nerone. Suetonius in eius vit. cap. 28. & 24. Et Severus Sulpicius in 2. *ſac. hiſtor.* de Nerone ipſo , *Poſt etiam* , inquit, *Pythagorę cuidam in modum ſolemnium conjugiorum nupſit, inditumque Imperatori flammeum , dos , & genialis thorus , & faſces nuptiales , cuncta denique , quæ in feminis non niſi verecundiâ conſpiciuntur , ſpectata.* De Eliogabalo Lampridius. Clemens etiam Alexandrinus hoc vitium elegantèr taxat his verbis , ex verſione Gentiani Herveti *lib.* 3. *pædag. cap.* 3. *Homines patiuntur muliebria , & feminæ præter naturam viros agunt , & nubunt ; uxoreſque ducunt feminæ.* Quod impudentiſsimum facinus bellè , ſæpéque Martialis reprehendit. Lib. 1. Epigram. 25.

Viri viros ducebant tamquam uxores, apud Romanos.

Nero Pythagoræ puero nupſit ſolemnibus ceremonijs.

Mærtial.

Aſpicis incomptis illum Deciane capillis,
Cuius & ipſe times triſte ſupercilium.
Qui loquitur Curios , aſſertoreſque Camillos,
Nolite fronti credere , nupſit heri.

Et lib. 12. Epigram. 42. de Calliſtrato , & Afro , Romam ſugillans:

Barbatus rigido nupſit Calliſtratus Afro,
Hâc quâ lege viro nubere virgo ſolet.
Pręluxêre faces , velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba Thalaſſe tibi.
Dos etiam dicta eſt. Nondum tibi Roma videtur
Hoc ſatis? Exſpectas nunquid & ut pariat?

Satyricorum quòque Princeps Juvenalis hanc eandem turpitudinem notat urbaniſsimè ſatyr. 2. v. 134.

Juven.

Intereà tormentum ingens nubentibus hæret,
Quòd nequeunt parere , & partu retinere maritos.

Nimirùm , inſaniſsimi iſti cynędi exiſtimabant, ſe poſſe concipere , & beneficia , & medicamenta ad id com-

Cynædi ſe poſſe concipere ſtultè putabant.

comparabant. Quod paulò poſt in eadem ſatyr. 2. v. 140. facetè ſcripſit

——ſteriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt condita pixide Lydę,
Nec prodeſt agili palmas prębere Luperco.

O generis humani propudium! Porrò hos cynędos, ſeu viros ſuccubos Beelphegor. i. e. Priapo, conſecratos fuiſſe in Iſrael, & Juda, patet 3. *Reg.* 14. 24. & 4. Reg. 23. 7.

Regibus effeminatis imperant uxores.

10 Deníque gravis etiam erit ſenſus, ſi verbum *Mulieres* ſimplicitèr exponas: id eſt; uxores Scribarum, & Phariſæorum *dominatæ ſunt eis.* Verùm quô pactô dominatæ populo? Quià, nimirùm, ipſæ dominabantur maritis, ut pote mulieroſis; & conſequentèr Judæis cæteris. Sic Cato dixit: *Mulieres regunt nos, nos ſenatum, ſenatus Romam, Roma orbem.* Simile eſt illud de puero Diopanto dictum: *Diopantus Græciæ imperat*; quiá eius pater Græciæ imperabat, mater patri, filius matri. Quid autem mirum, uxores Principum imperare reipublicę? Etiam putridæ meretriculę non ratò imperare ſunt viſę. Hinc Diogenes dicebat, ſcorta eſſe Regum reginas; quòd ab his quidquid collibuiſſet, peterent, & impetrarent. Nam ideò Regum reginas appellabat; non quòd eſſent pares uxoribus; ſed quòd in ipſos Reges regnum exercerent. Reges à populo non ſemper obtinent, quòd exigunt: at ſcorrô nihil negatur, inquit Laertius *lib.* 6. Maritos illos, quibus dominantur uxores, facetiſsimè, ut aſſolet, irridet Joannes Ovvenus *lib.* 1. *Epigram.* 149. ſub nomine Quinti, & Quintinæ.

Et ſcorta.

Ovvenus.

Conjugis obſervat nutus, ut Numina Quintus:
Verba putat leges, imperiumque preces.
Ducit, agit miſerum, quò vult, Quintina maritum:
Ut dubites habeat, non habeat nè virum.
Contrà naturam, & mores, legeſque loquendi,
(Grammatici fugite hinc) hęc vir, & hic mulier.

Solæciſmus coniugatorum.

Sed multò ingenioſiùs noſter Martialis *lib.* 8. *Epigram.* 12.

Nubere uxori, quid.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Uxori nubere nolo męę.

Id

Id eſt, nolo uxori meæ ſubditus eſſe, quaſi ipſa foret meus maritus. Sic etiam Pomponius, ut eſt apud Nonium in *Nubere* : *Sed meus frater major, poſtquàm vidit me inde ejectum domo, nupſit poſteriùs dotatæ vetulæ varicoſæ Afræ.* Eôdem ſenſu iterum Martialis virum ab uxore duci ſcripſit *lib.* 10. *epigram.* 79. Pompon.

Cuſtodes das Polla viro, nèc accipis ipſa:
Hoc eſt uxorem ducere Polla virum. Martial.

Igitùr conqueritur Propheta, *mulieres* dominari populo Dei, quòd principes Judæorum, ut potè nimis uxorij, & effeminati, omnia feminarum imperio gererent in Republica. Quid enim intereſt, feminas imperare Reipublicę; an imperari viris, qui Reipublicæ imperent? Quàm verò uxorij principes Judæorum fuerint, quamque impotenti libidine furentes, eleganti ſimilitudine declarat Jeremias Propheta cap. 5. 8. ubi eos appellat equos adhinnientes, quòd more equorum amore feminarum furerent. *Equi amatores, & emiſſarij facti ſunt. Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Ubi hoc fit, Authore Ariſtotele lib. 2. de Repub. omnia feminarum imperio geruntur. Favet huic expoſitioni D. Hieronymus, cujus præſtat audire ſalutare conſilium : *Caveamus ergô,* inquit, *& nos, nè iuxta impium Porphirium matronæ, & mulieres ſint noſter ſenatus, quæ dominentur in eccleſijs, & de ſacerdotali gradu favor judicet feminarum.* Judæi velut equi emiſſarij. Jerem. 5. 8. D. Hieron. Epiſcopi, & Eccleſiaſtici mulieres non audiant.

11 Quàm porrò ingens plaga ſit femina imperans, ex hoc eôdem loco aperte colligitur; ubi pro graviſsimorum punitione ſcelerum mulierum dominium prædicitur. *Mulieres dominatæ ſunt eis.* Et Deus, quotiès nominis ſui hoſtes ulturum ſe prænuntiat, feminarum imperijs ſubditos fore minatur : quaſi malorum omnium extremum illud ſit. Adi Bondinum *lib.* 6. *cap.* 5. Mulier quippè in ſuo dominatu eſt impotens, inſipiens, avara, exactioneſque magnas imperat ad ſui, & ſuæ familiæ ornatum : ſuáque agit non tàm ex ratione, & judicio, quàm ex affectu, & libidine, vel impetu, & præcipitatione. Ità Cornelius à Lapide ex noſtro Adamo Sasbout, quem citat. Quin & ſervum nimis ſervitium eſt, mulieribus Mulier imperans ingens plaga. Bondin. Cornel. Adamus. Salb.

obedire. Nam ubi hæ imperant, non modo à libertate, ſed etiam à ſervitio homines degenerant, ut inquit Tacitus *de morib. German.* & *Lipſius*, *lib.* 2. *Politic.* 3. Sanè lex divina ſubeſſe, non imperare feminas, jubet. *Geneſ.* 3. 16. & 1. *Epiſt.* D. Petri 3. 1. Ratio quoque naturalis hoc dictat; quià viris dedit prudentiam, animi magnitudinem, robur, vim imperandi; mulieribus ademit; aut ſaltèm imbecillam, languidam, imperfectam conceſsit. Certè idem D. Petrus paulò infrà, nimirùm, v. 7. *infirmius vaſculum vocat* feminam, quod & D. Ambroſius obſervavit. Taceo quòd malè rem feminæ ad gubernacula admotæ geſſerunt. Crudelis impia Athalia; Cleopatra libidinoſa ſimul, & ſanguinolenta; Semiramis Heliogabali mater, meretricio more vivens, turpia cuncta exercens in aula. Perſarum reges taxat Plutarchus *Opuſc. quod in Principe requiratur doctrina*, qui cæteros habebant loco ſervorum præter uxores, quibus tamèn maximè, ut imperarent, decebat. Romanis itèm Cato, eodem teſte Plutarcho *in Caton.* Uxores dominari dicebat contrà omnium aliorum morem. Etſi Tacitus, Clemens Romanus, Nicolaus Damaſcenus, & Heraclides de nonnullis nationibus memmorent, apud quas viris uxores præſint: & quidem non prorſus abſque bonis exemplis; ſed hæc rariſsima ſunt, & loco prodigiorum habenda. Cæterùm, ut advertit Buchanus *Rer. Scotic. lib.* 12. *in orat. Kenned.* ut tulerint quidem in ſummo honoris gradu nationes quædam feminas, non illas quidem Judicio, & ſuffragio electas, ſed naſcendi ſorte oblatas; nullus tamèn unquam populus, cùm libera eſſent ſuffragia, cùm virorum quantulacumque eſſet copia, ſibi feminas præfecit. Malè igitur ſuam tuetur cauſam mulier illa apud Lucanum *lib.* 10.

Mulieres cùm viris ſub fitæ eſſe debeant.

Geneſ. 3. 16. 1. Petr. 3. 1.

Ibid. 7.

Plutarc.

Mulier benè imperans loco prodigij habenda.

Buchan.

Lucan.

——— *Non urbes prima tenebo*
Femina Niliacas: nullo diſcrimine ſexûs
Reginam ſcit ferre Pharos.

Iſai. 3. 16.

12 Pergit Iſaiæ minitatio: *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collô, & nu-*

ti-

tibus oculorum ibant , & plaudebant , ambulabant pedibus ſuis , & compoſito gradu incedebant. Suprà & populum , & principes tàm Propheta , quàm Dominus corripuerat , inquit S. Hienonymus. Nunc ad mulieres , de quibus priùs dixerat : *& mulieres dominatæ ſunt eis* , propheticus ſermo vertitur. Porrò ſuboritur hic quęſtio , ſcitu digna. Quandoquidèm Propheta hucúſque , iuxtá ſententiam Veterum Patrum , de paſsione Chriſti , & vaſtitate Juda fuerat loquutus; quomodò his cohæreat reprehenſio ornatûs feminarum? Prophetas ſanè enthuſiaſmo non agi , néque furentium more , nunc hæc , nunc illa dicere ; ſed fuiſſe ſedatiſsimos Vates , cohęrentiaque inter ſe dixiſſe omnia ; ità quòd prima medijs , media ultimis congruerent ; conſtans eſt Veterum Patrum ſententia contra judęorum , & hæreticorum commentum ; qui omnia divina oracula vellent ſoluta , inſtar foliorum ſybillinorum , quò faciliùs pervertere poſſent. Undè D. Baſilius *in Proem.* in Iſaiam. *Non furiunt* , inquit, *néque patiuntur mentis abalienationem : prophetæ Domini non furiunt ; quòd Spiritus Sanctus , qui mentes prophetarum illuſtrat , lux eſt , & ordo , & tranquillitas.* Et D. Chryſoſtomus *homil.* 4. in Marc. idem docet his verbis : *Scriptura ſancta hæret ſibi tota , & uno ſpiritu copulata eſt ; & quaſi una catenula eſt , & quaſi circulus in circulum innectitur , & quicquid aliud ſumpſeris, aliud latè pendet.* Hinc D. Auguſtinus *de Unit. Eccleſ.* præſcribit hunc Scripturę interpretandi canonem : *ut ſi conſtiterit ex litteris apoſtolicis de intellectu alicuius loci ſcripturę , antecedentia , & conſequentia omnia , quæ cohærere videantur , eòdem referamus.* Nervoſè hanc ſententiam propugnat Leo Caſtro *Diſput. de Tranſlat. ſac. Script. cap.* 18.

Ornatus feminarum.

Prophetæ non aguntur enthuſiaſmo.

Cohærentia fundunt.

D. Baſil.

D. Chryſoſt.

D. Auguſt.

Canon interpretandi ſac. Script.

13 Cùm ergô inter ſe cohærentia oracula Prophetę fuderint ; quid eſt , quòd poſt mortem Domini , Jeroſolimitanumque excidium prænunciatum, Iſaias contrà feminarum luxum inſurgit ? Quid enim pretioſus mulierum ornatus ad Chriſti necem , atque adeò ad cladem Iſraêliticæ gentis ? Audi Hieronymum

Geminæ etiam cauſa excidij Jeroſolymitani.

mum : *Ad mulieres propheticus ſermo convertitur ; nè ſe alienas arbitrentur à crimine : ob quarum delicias, atque luxuriam depaſti ſunt exactores vineam Domini, & rapina pauperis in domibus eorum eſt, & attriverunt populum eius, & facies pauperum confuderunt.* Prętereà ſententia eſt eiuſ-

D. Hieron.

dem Hieronymi, ut vidimus ſuprà n. 4. & aliorum Patrum, Principes Judęorum divitiarum cauſâ, & quęſtûs ; & nè amitterent decimas, & primitias, negaſſe Filium Dei. Tanto ſceleri non exiguam cauſam miniſtrarunt feminę, quæ, ut pretiosè ſe ornarent,

Et necis Chriſti.

viros in omne facinus impulêre. Nàm, quæ nimiùm ornari poſtulant feminę, virum rapere docent, dùm loculos eius exhauriunt, inquit Livius, *Decad. 14. lib. 4. 2.* & Ariſtoteles lib 2. de Repub. *Neceſſe eſt, ubi feminę intemperantèr vivunt, & luxu ſolutæ, in pretio eſſe opes, & viros eſſe avaros.* Minaci itáque vaticinio Propheta fe-

Ornatus nimius feminarum viris cauſa furandi.

minas terret, quæ, ut pompaticè incederent, viros fecerunt exactores, compilatoreſque pauperum, quorum ipſæ ſudore, ac ſanguine ad laſciviam comptę luxuriabantur, & ſplendebant : ob idque maritos effeminatos impulerint ad negandum Chriſtum ; nè decimis amiſsis, minùs ornatas haberent uxores.

14 Sunt quidam, apud D. Hieronymum, qui putent, non hîc reprehendi verè feminas Judæorum, ſed metaphoricè urbibus Juda dici arbitrantur. Non diſplicet expoſitio maximô Doctorum ; quin mirificè confirmat ex libro Jeſu, ſivè Joſue, *ubi per ſingulas tribus*, inquit, *ponuntur nomina civitatum, & poſteà deſcribuntur villę, & caſtella, & filię nuncupantur.* Ego in toto libro Joſuè non reperi, ubi villæ, & caſtella, *filię* nuncupentur. Sed D. Hieronymus abſdubiò hebraicè legit, cuius verbum *Babath.* & viculos ſignificat, & filias, ut docet Vocabularium Complutenſe, ponitque exemplum ex Judic. 1. 27. *Manaſſes quoque non delevit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis.* Verùm & noſtra Vulgata conſuevit de provincijs, ac civitatibus, ac ſi mulieres eſſent, & filię, loqui, ob earum, videlicet, pulcritudinem, & luxum. Hinc

Urbes vocantur feminæ.

Filiæ pro minoribus urbibus.

D. Hieron.

Vocab. Complut.

ali-

Meretrices.

aliquandò vocat eas meretrices, ubi, nimirùm, eis exprobrat idololatriam. Iſai. 1. 21. *Quomodò facta eſt meretrix, civitas fidelis?* Jerem. 2. 20. *Sub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Sermo eſt ad Jeruſalem. Aliâs urbes vocantur *Virgines*: tùm ob earum opes, & decorem: tum ob firmam cuſtodiam, quâ nullis patebant hoſtium incurſibus: tum ob delicias, & teneritudinem. Ità Babylon vocatur Virgo. Iſai. 47. 1. *Deſcende, ſede in pulvere Virgo filia Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quià ultrà non vocaberis mollis, & tenera.* Sic ſæpè Jeruſalem, & myſticè Eccleſia vocatur *Virgo filia Sion.* Thren. 2. 13. Iſai. 72. 22. quaſi dicat: ò Sion, ò Jeruſalem, ò Eccleſia, tenerè à Deo adamata, quaſi Virgo, quæ recens deſponſata nobili juveni, eidem in amore, & delicijs eſt. Joannes Druſius (aliâs damnatus author) *lib.* 8. Obſervat. *cap.* 6. ab Hebræis vocari filiam, cœtum, & congregationem hominum, qui in loco aliquo ſimul habitant. Itáque ubi audis, *filia Edom, filia Sion, filia Jeruſalem*, ex hoc ſenſu debes has, & ſimiles locutiones accipere. Frigida ſanè obſervaciuncula: nullus quippè tàm plumbei cordis eſt; ut cùm audit Urbes, parietes, & ædificia intelligat; & non potiùs, per metonymiam, hominum cœtus in eis degentes. Noſtræ porrò Expoſitioni favet egregiè Paraphraſis Chaldæa ad Pſal. 44. 9. Nam ubi nos legimus: *Filiæ regum in honore tuo*, habet ipſa: *Regiones regnorum venient, ut ſuſpiciant faciem tuam.* Neque horret hanc phraſim ſermo Latìnus. Sic enim populum Romanum appellavit Horatius Romę ſobolem. lib. 4. Od. 3. cùm ait

Romæ principis urbium
Dignatur ſoboles inter amabiles.

In quo loci per Romę ſobolem Feſtus, Nonius, & Terentius populum Romanum ſignificari putant. Quin & D. Auguſtinus *Comment.* in eumdem Pſalmum 44. illa verba: *Filię regum in honore tuo*, interpretatur Civitates inſigniores, quæ in Chriſtum crediderunt, ità inquiens: *Eccè Roma, eccè Carthago, eccè aliæ,*

Iſai. 1. 21.

Jerem. 2. 20.

Et virgines.

Iſai. 47. 1.

Thren. 2. 13.

Druſ.

Cœtus hominum nomine filiæ ſignificatus.

Pſal. 44. 9.

Horat.

Filiæ regum inſigniores civitates.

D. Auguſt.

& aliæ civitates filiæ regum ſunt, & delectaverunt Regem ſuum in honore ipſius, & ex omnibus fit una quædam regina. Sanè utriſque quadrat animadverſio Prophetæ, ſivè feminas ſimpliciter intelligas, ſivè metaphoricè urbes, & oppida Juda: omnia quippè perierunt Romanorum irâ, ſeu potiùs juſtâ Numinis vindictâ.

15 Jam feminarum vitia partitè diſcutienda. *Elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Primò ſuperbia earum taxatur, quòd ut viris eminerent, & ab omnibus ſpectarentur, ſubijciebant ſibi cothurnos, quibus proceres incederent, & quaſi reginæ, aut deæ quædam eſſe viderentur: Hoc quippè denotatur illô vigilanti verbô: *elevatæ.* Ità Cornelius à Lapide. Cothurnus autem genus eſt calciamenti, quo crura uſque ad genua tegebantur, & ſub pede inſuebantur ſoleæ multæ, è ſubere compactæ, obtectæ coriô, quæ ſtaturæ bonam partem addebant. Virgilius hoc calciamentum tribuit Virginibus Tyrijs 1. lib. *Æneid.*

Feminæ cothurnatæ ob ſuperbiam.

Cothurnus quid.

Virgil.

——haûd equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyrijs mos eſt, geſtare pharetram.
Purpureôque altè ſuras vincire cothurno.

Altum id fuiſſe, convincunt Plinius *epiſt.* 7. *lib.* 9. & Juvenalis. *Sat.* 6. v. 505.

Juvenal.

——breviorque videtur
Virgine pygmeâ, nullis adjutâ cothurnis.

Deæ cothurnatæ. Dianam etiam cothurnatam fuiſſe patet legenti *Liviana* illa ex hymno *Trivię:*

Et jam purpureo ſuras include cothurno.

Veneris divinitatem creditam à filio ob proceritatem, additam quidem illam à cothurnis, narrat Virgilius, ubi dudùm.

virgil.

Et vera inceſſu patuit Dea.

Fingebant enim Veteres, Heroâs proceritate corporis mortales homines ſuperare. Hinc Actores Tragædiarum, cùm referrent Heroes, cothurnati incedebant, quò proceriores viderentur. Quæ inventio Æſchili Poetæ fuit, ut patet ex illo Propertij *lib.* 2. eleg. 33.

De-

Deſine & Æſchyleo componere verba cothurno. Propert.

Modò intelliges pulcerrimam Senecæ comparationem Epiſt. 77. *Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt; non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum, & clamydem in ſcena fabulæ aſſignant; cùm præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati ſimul exierunt: excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* Suetonius Tranquillus in Auguſto cap. 73. ſcribit, eum calceamentis altiuſculis, ut procerior, quàm erat, videretur, uſum fuiſſe. Quem uſum fortè didicit à Julio patre, qui teſtante Dione *lib.* 43. utebatur pedum tegmine fulmentato, & Puniceo, ut Albani Reges olim: quòd genus ſuum ad hos referebat, propter Julium à quo gens Julia. Et Caligulam ſolitum geſtare cothurnos, probat idem Suetonius in eius vita *cap.* 52. Undè patet, Reges, & graviores viros altiuſculis calceamentis uſos fuiſſe gravitatis cauſâ, ut de Indis Arrianus, & de perſis Xenophon tradiderunt. Acron etiam in Satyram. 6. Oratij *lib.* 1. notat omnium Senatorum altiores fuiſſe calceos. Liquet ſuperbia feminarum Jeroſolymitarum, quæ cothurnorum artificiô addentes ad ſtaturam ſuam cubitum unum, Heroûm, dearûmque poceritatem nimiùm inſolentes mentiebantur. Undè legit Arias Montanus. *Pro eo quòd ſuperbiunt.* Senec. Viri graviores cothurnati. Arias Mont.

16 Affine eſt, quod ſequitur: *Et ambulaverunt extento collô.* Pagninus: *extentô gutture.* Arabica: *porrectis cervicibus.* Notat indomitam illarum feminarum ſuperbiam. Nam collum, cerviceſque erigere, arrogantis eſt habitus. Undè de impio conttà Deum conante dicitur Job. *cap.* 15. 26. *Cucurrit adverſùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt.* Iſai. 48. 4. *Nervus ferreus cervix tua; & populus iſte durę cervicis eſt.* Satis frequens eſt hęc phraſis metaphorica ad ſignificandam animi contumaciam, obſtinationem, inobedientiam obfirmatam; ut dicatur *quis durâ cervice*, vel etiam *duriſsimâ cervice*, aut *indurare cervicem.* E veſtigiò *curvare cervicem*, eſt reddere aliquem faciliorem ad obedientiam. Cervicoſum Latini dicunt, qui eſt in- Iſai. 3. 16. Collum erigere arrogantis habitus. Job. 15. 26. Iſai. 48. 4. Durâ cervice quid ſignificet.

indomabilis , inexorabilis , contumax. Undè illud apud Veteres pœnæ genus fuit ; ut Magiſtratus , quem videret impetio ſuo parum obedientem , in collum eius invaderet , idque intorqueret , ut videre eſt apud Livium *lib.* 4. & Ciceronem 6. in Verrem , qui ita loquitur : *aliquem obtorto collo ad ſubſellia reducere.* Indomitam cervicem dixit Venuſina Lyra *epiſt.* 3. *lib.* 1. v. 32.

Livi.

Cicer.

——————— *At vos*
Seù calidus ſanguis , ſeù rerum inſcitia vexat
Indomitâ cervice feros.

Horat.

17 Hæc expoſitio multorum eſt , & planè commendabilis. Quamquàm non multò à Prophetæ ſcopô mihi aberrare videbitur , qui dixerit ; non tàm hîc contumaciam feminarum reprehendi , quàm vaniſsimam pulcritudinis jactantiam. Eâdem quippè ratione, quâ cothurnos pedibus ſubjiciebant , ut proceriores incederent ; colla , & cervices porrigebant , ut ſtaturam extenderent. Collum quippè erectum & celſum valdè pertinet ad pulcritudinem , ſeu venuſtatem mulierum. Hinc laus illa Sponſæ Salomonis Cant. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum* : & inferiùs cap. 7. 4. *Collum ſicùt turris eburnea.* Elegantèr ſanè , & congruentèr : nam colli celſitudo , & erectio valdè extollit pulcritudinem feminarum. Suffragatur Homerus , qui *lib. 6. Odyſſ.* Nauſicam à proceritate corporis laudat, ità inquiens : *Omnes hæc capite ſupereminet , & fronte.* Et rurſus cap. 18. *Odyſſ.* etiam à magnitudine, ſeu proceritate Penelopem commendat. Ariſtoteles *lib.* 4. *Rhet. cap.* 5. ait , *feminarum virtutem corporis eſſe formam , ſimul & proceritatem.* Cicero in Oratore loquens de iſta corporis pulcritudine , inquit : *ſtatus corporis erectus , & celſus.* Hinc Zeno Criticus pulcrę adoleſcentulæ imaginem deſcribere volens , ut refert Clemens Alexandrinus *Pedagog. lib.* 3. *cap.* 11. ità effingit: *Sit pura facies , cervix minimè ſupina , nec remiſſa membra corporis ; ſed erecta , & ſimilia ei quæ eſt in tonis , recto tono.* Crediderim itáque adeò à Propheta mulieres Sionitides fuiſſe reprehenſas , quòd hanc ſpe-

Collum erectum pulcritudo mulierum.

Cant. 4. 4.

Cant. 7. 4.

Homer.

Ariſt.

Cicer.

Pulcræ feminæ deſcriptio.

ciem

ciem pulcritudinis inſolentèr affectaſſent : ob idque inſtàr gruum , vel cygnorum protendiſſe colla , quò & à natura proceres viderentur altiores , & corpore breviores ſtaturam quoquòmodo granditent.

18 Aliud feminarum vitium. *Et nutibus oculorum ibant.* Obliquè , ſcilicet , oculum jaciendo in amaſios , & petulantèr eis annictando. Ità Caſtro , & Cornelius. Notatur libido , & procacitas puellarum Jeruſalem. Nam oculorum annictatio illicis , & meretricis certiſsimum eſt ſignum , ut inquit D. Chryſoſtomus : & S. Hieronymus in vita Hilar. *Tactus , joci , nutus , ſibili morituræ virginitatis ſunt principia.* Vanæ leviculæque feminę eſt , dùm incedit , petulantibus oculis nictare , ſubridêre alijs , propinare oculis libidinis pocula , & viciſsim ea uſque ad fundum exhaurire. Vide doctiſsimum Gaſpar Sanctium. Verùm, quià de hoc copioſus reddibit ſermo , tranſeo ad ultimum laſcivientium feminarum vituperium.

Iſai. 3. 16.

Caſt. Cornel.

Nutus oculorum ſignum libidinis in femina.

D. Hieron.

Gaſp. Sanct.

19 *Et plaudebant , ambulabant pedibus ſuis , & compoſito gradu incedebant.* Pompaticum , & geſticuloſum inceſſum coarguit Propheta. Nimis enim feminæ tripudijs , & choreis delectantur ; ut etiam cùm gradiuntur per vias , non plaudant quidèm pedibus choreas ; ſed eâ corporis inflexione incedant , tàmque molli , & compoſito gradu obambulent ; ut tripudiare videantur. Undè alij legunt apud Bibliam Maxim. *Puerizando ibant.* Verbum *Taphoph* , quod hîc ponitur, & quod *Puerizando* non ſatis latinè vertitur , ſignificat puerorum more incedere , qui tripudiando incedunt. Alij : *Pedibus ſuis tinniebant , & calceamenta habebant ſquamata.* Quià , nimirùm , feminæ , maximè divites , annulos quoſdam aureos , vel argenteos in cruribus geſtare ſolebant : quorum contactu ſonitum quemdam , & tinnitum edebant : qui quidem ſonitus , & tinnitus erat ordinatus ; ſicque Vulgata vocat *compoſito gradu incedere.* Sanctius putat , margaritarum in calceis colliſione ſonitum edidiſſe : nàm id fieri ſolitum docet Plinius *lib. 9.* cap. 35. *Tunc* , inquit, *crotalia appellant , ceù ſono quoque gaudeant , & colliſu*

Iſai. 3. 16.

Inceſſus pompaticus feminarum.

Puerizando ire quid.

Annulos in cruribus cur olim feminæ geſtare ſolitæ.

Margaritæ ſonantes in calceis feminarum.

ipſo margaritarum, affectantque jam & pauperes, lictorem feminæ in publico unionem eſſe dictantes. Ubi notat ſonantes has margaritas feminis eſſe pro lictoribus; quià ſicut lictores præcedentes ſubmovent turbàm, ſignificantes adeſſe conſulem: ſic margaritarum ſonus ſignificabat adventare nobilem heroinam, ut ipſi ab omnibus de vitâ decederetur.

Mollis inceſſus.

20 De hoc pompoſo, ſuperbo, molli, affectato, priſci præſertim temporis, feminarum inceſſu longa mentio apùd prophanos Authores. Primò ſe nobis Euripides offert, qui in *Medea* ſua de regia quadam puellâ loquens ait: *Inde relicto throno, ſurgens perambulabat ædes, mollitèr incedens, pede candido, donis exultans, & multùm ſæpè erecto collo, oculis circumſpiciens.* Haûd temere quis dixerit à noſtro Propheta hanc deſcriptionem mutuaſſe Euripidem. Sed & Petronius Arbiter non minùs ad rem in *Satyr.* inquit: *Quò enim ſpectant flexæ pectine comæ? Quò facies medicamine attrita, & oculorum quòque mobilis petulantia? Quò inceſſus arte compoſitus, & nè veſtigia quidèm pedum extra menſuram aberrantia? Niſi quòd formam proſtituis, ut vendas?* Hoc laſcivum ſtudium, & in inceſſu affectata mollicies, quamquàm à mulieroſo Naſone 3. *de Art. amandi* laudetur, cùm ait:

Euripid.

Petron.

Ovid.

Eſt in inceſſu pars non temnenda decôris;

à prudentioribus tamèn meritò deridetur. Undè idem Petronius Satyricus inquit:

Petron.

——————— *omnibus ergo*
Scorta placent, fractique & enervi corpore greſſus,
Et laxi crines.

Conſonat Propertius:

Propert.

Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ
Et canit, ut ſoleant molliter ire pedes.

Ut proinde mirum non ſit, ſi tales motus Seneca tamquam pueriles deteſtatur. *Lib.* 1. *Cauſ. Natur. cap.* 31. his verbis: *Tenero, & molli inceſſu non ambulamus, ſed repimus.* Marcus Tulius lib. 1 offic. *Cavendum eſt, nè tarditatibus utamur in inceſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur.* Omnis hæc ambu-

Senec.

landi

andi ars, quâ feminę ſibi decorem, & gratiam affingebant, in eo potiſsimùm ſtabat; quòd agilitate, & levitate nimiâ, quaſi ſolâ ſummitate pedis pavimentum tangere viderentur. De quo fusè præmemoratus Petronius, his verbis concludens:

Planta decens modicos neſcit calcare lapillos:
Et durâ lædi ſcelus eſt veſtigia terrâ.
Ipſa tuos cùm ferre velis per lilia greſſus,
Nullo ſternuntur leviori pondere flores.

21 Nec ſolô elegantiæ, aut luxûs ſtudio, ſed & propter pompam, & maieſtatem tardigradas incedere feminas, docet eruditè Pater Sanchez laudatus à Pinto *Spicileg. Sacr.* trat. 1. cap. 36. *Ec quis gradus pompaticus? Ego illum capio, qui non merum faſtum, & arrogantiam involvit; ſed ſimul decorem, & quodammodò rhytimicam menſuram adhibet gradienti.* Eſt porrò umbra quędam chorearum, quæ *cromaticæ*, vel graves dicuntur. De his Catullus: *Quam videtis incedere rhymicè, ac moleſtè.* Et Propertius:

Ibat & expanſo planta morata gradu.

Inceſſus iſte perſonis inſignibus magnęque authoritatis congruit; in cuius rei teſtimonium P. Ramirez *lib. 5. var. lect.* quemdam poêtam, nomine Ruthg, adducit, qui de Polixene ita fatur:

——— pede fulta brevi procera venuſtas
Poplitis erecto vibrans veſtigia greſſu.

Pariter de Helena.

Pes brevis inceſſu terram librante ſupino,
Laſcivum ſuſpendit iter, currumque decora
Mobilitas compto libramine ponderat artus.

Latini gradum, ſeù *paſſum Junonis* vocant, à Græcis mutuato nomine. Appellatur itèm paſſus complicatus, quòd plicatis veſtibus fieret. Junonis porrò dicitur; quoniam gravis ſemper incedere ſolita, ut quæ Regina divûm eſt credita. Undè ipſa apud Virgilium:

Aſt ego quę divûm incedo regina, Joviſque
Et ſoror, & conjux.

Et Propertius lib. 11. Eleg. 11. — *Incedit vel Jove digna ſoror.*

Gradus pompaticus quis. Sanct. Ramir. Ruthg. Paſſus Junonis. Virgil. Propert.

Un-

Junonium incedere quid.

Undè natum Proverbium: *Incedere Junonium.* Iactatum nempè in faſtuoſum, ac lentum quorundam inceſſum, quem notat & Horatius in *ſatyr.* 3. *lib.* 1. v. 10.

Horat.

—— *velut qui Junonis ſacra ferret.*

Etenim ſacrorum eius pompa lento gradu, ac plenô maieſtatis duci ſolita. Undè & Virgines eidem dicatæ compoſito hoc gradu, inquit Livius, incedebant.

22 Nec ſolum feminis hic mollis, & affectatus inceſſus in vitio fuit, ſed etiam turpiùs à viris uſurpatus. Ob hanc rem putant aliqui Doctores, reprehenſos in hoc, quod pertractamus, Iſaię capite, Principes, & Dynaſtas Hebręos, qui evirati mollitie, & in femineum luxum declinantes, ad eorundem infamiam, filiarum hîc nomine appellantur. Vide Pintum. *loc. cit.* cap. 35. Quàm hoc fœdum ſit, & ignominiæ plenum, liquet ex irriſionibus Criticorom. Apulejus lib. 2. Metamph. *Alius ſoccis ſubauratis inductus, ſerica veſte, mundóque pretioſo, & attextis capite crinibus, inceſſu perfluo feminam mentiebatur.* Phedrus Comicus lib. 6. cap. 22. in Menandrum quemdam eviratum: *Unguento delibutus, veſtitu affluens, veniebat greſſu delicato, & languido.* Julius Firmicus Aſtron. 8. cap. 7. *Eorum veſtes ad muliebris cultus ſimilitudinem excolentur: hi & molliter ambulantes veſtigia ſua delicatâ moderatione ſuſpendent.* Inter Patres Lactantius Firmianus *lib.* 7. *de Provid.* & ipſe hanc inceſſûs petulantiam in viribus arguens, inquit: *Quorum enervata corpora in muliebrem inceſſum, habitumque emollita.* Concordat Salvianus: *Cùm enim muliebrem habitum viri ſumant, & magis quàm mulieris gradum fingant.* Denique Pontanus ſupra illa Ovidij carmina Faſt. 5. ubi de Gigantibus canit.

Hebræorum Dynaſtæ ritu muliebri incedentes.

Viros ut feminas incedere ignominioſum.

Apul.

Phedr.

Jul. Firm.

Lactant.

Salvian.

Pontan.

Virgil.

Terra ſeros partus, immania monſtra Gigantes
Edidit auſuros in Jovis ire domum,
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues;

Hæc habet: *Quòd autèm ait habuiſſe angues pro cruribus, hoc nempe eſt, quòd inceſſu quodam ſuperbo, tamquam an-*

anguium ſpiras imitati ſunt : videlicèt , non ſine faſtu in ſemicirculo , contortis pedibus , ſeù veſtigijs. Idque Thraſonibus, populariſque auræ captatoribus in conſuetudine eſt. Hæc olim dicta , ſed quæ optimo jure detorqueri valeant in noſtri temporis feminas , & viros ; illos dico quos novo , ſed laſcivo Vocabulo *Petimetres* , & *Petimetras* appellant ; comptulam , nimirùm , dilicatam & mollem juventutem ; cui vix comparare queas Jeroſolymitanas delicias , ſivè veſtiûm pompam ſpectes , ſivè criſpaturam crinium , ſivè corporis flexus , ſivè greſſûs teneritudinem , ſivè quodvis aliud libidinis argumentum.

Petimetres, & *Petimetras* ſugillantur.

23 Hæc ſunt vitia feminarum Sion , & quibus Deus graviſsimè offenſus fulminat in eas ſupplicia ſeveriſsima, qualia ſunt calvitium , pedum nuditatem , opum , moniliumque ſpoliationem , teterrimi fœtoris graveolentiam. Audi ſupplicia : *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudavit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum , & lunulas , & torques , & monilia , & armillas , & mitras , & diſcriminalia , & periſcelidas , & murenulas , & olfactoriola , & inaures , & annulos , & gemmas in fronte pendentes , & mutatoria , & palliola , & linteamenta , & acus , & ſpecula , & ſindones , & vittas , & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor , & pro zona funiculus , & pro criſpanti crine calvitium , & pro faſcia pectorali ſilicium.* Hæc omnia perdiderunt filiæ Sion : *putantes* , inquit S. Hieronymus , *ſuæ potentię , quod habebant, & non Domini gratiam.* Nec volumus diutiùs in ſingulis immorari ; nè prudenti lectori , qui fortè iam nauſeat ad dicta, quaſi ad ſuperflua, majus faſtidium faciam. Quamquàm, ut longior ſim , cogit me ipſa brevitas ſententiæ, quam elucidandam ſuſcipio ; quæ plerumque nimis obſcura maneret , ni antecedentium , & conſequentium illuſtratione clareſceret.

Mulierum nimis ſe ornantium pœnæ.

Iſai. 3. 17.

D. Hieron.

Cur Author prolixior in Expoſitionibus.

24 Ergo principem noſtri laboris textum ſub meditationis incudem revocemus. *Filiæ Sion nutibus oculorum ibant.* Quærit Pater Celada Comment. *in Jud.* cap. 9. v. 13. §. 26. num. 142. *Quid eſt oculis , ſeù nutibus ire : cùm pedibus incedere ſoleamus , non oculis* ? Eccè ubi eruditus Scriptor Senſuûm Commutationem olfecit : dùm id , quod proprium eſt pedum , oculis tributum agnovit. Sed exa-

Oculis ire quid.

Celad.

minanda locutionis formula ; ut ſuavior fiat auribus , quibus primô ſono apparet abſurda. Et quidem , ni vehementer fallor , unicus tantum in ſacris voluminibus locus eſt, in quo ſimilis orationis habitus reperiatur. Is habetur *Luc.* 9. 53. ubi rationem reddens , quam ob rem Chriſtum Samaritani non recepiſſent , inquit : *Quià facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Quod Eraſmus Author (alias damnatus ,) vertit ad literam : *Facies eius erat vadens in Jeruſalem.* Et pius Joannes Maldonatus : *Facies eius erat iens.* Poſſet fortè inſervire propoſito illud teſtimonium Zachariæ 4. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini , qui diſcurrunt in univerſam terram.* Verum hîc non de veris oculis eſt ſermo , ſed allegoricis , nimirùm , vel de ſeptem Angelis , qui Domino aſtant ; vel de totidem donis Spiritus Sancti , ut communi calculo Doctores exponunt , tùm hîc , tùm etiam *cap.* 3. 9. eiuſdem Prophetæ : *Ecce lapis , quem dedi coram Jeſu, ſuper lapidem unum ſeptem oculi.* Apocalyp. item 5. 6. *Et vidi agnum tamquàm occiſum , habentem cornua ſeptem , & oculos ſeptem ; qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei , miſsi in omnem terram.* Tantùm ergo duo illa teſtimonia , quibus facies , & oculi ambulare dicuntur , ſub noſtro conſilio cadunt , adeòque illuſtranda ſe offerunt.

Facies ambulans.

Luc. 9. 53.

Eraſm. Maldon.

Zach.

Septem oculi Domini qui.

Zach. 3. 9.

Apoc. 5. 6.

1. Expoſitio.

25 Eſto igitùr expoſitio prima. Oculi ambulare dicuntur , quòd innuunt metam , quam pertingere volumus. Eò quippè oculos dirigere conſuevimus , quò anxiè pervenire optamus. Locutio eſt metaleptica , ubi ex ſigno ſignatum , & ex antecedente , id quod naturaliter conſequi ſolet , datur intelligi. Sicùt enim oculi loqui perhibentur , qui innuunt , quod dictum velis ; ita ire dicuntur , qui præferant iter , animo deſtinatum. Neque certè ſpecialis dificultas eſt in hoc ſchemate , quæ non abundè in præcedentibus Expoſitionibus fuerit diluta. Nam , quià oculi ſunt animorum indices : & ſigno tribui ſolet actio, aùt res cuius eſt ſignum ; ideò rectè *oculi* dicuntur *ambulare* , ſicut dicuntur *guſtare* , *audire* , *olfacere* , *luxuriari*. &c. Hoc admonere ſufficiat ; nè eadem repetendo & inanem mihi laborem , & lectoribus faciam ſtomachum.

Locutio metaleptica.

Signo tribuitur actio ſignati.

26 Jam verò oculis , atque adeò toto vultû præconceptum animo iter palàm indicari , laudatum ex Luca teſti-

teſtimonium clariſsimè docet : *Et non receperunt eum ; quia facies eius erat euntis in Jeruſalem.* Ex ipſo itáque vultu tamquam ex certa ratione collegerunt Samaritani , Chriſtum verſus Jeroſolymam iter intendere : adeò in Chriſti facie apparebat pietas , quâ Jeroſolymam contendebat , diem feſtum Scenopegiæ celebraturus. Cuius quidèm repulſę cauſam iſthîc appingere collubet. Nam quin hîc ponatur , nullam invidiam puto. Cauſâ igitùr Religionis Dominus à Samaritanis rejicitur. Contendebant quippè Samaritani , non in templo Jeroſolymitano , ſed in ſuo contrà legem in monte Garizim à Sanabalath conſtructo , Deum eſſe colendum. Hinc perpetua lis , & ſchiſma Judæos inter & Samaritanos , alijs , nimirùm , ab alijs tamquàm à profanis hominibus temperantibus : ità prorſùs ut illa mulier Samaritana mirata fuerit , Chriſtum hominem Judæum etiam in maxima ſiti potum à ſe petiviſſe , ut patet *Joan.* 4. 20. Contrà verò Judæi , quòd ex Samaria veniſſet , eidem exprobrabant. *Nonnè benè dicimus nos , quia Samaritanus eſt tu , & domonium habes ?* Joann. 8. 48. Spreverunt itáque Jeſum Samaritani , quaſi ſacra ſua contemnentem , & hoſtium ſuorum Judæorum religioni faventem. Hoc autem ex ipſo vultu cognoverunt , in quo pium illum , & religioſum propoſitum apparebat.

Facies oſtendit quo ire velis.

Cur à Samaritanis Chriſtus non receptus.

Joan. 4. 9.

27 Miró ſanè conſenſu in eundem ſcopum oculos, & animum collimare videmus. In eo quod quis diligit, totus corporeis oculis occupatur : quôque tendit cordis affectio , illuc oculorum acies naturaliter dirigi conſuevit. Hinc David de ſe ipſo ajebat Pſal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes , undè veniet auxilium mihi.* Poſitus in exilio montes , in queis Jeruſalem ſita erat , & arca , anhelabat ardenter : ideóque oculos ad illos levabat : quia id quod vehementer cupimus , etiam oculis ſuſpiramus. Eôdem animo Danielem in Babylone captivum verſus eandem Civitatem oraſſe comperimus. *Feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contrà Jeruſalem adorabat , confitebaturque coràm Deo ſuo.* Dan. 6. 10. Tobiæ mater , filij abſentiam durè ferens, *Quotidiè exiliens circumſpiciebat , & circuibat vias omnes , per quas ſpes remeandi videbatur , ut procul videret eum , ſi fieri poſſet , venientem.* Tob. 10. 7. Quandò aliquem deſideramus,

Animorum , & oculorum conſenſus.

Pſal. 120. 1.

Dan. 6. 10.

Tob. 10. 7.

&

& ſperamus adfore, eò dirigimus oculos, undè ſperamus eſſe venturum. Atque in univerſum: id oculus videre fatagit, quod animus concupiſcit. Hinc oculos in cælum levare geſtus eſt cæleſtia ſuſpirantium. Pſal. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Iſai. 38. 14. *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Act. Apoſt. 1. 10. *Cumque intuerentur in cælum euntem illum.* Ubi Ambroſius: *Deficiebant oculi, & erant totô ſuſpenſi corpore.* Chriſtum quoque *ſublatis oculis in cælum* oraſſe, narrant Evangeliſtæ. Joan. 6. 41. & 17. 1. Matth. 14. 19. E veſtigiò, impiorum eſt oculos à cælo avertere, atque in terram ponere. Pſal. 16. 12. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Impudici, ac iniqui ſenes, caſtæ Suſannę calumniatores, *everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, nè viderent cælum, néque recordarentur judiciorum juſtorum.* Dan. 13. 9. Patet igitùr Commutationis ſenſus. Nam quià cordis motus oculi perpetuò ſequuntur, eóque tendunt, quò illud pertingere avet; ideo rectè dicuntur ambulare, ſuiſque nutibus ire.

Oculos in cælum levare cuius geſtus. Pſal. 122. 1. Iſai. 38. 14. Act. Apoſt. 1. 10.

Oculos declinare in terram cuius geſtus. Pſal. 16. 12.

Dan. 13. 9.

28 Apud humanarum literarum cultores nihil frequentiùs hac figuratâ locutione reperies. Celebris eſt locus quidam Apuleij 10. *Metam.* fin. pag. 183. ubi amoris Deam, quæ omnium pulcerrima vulgò credebatur, ità à venuſtate oculorum & gratiâ deſcribit: *Et nùnc mirè quid conniventibus, nùnc acrè comminantibus oculis geſtire pupulis, & nonnumquam ſaltare ſolis oculis videbatur.* Super quibus verbis hęc ſcribit, & commentatur Beroaldus. *Saltare oculis decenter dicitur Amoris dea, cuius oculi mobiles, lubrici, verſatiles, quaſi ſaltare videbantur. Tales enim oculos in femina amorabundâ probare ſolemus. Undè & poêtę Amoris deæ petos oculos dant. Peti autem oculi dicuntur leniter inclinati, & cum venuſtate.* Hæc Beroaldus. Petos etiam dixit Salomon.

Flavicomos crines, petum qui laudet ocellum.

Conſonat Baptiſta pius:

Illa notat petoſque oculos, vultúſque loquaces.

Pontanus accinit

Nigra & lumina, Petuloſq̃ ocellos, Colla & cãdida, Veſculas papillas.

Et iterùm

Sed cùm lumina, Petuloſque ocellos, Huc illuc agis, Et ſubinde rides.

Apulei.

Oculi ſaltantes quomodo.

Beroal.

Peti.

Salomon.

Bap. pius.

Pontan.

Va-

anguium ſpiras imitati ſunt : videlicèt , non ſine faſtu in ſemicirculo , contortis pedibus , ſeù veſtigijs. Idque Thraſonibus, populariſque auræ captatoribus in conſuetudine eſt. Hæc olim dicta , ſed quæ optimo jure detorqueri valeant in noſtri temporis feminas , & viros ; illos dico quos novo , ſed laſcivo Vocabulo *Petimetres* , & *Petimetras* appellant ; comptulam , nimirùm , dilicatam & mollem juventutem ; cui vix comparare queas Jeroſolymitanas delicias , ſivè veſtiûm pompam ſpectes , ſivè criſpaturam crinium , ſivè corporis flexus , ſivè greſſûs tenetitudinem , ſivè quodvis aliud libidinis argumentum.

Petimetres, & *Petimetras* ſugillantur.

23 Hæc ſunt vitia feminarum Sion , & quibus Deus graviſsimè offenſus fulminat in eas ſupplicia ſeveriſsima, qualia ſunt calvitium , pedum nuditatem , opum , moniliumque ſpoliationem , teterrimi fœtoris gravcolentiam. Audi ſupplicia : *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudavit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum , & lunulas , & torques , & monilia , & armillas , & mitras , & diſcriminalia , & periſcelidas , & murenulas , & olfactoriola , & inaures , & annulos , & gemmas in fronte pendentes , & mutatoria , & palliola , & linteamenta , & acus , & ſpecula , & ſindones , & vittas , & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor , & pro zona funiculus , & pro criſpanti crine calvitium , & pro faſcia pectorali ſilicium.* Hæc omnia perdiderunt filiæ Sion : *putantes* , inquit S. Hieronymus , *ſuæ potentię , quod habebant, & non Domini gratiam.* Nec volumus diutiùs in ſingulis immorari ; nè prudenti lectori , qui fortè iam nauſeat ad dicta, quaſi ad ſuperflua, majus faſtidium faciam. Quamquàm, ut longior ſim , cogit me ipſa brevitas ſententiæ, quam elucidandam ſuſcipio ; quæ plerumque nimis obſcura maneret , ni antecedentium , & conſequentium illuſtratione clareſceret.

Mulierum nimis ſe ornantium pœnæ.

Iſai. 3. 17.

D. Hieron.

Cur Author prolixior in Expoſitionibus.

24 Ergo principem noſtri laboris textum ſub meditationis incudem revocemus. *Filiæ Sion nutibus oculorum ibant.* Quærit Pater Celada Comment. *in Jud.* cap. 9. v. 13. §. 26. num. 142. *Quid eſt oculis , ſeù nutibus ire : cùm pedibus incedere ſoleamus , non oculis ?* Eccè ubi eruditus Scriptor Senſuûm Commutationem olfecit : dùm id , quod proprium eſt pedum , oculis tributum agnovit. Sed exa-

Oculis ire quid.

Celad.

minanda locutionis formula ; ut ſuavior fiat auribus, quibus primò ſono apparet abſurda. Et quidem, ni vehementer fallor, unicus tantum in ſacris voluminibus locus eſt, in quo ſimilis orationis habitus reperiatur. Is habetur *Luc.* 9. 53. ubi rationem reddens, quam ob rem Chriſtum Samaritani non recepiſſent, inquit : *Quià facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Quod Eraſmus Author (alias damnatus,) vertit ad literam : *Facies eius erat vadens in Jeruſalem.* Et pius Joannes Maldonatus : *Facies eius erat iens.* Poſſet fortè inſervire propoſito illud teſtimonium Zachariæ 4. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Verum hîc non de veris oculis eſt ſermo, ſed allegoricis, nimirùm, vel de ſeptem Angelis, qui Domino aſtant ; vel de totidem donis Spiritus Sancti, ut communi calculo Doctores exponunt, tùm hîc, tùm etiam *cap.* 3. 9. eiuſdem Prophetæ : *Ecce lapis, quem dedi coram Jeſu, ſuper lapidem unum ſeptem oculi.* Apocalyp. item 5. 6. *Et vidi agnum tamquàm occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem ; qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſsi in omnem terram.* Tantùm ergo duo illa teſtimonia, quibus facies, & oculi ambulare dicuntur, ſub noſtro conſilio cadunt, adeòque illuſtranda ſe offerunt.

Facies ambulans.

Luc. 9. 53.

Eraſm.

Maldon.

Zach.

Septem oculi Domini qui.

Zach. 3. 9.

Apoc. 5. 6.

1. Expoſitio.

25 Eſto igitùr expoſitio prima. Oculi ambulare dicuntur, quòd innuunt metam, quam pertingere volumus. Eò quippè oculos dirigere conſuevimus, quò anxiè pervenire optamus. Locutio eſt metaleptica, ubi ex ſigno ſignatum, & ex antecedente, id quod naturaliter conſequi ſolet, datur intelligi. Sicùt enim oculi loqui perhibentur, qui innuunt, quod dictum velis ; ita ire dicuntur, qui præferant iter, animo deſtinatum. Neque certè ſpecialis dificultas eſt in hoc ſchemate, quæ non abundè in præcedentibus Expoſitionibus fuerit diluta. Nam, quià oculi ſunt animorum indices : & ſigno tribui ſolet actio, aùt res cuius eſt ſignum ; ideò rectè *oculi* dicuntur *ambulare*, ſicut dicuntur *guſtare*, *audire*, *olfacere*, *luxuriari*. &c. Hoc admonere ſufficiat ; nè eadem repetendo & inanem mihi laborem, & lectoribus faciam ſtomachum.

Locutio metaleptica.

Signo tribuitur actio ſignati.

26 Jam verò oculis, atque adeò toto vultû præconceptum animo iter palàm indicari, laudatum ex Luca teſti-

teſtimonium clariſsimè docet : *Et non receperunt eum ; quia facies eius erat euntis in Jeruſalem.* Ex ipſo itáque vultu tamquam ex certa ratione collegerunt Samaritani , Chriſtum verſus Jeroſolymam iter intendere : adeò in Chriſti facie apparebat pietas , quâ Jeroſolymam contendebat , diem feſtum Scenopegiæ celebraturus. Cuius quidèm repulſę cauſam iſthîc appingere collubet. Nam quin hîc ponatur , nullam invidiam puto. Cauſà igitùr Religionis Dominus à Samaritanis rejicitur. Contendebant quippè Samaritani , non in templo Jeroſolymitano , ſed in ſuo contrà legem in monte Garizim à Sanabalath conſtructo , Deum eſſe colendum. Hinc perpetua lis , & ſchiſma Judæos inter & Samaritanos , alijs , nimirùm , ab alijs tamquàm à profanis hominibus temperantibus : ità prorſùs ut illa mulier Samaritana mirata fuerit , Chriſtum hominem Judæum etiam in maxima ſiti potum à ſe petiviſſe , ut patet *Joan.* 4. 20. Contrà verò Judæi , quòd ex Samaria veniſſet , eidem exprobrabant. *Nonnè benè dicimus nos , quia Samaritanus eſt tu , & domonium habes ?* Joann. 8. 48. Spreverunt itáque Jeſum Samaritani , quaſi ſacra ſua contemnentem , & hoſtium ſuorum Judæorum religioni faventem. Hoc autem ex ipſo vultu cognoverunt , in quo pium illum , & religioſum propoſitum apparebat.

Facies oſtendit quo ire velis.

Cur à Samaritanis Chriſtus non receptus.

Joan. 4. 45.

27 Mirô ſanè conſenſu in eundem ſcopum oculos, & animum collimare videmus. In eo quod quis diligit, totus corporeis oculis occupatur : quôque tendit cordis affectio , illuc oculorum acies naturaliter dirigi conſuevit. Hinc David de ſe ipſo ajebat Pſal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes , undè veniet auxilium mihi.* Poſitus in exilio montes , in queis Jeruſalem ſita erat , & arca , anhelabat ardenter : ideóque oculos ad illos levabat : quia id quod vehementer cupimus , etiam oculis ſuſpiramus. Eôdem animo Danielem in Babylone captivum verſus eandem Civitatem oraſſe comperimus. *Feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contrà Jeruſalem adorabat , confitebaturque coràm Deo ſuo.* Dan. 6. 10. Tobiæ mater , filij abſentiam durè ferens, *Quotidiè exiliens circumſpiciebat , & circuibat vias omnes , per quas ſpes remeandi videbatur , ut procul videret eum , ſi fieri poſſet , venientem.* Tob. 10. 7. Quandò aliquem deſideramus,

Animorum , & oculorum conſenſus.

Pſal. 120. 1.

Dan. 6. 10.

Tob. 10. 7.

&

& ſperamus adfore, eò dirigimus oculos, undè ſperamus eſſe venturum. Atque in univerſum: id oculus videre ſatagit, quod animus concupiſcit. Hinc oculos in cælum levare geſtus eſt cæleſtia ſuſpirantium. Pſal. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Iſai. 38. 14. *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Act. Apoſt. 1. 10. *Cumque intuerentur in cælum euntem illum.* Ubi Ambroſius: *Deficiebant oculi, & erant totô ſuſpenſi corpore.* Chriſtum quoque *ſublatis oculis in cælum* oraſſe, narrant Evangeliſtæ. Joan. 6. 41. & 17. 1. Matth. 14. 19. E veſtigiò, impiorum eſt oculos à cælo avertere, atque in terram ponere. Pſal. 16. 12. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Impudici, ac iniqui ſenes, caſtæ Suſannę calumniatores, *everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, nè viderent cælum, néque recordarentur judiciorum juſtorum.* Dan. 13. 9. Patet igitùr Commutationis ſenſus. Nam quià cordis motus oculi perpetuò ſequuntur, eóque tendunt, quò illud pertingere avet; ideo rectè dicuntur ambulare, ſuiſque nutibus ire.

Oculos in cælum levare cuius geſtus. Pſal. 122. 1. Iſai. 38. 14.

Act. Apoſt. 1. 10.

Oculos declinare in terram cuius geſtus. Pſal. 16. 12.

Dan. 13. 9.

28 Apud humanarum literarum cultores nihil frequentiùs hac figuratâ locutione reperies. Celebris eſt locus quidam Apuleij 10. *Metam.* fin. pag. 183. ubi amoris Deam, quæ omnium pulcerrima vulgò credebatur, ità à venuſtate oculorum & gratiâ deſcribit: *Et nùnc mirè quid conniventibus, nùnc acrè comminantibus oculis geſtire pupulis, & nonnumquam ſaltare ſolis oculis videbatur.* Super quibus verbis hęc ſcribit, & commentatur Beroaldus. *Saltare oculis decenter dicitur Amoris dea, cuius oculi mobiles, lubrici, verſatiles, quaſi ſaltare videbantur. Tales enim oculos in femina amorabundâ probare ſolemus. Undè & poętę Amoris deæ petos oculos dant. Peti autem oculi dicuntur leniter inclinati, & cum venuſtate.* Hæc Beroaldus. Petos etiam dixit Salomon.

Apulei.

Oculi ſaltantes quomodo.

Beroal.

Peti.

Salomon.

Flavicomos crines, petum qui laudet ocellum.

Bap. pius.

Conſonat Baptiſta pius:

Illa notat petoſque oculos, vultúſque loquaces.

Pontan.

Pontanus accinit

Nigra & lumina, Petuloſq; ocellos, Colla & cãdida, Veſculas papillas.

Et iterùm

Sed cùm lumina, Petuloſque ocellos, Huc illuc agis, Et ſubinde rides.

Va-

Vagos itèm appellavit Boccius: *Et hoc vagis oculis, & effrenâ lingua, petulanti animo, vultu incompoſito.* Ludibundos, qui grato aſpectu ſpectantes alliciunt. Gellius cap. 5. lib. 3. *Nam cùm vocem eius infractam, capillumque arte compoſitum, & oculos ludibundos, atque illecebræ voluptatiſque plenos videret.* Sequaces, Architro. *Longô aſpectu rem ſibi gratam, & jucundam proſequentes.* Statius lib. 3.

Perlegere animis, oculiſque ſequacibus auras.

Vagi. Boet. Ludibundi. Gellius. Sequaces. Statius.

Idem ibidem

—— Fugit eccè vagas ratis acta per undas
Paulatim minor, & longè ſervantia vincit
lumina.

Lubricos Baptiſta pius:

Nam modò me dominę malè lubricus angit ocellus.

Emiſsitios id eſt, exilientes ab emittendo. Plautus in Aululari: *Circumſpectatrix cum oculis emiſsitijs.*

Lubrici. Bapt. pius. Emiſsitij. Plautus.

Favet etiam locutioni verè aureus S. Petrus Chryſologus ſerm. 139. *Vagus oculus, laſcivus intuitus, improbus aſpectus, ſuas non reſpicit ad ruinas, totus cupiditatis incendiô, velociùs per aliena percurrit, quàm currit ignis arida terrena per gramina.* Hoc item ſchemate veteri proverbio dictum: *Oculus dexter mihi ſalit.* Quod uſurpari ſolebat, ubi ſpes erat videndi lętum quippiam, & vehementer exoptandum. Ductum inquit Eraſmus in *Proverb.* à mulierculârum ſuperſtitione, quæ ex membri pruritu divinare ſolent, quid ſit eventurum. Undè illa apud Plautum non ſemel obvia: *prurit mihi tergum, pruriunt dentes, pruriunt pugni: & utrùm dentes tibi pruriunt? an molæ?* Theocritus in Amaryllide:

En oculus dexter ſalijt mî. Illam nè videbo?

Chryſol. Oculum ſalire quid. Eraſm. Plautus. Theocrit.

Eſt etiam apud Plautum: *Supercilium ſalit.* Hodiéque per jocum ajunt, ſibi dexteram tinniſſe aurem, ſignificantes, alicubi ſermonem de ſe abſentibus factum cum laude. Idque Plinius teſtatur, vulgò quandoque creditum fuiſſe, ut, qui laudaretur abſens, ei dextera tinniret auris; qui vituperaretur, ſiniſtra. Lucianus in Dialogis meretricijs: *Num vobis tinniebant aures, Parmeno? Nam hora aſsiduè cum lacrymis veſtri meminerat.*

Superſtitio de tinnitu aurium. Plin.

29 Secundò aſperitatem Commutationis facilè lævigabis auxilio Metonymiæ figuræ, ſeu veriùs tropi, quô cau-

2. Expoſitio. Metonymia.

Ceres pro frugibus.

ſa pro effectu ponitur ; uſitatiſsimâ , nimirùm , apud Authores formulâ : ex quibus nullo negotiô poſſem myriades exemplorum adducere ; ſed non in hoc ſtudeo , ut paginas impleam. Sat fuerit unum , aut alterum gratiâ claritatis ponere. Virgilius 1. *Georgicor.*

Virgil.

At rubicunda Ceres medio ſuccidit æſtu.

Cererem dixit pro *frugibus* , quòd hæc inveniſſe frumenta credita eſt , iuxta illud poetæ:

Prima ceres unco terram demovit aratro,
Prima dedit fruges , alimentáque mitia terris.

Bacchus pro vino.

Similitèr *Bacchus* pro *Vino* ſolet accipi iuxtà illud tritum: *Sinè Cerere , & Baccho friget Venus* : propterea quòd eum inveniſſe vinum fabulantur. Undè Tibullus de Meſſala:

Tibullus.

Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis una dedit pedibus.

Vini proprietates.

Indè vini proprietates eidem quòque Baccho paſsim tribuuntur : qualia ſunt lætum reddere potantem , iocoſum, inverecundum , calentem. Adi , ſi lubet , epitheta Joannis Raviſij Textoris. Eadem ergo licentiâ poſſumus & nos explanare præſentem Commutationem , in qua pedum inceſſus de oculis annuntiatur. Nam quòd pedes motus ſuos agunt, luminum profectò beneficium eſt. Oculi quippè dirigunt hominem incedentem. Qui caret oculis , pedibus quòque carere cenſetur. Cæcus aut ſedere omninò cogitur , aut paſsim errare , ſi incedere tentat. Rectè proinde ambulare dicuntur oculi , ſine quibus pedes ambulare neſciunt.

Text.

Oculis diriguntur pedes.

30 Hanc autem pedum ab oculis dependentiam ſujecta teſtimonia abundè declarant. Proverb. 4. 25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Cur præcedant? Audi : *Dirige ſemitam pedibus tuis , & viæ tuæ ſtabilientur.* Et infrà cap. 23. 26. *Oculi tui vias meas cuſtodiant.* Oculi junguntur viæ; quià lumina dirigunt incedentem , ut rectâ incedat , nè deflectat in avia , nevè in ſcopulos , & ſaxa impingat , aut in foveam corruat. Lucernam quòque pedibus deputatam , & lumen ſemitis , apud Davidem legimus Pſal. 117. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen ſemitis meis.* S. Job. beneficio oculorum adjunxit pedum officia,

Prov. 4. 25. 26.

Ibid. 23. 26.

Pſal. 117. 105.

ficia, cùm dixit cap. 29. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Job. 29. 15.
Conſequens quippè fuit, ut qui dedit oculos, dediſſet & pedes. Celebre eſt illud teſtimonium Chriſti Matth. 5. 22. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Omnia corporis membra beneficiô luminis huius rectè officijs ſuis funguntur, ut non manus in operando, néque pedes aberrent in ambulando, atque ita in cæteris. Hac ratione cæci homines ubíque deſcribuntur ſedentes. Tob. 5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cęli non video?* Matth. 20. 30. *Eccè duo cæci ſedentes ſecùs viam.* Marc. 10. 46. *Filius Timęi Bartimæus cæcus, ſedebat iuxtà viam mendicans.* Luc. 18. 35. *Cæcus quidam ſedebat ſecùs viam, mendicans.* Profectò luminum defectus cogit pedem ſiſtere, atque adeò totum hominem reſidere. Undè quos tenebræ obvolvunt, ſedêre dicuntur. Pſal. 106. 10. *Sedentis in tenebris, & umbrâ mortis.* Oſeæ 14. 8. *Convertentur ſedentes in umbra eius.* Mich. 7. 8. *Conſurgam, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt.* Matth. 4. 16. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Luc. 1. 79. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Cum ergo tàm indigeant pedes oculorum lumine, ut ſine illo vix incedere valeant; rectè oculis tribuitur actio pedum; & quoniam ambulare docent, meritò ambulare dicuntur. *Nutibus oculorum ibant. Facies eius erat vadens.* Hæc pro literali ſenſu dicta ſufficiant. Nunc moribus reformandis ſtudeamus pro viribus.

Matth. 5. 22. Cæci cur ſedentes.
Job. 5. 12.
Matth. 20. 30.
Marc. 10. 46.
Luc. 18. 35.
In tenebris ſedere cæcorum eſt.
Pſal. 106. 10.
Oſeæ. 14. 8.
Mich. 7. 8.
Matth. 4. 16.
Luc. 1. 79.

VARIETAS LECTIONUM.

Pro eo quòd elevatę ſunt filię Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant. Vulg.

Extento guture &c. ambulando, & tripudiando ibant, & in pedibus ſuis calceamenta habebant ſquamata. Pagn.

Pro eo quòd ſuperbiunt &c. fallentes oculis. &c. & plaudendo, & pedibus ſuis tinniebant. Arias.

Puerizando ibant. Malu.

Quandò quidem faſtuoſę. &c. incedendo molliter, & fractę eunt, & pedibus ſuis ornamenta adhibent. Tigur.

Et

Septuag. *Et in inceſſu pedum ſimùl trahentes tunicas, & pedibus ſimùl ludentes.*

Cald. *Et ſtibio tinctis oculis ibant, & crinibus circumvolutis, & pedibus ſuis provocantes.*

Arab. *Quià ſeſe efferunt, & porrectis cervicibus, annuentes oculis, crepitantes pedibus veſtes ſuas ſimùl reptant, ſuiſque veſtigijs ludunt.*

CONCORDIA.

Nutibus oculorum. Alij, *Fallentes oculis.* Verbum *ſahar* nutare ſignificat; ſed quià fictis oculorum nutibus decipimus, ideò alij verterunt: *Fallentes oculis.* Alij, *Puerizando ibant, plaudendo.* Verbum *taphoph* quod hic ponitur, & quod *puerizando* non ſatis latinè vertitur, ſignificat puerorum more incedere, qui tripudiando, & ſaltando incedunt. *Et compoſito gradu incedebant.* Alij, *Pedibus ſuis tinniebant, & calceamenta ſquamata.* In Heb. non eſt *calceamenta*, ſed dilucidandæ dictionis gratiâ ſuppletum eſt. Dictio deribatur ab *ghacas*, quod eſt condire, & ſignificat ſecundùm aliquos, annulos quoſdam aureos, vel argenteos, quos feminę, maximè divites, in cruribus geſtare ſolebant: & ſic circulorum huiuſmodi contactû ſonitum quemdam, & tinnitum edebant: & hic ſonitus, & tinnitus erat ordinatus; ſicque *Vulg.* vocat, *compoſito* gradu incedere.

DISSERTATIONUM ABACUS.

1. Oculus vagus præcipitem trahit pedem.
2. Melius eſt labi pedibus, quàm oculis.
3. Oculus perverſo tumore ambit pedis officium.
4. Sancti Franciſci Xaverij pedes inſtar oculi veloces.
5. S. Franciſco Xaverio plurimę facies; ſed unus inceſſus.
6. S. Andreas crucem & provocavit fortis, & ſuſpiravit amans.
7. Virtutis ſtadium is cutrit egregiè, qui celum ſpectat.
8. Claudicant non nulli, haûd pede, ſed oculo.
9. Ut alieno ſerviamus oculo, laboramus impigrè.
10. Quales oculi, tales & pedes.
11. Bonorum Prælatorum boni ſubditi.
12. Vana gloria ſpectatore fovetur.

DIS-

DISSERTATIO I.

OCULUS VAGUS PRÆcipitem trahit pedem.

Oculi, & Solis comparatio.

1 QUod ſol in mundo, hoc oculus in corpore; quem, obſecro, intuemini. Clara ille lampas eſt terræ, feneſtra aperta ad ſphęras, illuminator aeris, progenitor viventium, ornamentum ſimul, & gaudium univerſitatis; oculus denique, qui in fronte firmamenti circumagitur, & gyratur. Intuemini modò oculum humanum. Clara lampas eſt corporis, feneſtra mentis, illuſtrator ſenſuum, communis phantaſmatum interiorum progenitor, ornamentum, & jucunditas totius hominis: Sol denique qui in cęlo frontis convolvitur, & rotatur. Sed quàm prudentem, ſolicitumque oporteat eſſe aurigam, & rectorem ſolis, miſerabilis Phaetontis caſus, à Scriptoribus fabularum confictus, ſat manifeſtum reddit. Nam cùm hic adoleſcens aceptum à Patre ſolarem currum retinere intrà certam viam ignoraſſet; efficit, ut modò terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris conflagraret, regioneſque vel ad cardines mundi inſuetum æſtum ſentirent: modò tellus Æthiopicum graviſsimis, & inſuetis frigoribus premeretur. Ergo terræ globus accenditur, exiccantur flumina, in cineres abeunt germina, ipſa adeò ſaxa, & rupes calore ſolvuntur. Dixiſſes, pulcerrimam terræ faciem, ob unum ſolem temerè gubernatum, in faciem abyſsi fœdè converſam, paradiſumque amœnum in tartara nigra. Luculentiſsimè Ovidius. 2. *Metamorph.*

Oculi vagantis damna Fabula Phaetontis deſignat.

Gubernator imprudens.

Ovid.

Corripitur flammis, ut quæque altiſsima tellus,
Fiſſaque agit rimas, et ſucciſsaret ademptis.
Pabula caneſcunt, cum frondibus uritur arbor;
Materiamque ſuo prebet ſeges arida damno.
Parva queror, magnæ pereunt cum mœnibus urbes,
Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt, ſylvæ cum montibus ardent.
Ardet Athos, &c.

2 Fabulam narravi. Fateor. Sed fabulam, quæ non raro in animo noſtro, temerario ſcilicèt Phaetonte, verum habet. Audi Petrum Chryſologum ſerm. 139. *Vagus oculus, laſcivus intuitus, improbus aſpectus ſuus non reſpicit ruinas, toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quam currit ignis arida, & terrena per gramina.* Auriga itaque favillantis globi, hoc eſt, oculi noſtri, animus eſt. Nam ut docet M. Tullius, *Animi eſt omnis actio.* Vix ille per naturam corpoream viſiva lumina ſua expandit, cùm eccè fons omnis internæ potentiæ cognoſcitivę illuſtratur, novo germine intellectus gaudet, mens fœcundam ſe miratur, tota anima ſuos partus ſtupet. Manus item, & pedes, qui cęci nati ſunt, poſſunt & ipſi de viſione gloriari. Sed heu miſeram Mortalium ſortem! Auriga imprudens, ac medium tenere neſciens, per audacem curioſitatem obliquans, lumina in tranſverſum agitat, terræque plùs juſto appropians, parvum hunc mundum concupiſcentiæ ardoribus flammat, urit virtutum flores, morum vireta depaſcit, animæ vires enervat, manuſque, & pedes per invia raptos cæcis voraginibus exponit. Denique non niſi rogum accenſum carnem illam dixeris, totumque hominem in dæmonium transformatum ob ſoliùs oculi gubernaculum, & regimen imprudens. Heu me! quanta ſtrages, quanta ruina oculi in-

S. Petrus Chryſol.

Animi eſt omnis actio. Cicer.

correcti ! Hæc ferè declamavit quondam eloquentiſsimus Capucinorum Prædicator P. Emmanuel Orchus , apud. *Scarlatin. tom.* 1. *Hom. Symb.*

Emman. Orch.

3 Ità ſanè , corruit namque illicò pes hominis , ſi liberiùs oculus devagatur. Severiſsima ſunt , quæ filiabus Ieroſolymæ Dominus minitatur : calvitium, nempe , nudationem crinium, pedum nuditatem , opûm omnium , & monilium jacturam, denique totiùs mundi muliebris ſpolium . *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion , & Dominus crines earum nudabit. In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum , & lunulas , & torques , & monilia , & armillas, & mitras , & diſcriminalia , & periſcelidas , & murenulas , & olfactoriola , & inaures , & annulos , & gemmas in fronte pendentes , & mutatoria , & palliola , & linteamina , & acus, & ſpecula , & ſindones , & vittas , & theriſtra.* Iſai. cap. 6. à verſ. 16. Quàm longa ſeries malorum ! Quàm feminis deploranda jactura ! Unius pallij denudationem ægerrimè tulit modeſtiſsima Sponſa. *Tulerunt pallium mihi cuſtodes muroram.* Cant. 5. 7. Quid non dolerent vaniſsimæ feminę tòt pretioſorum damna monilium ? Qualis porrò earum culpa , quæ tantam pœnam commeruit ? Audi Dominum. *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo , & nutibus oculorunt ibant.* Vagus earum oculorum inceſſus iracundiam Numinis vehementer provitavit. Verùm quantum peccatum eſt in femina , nutibus pervagari licentiùs ? Idem ac vagari pedibus , moreque meretritio hûc illuc diſcurrere. Ideò ſignatè dicuntur , non pedibus incedere , quod proprius videbatur ; ſed oculis ire : quoniàm oculis vaga femina tantùm pedibus aberrare conſuevit , quantùm luminibus divagari. Mulier impudica pedes geſtat in oculis, & dùm videt , ambulare dicitur : quippè actutùm ire pedibus amat , quò liberè oculos permittit abire. Juſtiſsimè itaque Dominus in filias Sionis ob oculorum licentiam acriter deſævit: quoniàm totis pedibus aberrare ſunt viſæ , quæ totis luminibus vagabantur. *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion , & ambulaverunt extento collo , & nutibus oculorum ibant. Decalcabit Dominus, &c.*

Oculo vagante, illicò pes corruit.

Iſai. 6. 16.

Feminæ de ornatu ſolicitæ.

Cant. 5. 7.

Iſai. 3. 16.

Oculorum licentiam ſeverè punit Deus, & cur.

Mulier impudica pedes geſtat in oculis.

4 Quòd ſi adhuc ambigis de hoc pernitioſo luminum , & pedum conſenſu , accipe aliud celebre etiam Domini teſtimonium. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te ; erue eum , & projice abs te.* Matth. 5. 29. Scandalum Græca vox eſt , & propiè nihil aliud ſignificat , quàm offendiculum pedis ; v. g. parùm elevata terræ portio , in qua cæſpitare ſolemus ; ſivè objectus lapis , in quem gradientes impingimus. Ergonè luminibus adhęremus terræ , ut propterèa lapidum offendiculum patiamur , cùm videmus , ſicut cùm gradimur ? Ità. Oculis ſcandalizari poſſumus ęquè, ac pedibus. Namque animus impudicus oculis graditur , palpebriſque pro pedibus utitur. Opportunè Tertulianus de Idololatria cap. 2. *Oculus libidinosè impingit.* Et de pudicitia cap. 14. *Non nè & tunc in faciem alicuius impingens ?* Impingere proprium eſt pedum ; oculis tamèn tribuitur, & meritò ; tantus quippè eſt inter membrum utrumque conſenſus in lapſum , ut quod de oculo dicitur , de pedibus quòque enunciari credatur.

Matth. 5. 29.

Scandalum pro priè quid.

Oculis cur tribuitur ſcandalum.

Homo impurus oculis graditur.

Tertul.

5 Haūd vacare myſterio putandum eſt , quod idem Evangeliſta Matthęus hanc ipſam Domini ſententiam retractans infrà , *cap.* 18. 8. expreſsè meminit offendiculi pedum , quod tamèn omninò tacuit illo ſuperiori loco *cap.* 5. ubi de oculo ſcandalizante laudata verba poſuit. Ità ergô habet : *Si autèm pes tuus ſcandalizat te , abſcide eum,*

Pedis & oculi conſenſus.

Matth. 18. 8. *eum , & projice abſte. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te , erue eum & projce abſte.* Cur ergò hîc tam pedis , quàm oculi ſcandalum ponit ; ibi autèm ſolius oculi recordatur ? Conſultiſſimè. Quia , nimirùm , tanta eſt inter pedem , & oculum connexio , tantaque in ruinam conſpiratio ; ut uno cadente, cadat & alter. Sat ergò Matthęus expreſsit ſcandalum pedum, cùm offendicula meminit oculorum : oculus quippè dùm corruit , neſcio quò pondere , plantas poſt ſe trahit in ruinam.

Oculorum ſtrages. 6 Vis , id ipſum exemplis ſuadeamus. Ecce filios Dei præcipites datos ob filias hominum à ſe viſas. Eccè Davidem, tùm mirâ ſanctitate præfulgentem, tùm bellicâ fortitudine præditum, è ſolario corruentem in turpe lectum , ut Bethſabeam aſpexit. Eccè Iſraèlis Iudices , & munere graves , & ætate niveos è ſubſelijs deturbatos in hortum , unius Suſannæ aſpectu correptos. Eccè Samſonem , virum Nazarçum , atque adeò abſtemium , in amplexus alienigenæ feminæ ruentem , quòd oculis ſuis placuit. Quid plura commemorem , quæ paſsim occurrunt ? Cave igitùr vim & robur peſtiferi aſpectus ; nequit enim pes non labi , ut oculos libido occupaverit. Quid porrò eſt , quod David Bethſabeam , quò die adamavit , defloravit ; cum tamèn Pharaò apud ſe non paucos dies commorantem Saram non tetigerit ? Non Bethſabea , quàm Sara pulcrior. Non Pharaò Davide continentior , aut ſanctior. Cùr ergò David corruit inter Pſalmos; Pharaò inter illecebras conſtitit? Quia , nimirùm , libidinis venenum ille oculis , hic auribus hauſit. Nuntiatum eſt Pharaoni adeſſe feminam. *Nunciaverunt principes Pharaoni , & laudaverunt eam apud illum.* Gen. 12. 15. Spectavit David mulierem in balneo. *Viditque mulierem ſe labantem.* Tanti eſt , quò ſenſu traharis in illecebram. Vel idololatra ſeſe continebit , ſi extra oculos fiat impetus. Cæterum ſi luxuria invadit oculos, nè Propheta quidem ſecurus eſt à lapſu. Verùm de potentia oculorum in caſtris libidinis tàm multa dicta ſunt in ſuperioribus, ut ferè iam pudeat amplius in re non honeſta , quamvis honeſtè immorari.

Luxuria quæ ab oculis pugnaciſsima.

Gen. 12. 15.

2. Reg. 11. 2.

Circumſpectio etiam viris perfectis neceſſaria.

Oculus totius corporis ductor. 7 Maius imperium habet oculus. Ductor eſt ille totius hominis. Ab illo habet quòd rectè in via ſalutis incedit. Oculo deviante toto erramus cælo. At ſalvi ſumus , ſi in directum ille tendit. Domini verba ſunt: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum , & reſpiciens retrò , aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. 62. Alta & mira ſententia ! Numquid oculis aramus ; & non manibus ac pedibus ? Da hominem oculatiſsimum , qui tamèn manibus careat, aut pedibus ; nùm ille ducèt aratrum ? Quomodò ergò Salvator alienum à regno cæleſti pronuntiat eum , qui manu ſtibam premens , retrorſùm lumina vertit ? Quià , nimirùm , arator , cuius oculi poſt tergum reſpiciunt , rectos ſurculos ducere non valet. Fruſtrà manus inſudat aratro , fruſtrà plantæ vomeri adhærent , niſi eas oculus inſtruat , ducatque. Bonus Agricola priùs oculis, quàm manibus , aut pedibus arat : probè quippè noſcit , vanum eſſe totius corporis laborem , cui oculus non incumbit. Credo , percipis allegoriam. Sermo eſt de animæ culturâ; cui prorſus ineptus eſt homo, qui manibus & pedibus laborans, alió oculos intendit. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Nemo poteſt Deo ſervire , & Mammonæ. Et nemo poteſt arare æternitati , qui rebus temporalibus lumina locat. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò , aptus eſt regno Dei.*

Luc. 9. 62.

Intentio recta.

Agricultura ſpiritualis.

Oculi arantes.

Æterna tantùm.

Deo & mundo ſervire nemo poteſt.

8 Quin

Intentio recta in unum Deum.

8 Quin & profus totum ſe ab agricolatione retrahet homo, cuius oculi hunc laborem deſpexerint. Nam quotus quiſque eſt, qui illo ſtudio libenter incumbat, quem oculis averſatur? Manus ergò & pedes citò avocabis ab aratro, niſi oculis in opus intenderis. Bene ergò aramus, ſi intrà agri metas oculos coercemus. Penitùs nihil facimus, Deo dignum, ſi à perrumpendis aruis oculos abducimus. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

Animæ ſalus ut pendet ab oculis.

9 Vide, ut animæ felicitas maximè ab oculis pendet. Oculis rectè incedimus in via ſalutis, & oculis aberramus. Nihil ergò proderit homini, quòd pedibus non deviet, ſi luminibus divagatur. Audi grande ſupplicium. *Reſpicienſque uxor eius*, (Lot) *poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Gen. 19. 26. Quid punitur in fœmina? Converſio, nimirùm, oculorum in Patriam pereuntem. Atqui pedes ab injunctò ſibi itinere non retraxit. Atqui viri & liberorum comitatum haùd deſeruit. Atqui jam penè attigerat urbem Segor, metam, inquam, ſalutis. Tamèn obriguit in ſaxum. Et ob ſolos reflexos oculos in Sodomam? Ità. In via ſalutis retrò aſpicere, aberrare eſt. Nihil prodeſt homini, quòd pedibus in Segor tendat, ſi luminibus graditur in Sodomam. Cælum non pertinges, ſi aſpexeris terram. Hærebis in ſemita, lapis immotus, ſi plantis viam tenentibus, oculis Sodomam repetis. *Reſpiciens uxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.*

Supplicium uxoris Lot.

Geneſ. 19. 26.

Patriæ oblivio.

Occaſio mala fugienda.

Æterna tantum.

Religioſi obliviſcantur ſæculi.

Oculi ut totum hominem rapiunt.

10 Quid, quòd infelix mulier non tantùm excæcatur, ſed toto corpore duratur in ſaxum? Peccant oculi & tota plectitur? Statua ſit immobilis, quoniam aberrarunt lumina? Æternùm ſiſtere cogitur, quòd oculos retorſit liberiùs? Ità. Atqui ſat punita videbatur fœminæ curioſitas, ſi ſolâ fuiſſet cæcitate percuſa. Cur igitur totis riget membris, quæ ſolis deprehenſa eſt divagaſſe puppiùllis? Nimirùm, trahit ſua quemque curioſitas. Illò ferimur totò corpore, quòcumque oculus fertur. Rector hic eſt greſſûs hominis. Ductorem ſuum reliqua membra ſequantur, oportet. Non ergò rectà procedere pedes illius cenſendi, cuius palpebræ retroſpicere amarunt. Quomodò namque ſtulta fœmina collum retorqueret in Sodomam, ni pedes ſimilitèr obvertiſſet? Meritò proinde verſa eſt in ſtatuam perpetuam, totoque corpore obriguit, ob converſos oculos in Sodomam: etenim totus homo aberrare dignoſcitur, ubi lumina deviare permittit. *Reſpicienſque uxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.*

Curioſitas vitanda.

11 Sanè nihil ità pedem ſervat à lapſu, quàm rectus in cælum oculus. Davidem audi: *Oculi mei ſemper ad Dominum; quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Pſal. 24. 15. Noraſtin? Ut armatos pedibus laqueos tutò Propheta devitet, oculos in cælum ſubrigit. Atqui preſtaret incolumitati pedum, lumina in terram defigere. Sanè. Aſtronomus ille, dùm ſidera ſpeculatur attentiùs, miſerè cadit in foveam, non abſque intuentium riſu. Quid ergò Regius vates cælum ſuſpicit, ut pedum caveat errores? Sapientèr. In via virtutis oculis potiùs, quam pedibus incedimus. Irretorta in Deum lumina deviare pedes haùd ſinunt. Nequit enim non rectam tenere viam, qui ambulat coràm Deo. Facilè prolabitur in perditionem, laqueoſque cæcos incurrit, qui oculos à cælo avertens, defigit in mundum. Ergò nè pedibus offendamus interram, oculos in cælum levemus. *Oculi mei ſemper ad Dominum; quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Serva oculos, & ſervabis pedes.

Pſalm. 24. 15.

Oculi levandi nè pedes impingant.

Dei præſentia.

DIS-

DISSERTATIO II.

MELIUS EST LABI PEdibus, quàm oculis.

Clem. Alex.

1 SEntentia elegans Clement. Alexandrin. *Pedag.* 13. *cap.* 11. Nedum labimur pedibus, ipſis etiam oculis corruimus. Etenim non ſolis plantis datum eſt nobis incedere, verum & luminibus gradi. De filiabus Sion dixit Propheta, quod *nutibus oculorum ibant*. Quoque perditiſſimarum feminarum ruinam meliùs deſcriberet, non contentus pedum immodeſtiam notaſſe illis verbis: *Ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant*: oculorum quoque præcipitem licentiam depinxit: quippè longè infeliciùs oculis, quàm pedibus labi conſuevimus. *Nutibus oculorum ibant.*

Oculis labi infeliciſsimum. Iſai. 3. 16.

Luxuria oculis concepta ferè inſanabilis.

2 Cur porrò ita? Quia qui labitur pede, citò conſurgit; qui corruit oculis, vix curari poteſt. Mirum eſt illud: *Nequius oculo quid creatum eſt?* Eccli 31. 15. Quaſi diceret: Nihil prorsùs. Sua oculus nequitiâ ſuperat, quidquid iniquum eſt. Sed undè tanta oculo nequitia? Profectò in ruinam noſtram nullus non ſenſus conſpirat, nullum non membrum conſentit. Auditû, guſtû, olfatuque trahimur in præceps; manibus in vetita ruimus, pedibus ad malum currimus. Cùm ergò ſenſus omnis tàm ſit nobis iniquus, miror, nequitiæ arcem in oculis à Siracide collocari. Verùm non inſipienter ſupremam oculorum nequitiam expoſuit: quando nullo acriùs concitamur ſenſu, nullo commembro impellente ruimus infeliciùs, quàm oculorum petulantiâ. *Nequius oculo quid creatum eſt.*

Oculorum nequitia nulla maior.

Ab oculo præcipuè cavendum.

3 Accipe de hac re exemplum aptiſsimum, quod narrat D. Auguſtinus *lib. 6. Confeſſ. cap.* 8. Alipius, quo amico familiariter utebatur, à theatralibus ſpectaculis, ſivè unius ſtudio modeſtiæ, ſivè ipſius ingenio naturæ maximè abhorrebat. Aliquando tamen coactus ab amicis eo ſe trahi paſſus eſt: teſtatus nihilominùs, eò ſe, ut morem illis gereret, affuturum corpore, defuturum animo, nè ſuum ſolemne propoſitum violaret. Imò ad ſpectacula cæcum fore ſpectatorem, clauſis ſemper oculis, nè ſenſus ebiberet, quod animus reſpuebat. Haùd renuunt amici pactionem, partim eius conſtantiam periclitari cupientes, partim non dubitantes, ſi corpus adeſſet, oculos, & affectus in ſpectaculo ſolvendos. Itur igitur in theatrùm: dantur ludi: fervent omnia immaniſsimis voluptatibus. Aderant ſpectatores oculati; unus inter omnes Alipius, clauſis oculis, cæco cæcior conſiſtebat. Eccè in fervore digladiandi unus ab altero ceditur, dejitur Antagoniſta. Fit plauſus, cietur crepitus, tollitur in cælum clamor; totum reſultat faventium ſtudijs, & crepantium vocibus amphitheatrum. Quid Alipius? Victus ſcuriositate videndi; ſed victurus ſtatim, ut falsò ſibi perſuadebat, voluptatem rei, quamcumque ſpectaſſet, ad priorem ſe revocando cæcitatem. *Aperuit oculos* inquit Auguſtinus, *& percuſſus graviore vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupivit: cecidit miſerabilius, quam ille, quò cadente, factus eſt clamor.* Et poſt pauca: *Ut enim vidit illum ſanguinem, inhumanitatem ſimùl ebibit, & non ſe avertit, ſed fixit aſpectum. Et hauriebat furias, & neſciebat; & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat ille, qui venerat; ſed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius à quibus adductus*

D. Auguſt.

Exemplum de violentia oculorum.

Circumſpectio.

Nemo ſibi fidat.

Spectacula impia cavenda.

ductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit. Abstulit ille secum insaniam, qua stimularetur redire, nè tantum cum illis, à quibus prius abstractus est, sed etiam præ illis, & alios trahens. Vides quam ob unum intuitum miserabiliter cecidit Iuvenis, alioqui modestiæ studiosissimus, propositique sui valde tenax. Infelicius corruit, quàm qui vulneratus occubuit. Gravius namque vulnus in anima excepit, quam ille in corpore.

Occasio mala fugienda.

Oculorum violentia.

4 Mirum est sanè quàm violenter præcipitamur ab oculis. Non paulatim ruimus in scelera; sed quasi impetum fortissimum passi demergimur in profundum malorum. *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt deos earum.* Num. 25. 2. Grande profectò scelus Israelitarum. Defecêre à Deo; & abdicata veri Numinis, quam profitebantur, Religione, antè turpissimum Idolorum procubuere. Porrò quid Israelem in tantum flagitium compulit? Nimirùm, spectaverunt sacrificia Moabitidum. *Vocaverunt eos ad sacrificia sua.* Invitati fuerunt à feminis, non sacrificaturi, sed spectaturi dumtaxàt. Sed qui pollutis sacrificijs interesse non sunt veriti, in flagitium flagitiosissimum sunt prolapsi. Facile quippè scelus amplectitur, cuius placet spectaculum. Sacrificabit Idolis, qui eorum sacrificia videre non horret. *Adoraverunt deos earum.* Quid homo Christianus facit in templis Priapi? Quid Ecclesiasticus in Schola Veneris? Quid Religiosus in scena Cupidinis? Clarius. Cur ille vir, qui diabolo, & pompis eius renuntiavit ad fontem Regenerationis, Theatra illa ingreditur, ubi impudicæ Comœdiæ (quorum utinàm minor copia) dantur, ubi feminæ liberrimè saltant, ubi inhonestæ cantiunculæ audiuntur, ubi præludia libidinis fervent? Ingredior, inquis, spectaturus dumtaxat. Equidem credo. Verùm, dùm, quò non debueras, pergis, admittes, quæ non putasti. Oculò impellente rues in crimina, quæ spectasti, ipsaque adorabis idola, quorum sacrificijs adfuisti. Crede mihi, ludes cum ludentibus, cum edentibus edes, cùm alienis feminis implicaberis, & coram earum idolis procumbes. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt deos earum.*

Num. 25. 2.

Feminarum blanditiæ cavendæ.

Comœdiæ. Theatra.

5 At mitiùs in nos sævirent oculi, si quàm facile deturbant in præceps, tàm citò ab impetu quiescerent. Verùm, quem semel dejecerint, vix permittunt, ut resurgat. Ut proinde maximè hic locum habeat illud Sybilę monitum apud Virgilium lib. 9. *Æneid.*

Luxuria vix expellitur, semel admissa.

Virgil.

Facilis descensus Averni;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Quadrat & illud Horatij *lib.* 4. *Od.* 7. v. 21.

Horat.

Cùm semel occideris, & de te
Splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non te, Torquate, genus, non
facundia, nèc te
Restituet pietas.
Inferis nèque enim tenebris
Diana pudicum
Liberat Hyppolitum.
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Perithoo.

Sed agamus sacris. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur,* inquit Oseas cap. 5. 4. Cur? *Quià spiritus fornicationum in medio eorum.* Proverbium fuit Hebræorum: *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Loquitur ibi Salomon de adultera. Prov. 2. 19. Quid cla-

Osee 5. 4.

Prov. 2. 16.

clarius ? Quidve horribilius ?

David lapſus. 2. Reg. 11. 2. 4.

6 Verùm preſsiùs de luxuria, quæ ab oculis naſcitur, profeſsi ſumus eloqui. Davidem quam nullo negotio è ſolario mentis deturbavit. Vidit: Corruit. *Vidit mulierem ſe lavantem: Miſsis nuntijs dormivit cum ea.* 2. Reg. 11. 2. 4. Vides regem integerrimum facillimè à ſuiſmet oculis actum in præceps. Haùd mirùm tamen, quòd nudâ pulcritudine ſubitò conſpectâ Princeps incaluit; multò quippè acriùs feriunt jacula non prævisa. Sed mirandum valde quòd tamdiù jacuit in cœno, & Dei oblitus, & ſui. Conſtat quippè per novem integros menſes, quibus Bethſabea ex eo conceptum fœtum utero geſtavit, & peperit, non recogitaſſe, quanta ſcelera cùm adulterij, tùm homicidij admiſiſſet, ſed liberè voluptatibus cum Bethſabea indulſiſſe. Quin ut tandem reſurgeret, Nathani Prophetæ monendus fuit oraculò, minis exterrendus. *Miſsit itaque Dominus Nathan ad David.* Quis non hic ſtupeat ? David ſanctitatis alumnus, gratiæ candidatus, innocentię thronus, virtutùm omnium diſcipulus, & magiſter. David cæleſtium arcanorum vel à puericia conſcius, ſui ævi Angelus, vir ſecundùm cor Dei, ſanctitate vel ſuperior, vel certè non impar quibuſvis Patriarchis & Prophetis. Tantus, inquam, vir jacet incœno luxuriæ, adeòque non horret longam ſpurcitiem; ut opus habuerit minis terreri, commoneri ſermonibus, ut tandem è luto impuriſsimo ſurgat. Num ideò id Davidi accidiſſe putandum, quià optimorum caſus conſuevit eſſe peſsimus ? Equidem ex altiori loco gravior eſt ruina, atque adeo irreparabilior. Sublimis Lucifer, ſublimis Adamus; ſed utriuſque caſus miſerrimus omnium. Ratio minimè contemnenda. Verùm propoſito noſtro convenientiùs dixerim; ideo tamdiu in luto Davidem volutaſſe, tamque egrè ab illo retraxiſſe pedem, quòd eò prolapſus eſt oculorum caſu. Ruit ergò oculis; id circò dificillimè revocavit greſſus, puraſque evaſit ad auras : *Vidit mulierem ſe lavantem. Miſsis nuntijs dormivit cum ea. Miſsit Dominus Nathan ad David.*

Davidis cæcitas.

Libi poſſunt optimi.

Circumſpectio etiam perfectis neceſſaria.

Caſus optimorum gravior.

7 Res fiet comparatione illuſtrior. Ut Bethſabeam David, ſic Judas cognovit Thamarem. *Ad unum coitum mulier concepit.* Geneſ. 38. 18. Diverſò tamen ſucceſſu : etenim Judæ poſt amplexum nulla erga Thamarem ſcintilla amoris. *Attamen ultrà non cognovit eam.* David autèm vehementer adeò Bethſabeam arſit, ut, (quod vetitum erat Judęis,) poſtquam adulterio polluit, cuiuſque virum occiderat, uxorem duxerit. *Facta eſt ei uxor.* Num Judas Davide ſanctior ? Minimè gentium. Núm ob ætatem frigidior in venerem? Atqui multò David ſenior Judâ. Qui ergo tàm hæſit in luto David, & ſanctior & ſenior; cùm Judas minùs exercitæ virtutis Iuvenis ſtatim pedem retraxerit? Nimirùm, vidit Judas Thamarem, ſed peplo diſsimulatam. *Operuerat enim vultum ſuum, nè agnoſceretur.* Genſ. ſup. 15. Vidit David Bethſabeam, ſed corpore nùdam. *Vidit mulierem ſe lavantem.* Tanti eſt, quò irritamenta luxuriæ excipias ſenſu. Spes eſt reſurgendi, ſi in pulcritudinem non viſam homo incurrat. Cæterùm ægrè nimis revocabitur ab illecebris, in quas fuerit oculorum œſtro detruſus. Citò Judas amare deſijt Thamarem coopertam. *Ultrà non cognovit eam.* Cæterùm Bethſabeam in balneo aſpectatam tùm David amare dedidicit, cùm David eſſe deſijt. *Facta eſt ei uxor.*

Geneſ. 38. 18.

Ibid. 26.

2. Reg. 11. 27.

Senes quandòque Iuvenibus luxurioſiores.

Aſpectus impidici. Geneſ. ſup. 15.

Balneorum periculum.

8 Non abſimilis dux duci, Davidi Samſon. Is, ut unam de filiabus Philiſthinorum vidit, deperijt. Audi quid ipſe optimis Parentibus narrat : *Vidi mulierem*

Samſon.

Iudic. 14. 2.

vem in Thamnatha de filiabus Philiſthinorum, quam, quæſo, ut accipiatis mihi uxorem. Iudic. 14. 2. Ità loqui audet Samſon, quem Angelus naſciturum prædixit ad excidium Philiſthinorum; qui vino, ſiceraque abſtinuit; cuius caput novaculam haud ſenſit; cuius infantia dicata Domino vel ex utero matris ſuæ; in cuius pectore Dei ſpiritus exundabat? Ita. Vidit quippè. Et ab oculorum impreſſionibus non fortiſsimus quiſquè, non abſtemius, non impollutus, non Nazarçus immunis. *Vidi mulierem, quam, quæſo, accipiatis mihi uxorem.*

Luxuria audet in omnes.

9 Verùm, qui tàm facilé in concupiſcentiæ foveam incidit, nullis rationum funibus poſt retrahi valuit. Audi quibus parentes optimi agunt conſilijs, ut filium à propoſito nuptiarum abducant. *Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo tuo, quià vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt.* Ibid. 3. Quid viro Nazaræo, & ſanctorum filio potuit validius objici, ſi ſapere vellet? Verùm nihilo cordatior effectus, in ſententiâ perſiſtit. *Dixitque Samſon ad patrem ſuum: hanc mihi accipe;* Atqui obſtat Religio. *Hanc mihi accipe.* Atqui abundant in populo Dei ſelectiſsimæ puellæ. *Hanc mihi accipe.* Quid ſi pauper ſit? *Hanc mihi accipe.* Quid ſi ſordidis parentibus nata? *Hanc mihi accipe.* Quid ſi proſtitutæ pudicitiæ? *Hanc mihi accipe.* Et cur ità? *Quià placuit*, inquit, *oculis meis.* Optima, nimirùm, ratio! Sed quæ mirificè robur, & vim oculorum declarat. Ut oculos libido occupaverit, inhiberi pes nequit ab incœpto erroris itinere. Nihil enim ratio, nihil Religio, nihil parentum authoritas prçvalebunt contrà oculorum inſaniam. Conclamata res eſt. Placuit oculis fœmina: Non quieſcet Samſon, donec uxorem habeat; quamvis idolorum cultricem, quamvis alienigenam, quamvis hoſtem. *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.*

Ibid. 3.

Ibid.

Luxuria imprudens.

Matrimonia ob libidinem.

10 Hùc facit inſperatus conſenſus parentum. Ut enim reſponſum Samſonis audiere, illicò deſcenderunt in Thamnatha, ut filij nuptias cum puella maturarent. *Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnata.* ibid. 7. Quid priorem mentem deſeritis, boni ſenes? Deteſtatam modò filiam Incircumciſorum filio veſtro conſociare pergitis? Haüd veremini, illiberali cupiditati juvenis morem gerere? Cur non potiùs in idololatræ ſinum ruentem filium revocare contenditis? Labor irritus. Audivimus enim oculis irretitum. *Placuit oculis meis*, & qui oculis eſt lapſus, nullo conſilio, vi nulla detineri poteſt, nè eat in profundum. Quamquàm impotentiori libidine traheretur Samſon, frenari à parentibus potuiſſet. At oculorum ſtimulis punctum fruſtrâ conſiliorum habenis cohibere tentaſſent. Proindè itaque Manue, nuptiarum, quas initiò reprobaverat, illicò paranymphus efficitur: deſperavit quippè filij venerem comprimere poſſe, quam luminibus hauſiſſet. *Hanc mihi accipe, quià placuit oculis meis. Deſcendit itáque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnatha.*

Luxuria obſtinata.

Ibid. 7.

11 Hinc eſt, quòd Habraham, Angelo excidium Sodomorum minitanti, non ſemel preces oppoſuit; cùm tamen ſæviturum in omne genus hominum Deum nec ſemel Noe placare ſtuduerit. Vidè ut inſtantiſsimè Abraham pro Sodomitis deprecatur: *Numquid perdes juſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul? Abſit à te, ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus, ſicut impius, non eſt hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.* Geneſ.

Oculorum luxuria nocentiſſima.

S. Abraham. Geneſ. 28. 3.

neſ-

S. Noe.

Geneſ. 6. 13.

Ibid. 5.

Geneſ. 13. 13.

Libido præpoſtera omnium peſsima.

Geneſ. 19. 4.

Geneſ. 6. 2.

Luxuria oculorum lethifera.

Ierem. 9. 20.

neſ. 28. 23. Et cætera quæ in id ipſum perſequitur. Quid porro Noè ? Audit illam Domini tremendam ſententiam : *Finis univerſæ carnis venit coram me* ; & omnino nil rogat. Num Abrahami viſcera , quàm Noemi humaniora ? Nùm unius Sodomæ clades , quàm totius Mundi gravior ? Nùm Deus , quàm Angelus cenſeri potuit implacabilior ? Num Mundi laſcivia turpior , terriorque quàm Sodomæ? Noemi quidem ſæculo *vidit Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra.* Verùm Abrahæ tempore *Homines Sodomitæ peſsimi erant , & peccatores coram Domino nimis.* Quarè ergò de Sodomorum ſalute ſperavit Abraham , & de reparatione ſui ſæculi Noemus deſperavit ? Ideò, ni fallor , quòd Sodomorum libido haüd ab oculis fluxiſſe narratur. Et quidem dificile creditu apparet , nullum non Sodomæ incolam , vidiſſe Angelos , hoſpites Lothi ; cùm tamèn conſtet, nullum eorum non cæleſtes Iuvenes violare tentaſſe. *Priùs autèm quam irent cubitum , viri civitatis vallaverunt domum à puero uſque ad ſenem , omnis populus ſimul.* Genſ. 19. 4. Luxuriam verò priſci illius ævi ab oculis promanaſſe ſacra Pagina refert. *Videntes filij Dei filias hominum , quòd eſſent pulcræ, acceperunt ſibi uxores , ex omnibus, quas elegerant.* Hinc Noemo nullum divini furoris placandi ſtudium. Cùm tamèn Abraham mitigandi Numinis iram ſpes non prorsùs defecerit. Nimirùm, ſpes eſt , ut vel ſodomita à cœno impuriſsimæ libidinis revocetur ; cæterùm ubi oculis prolabimur in luxuriam , ſaluti noſtræ vel ſanctiſsimi viri deſperare videntur.

12 Quòd ſi quis mihi ſuccenſeat , acrius quam par ſit , in oculorum petulantiam declamare , audiat , quęſo , Prophetæ Ieremię cenſuram. *Docete filias veſtras lamentum ; & unaquæque proximam ſuam planctum.* Solemne fuit apùd Judęos, & Gentiles , mulieres in funeribus conducere ad lamentabilem cantum , quæque cæteris modum plangendi oſtendebant , & ad ſimiliter lugendum provocabant. Magiſtri linguæ Latinę *Præficas* vocant , eo quòd planctui præficerentur ; de quibus Naſo lib. 6. Faſtor.

Præficæ quæ?

Cantabat mæſtis tibia funeribus.

Ovid.

Adeo non facilè credendum feminarum lacrymis , quas non natura , ſed merces cogere valet. Ars eſt , quòd plorant , non vehementia doloris. Imo tùm maximè gaudere ſolent , cùm maximè lacrymari videntur : etenim maiorem inde lucrum percipiunt , quò plangere abundantiùs didicère. Merito proindè has ridet Ovidius. 1. Amor. Eleg. 8.

Mulierum lacrymis haud facile credendum.

Quin etiam diſcunt oculi lacrimari coacti;
Ut flerent , oculos erudiere ſuos.

Ovid.

Aliquantulum immoderatiùs vagavi. Igitur è diverticulo in viam. Funerea itàque lamentatio indicitur à Propheta. Cur verò tàm funeſtè plorabunt mulieres Ieroſolymitanæ ? Sequitur : *Quia aſcendit mors per feneſtras.* Conclamatus tandem animus jacet. Acta res eſt. *Aſcendit mors per feneſtras.* Solùm jam ſupereſt ſepulcrum. Animæ feneſtra , & quidem præcipua , oculus eſt. Per oculum in cor tuum libido perrupit ? Noli accerſere Medicos , ſed lamentatrices. Non, inquam , Medicos , qui tibi ut infirmo medeantur ; ſed lamentatrices , quæ tamquam mortuo illacrymentur. Etenim qui corruit oculis , non in lectulo jacere putatur , ſed in feretro. Tam rarò enim à libidine revocatur ille , quàm à capulo mortuus. Ideò ad luctum hominis luxurioſi per feneſtras invaſi , *Preficæ* vocantur ; quoniam nulla jam ſupereſt medicandi ſpes vulneris ; ſed efferendi in ſepulcrum neceſsitas

Ibid.

Luxurioſi tamquam mortui deflendi.

Luxurioſi rarò convertuntur.

urget : *Docete filias veſtras lamentum : & unaqueque proximam ſuam planctum : quia aſcendit mors per feneſtras.* Ergò oculos ſuos caveat , cui vivere pulcrum.

DISSERTATIO III.

OCULUS PERVERSO tumore ambit pedis officium.

S. Chryſol. 1 GNoma eſt aurei Petri Chryſologi ſerm. 121. adhunc modum ſcribentis: *Neque pes oculi miniſterium, neque oculus pedis officium perverſo tumore confundat.* Haùd facilis intellectù ſententia. Etiam nè abjectis , & ſordidis miniſterijs perverſus tumor ſubrepit ? Præclara oculorum officia , nihil mirum , ſi pedes ambire geſtiunt : turpe quippè appetit pulcrum , & humile excelſum: ac mirum valdè , claros , & præluſtres oculos perverſo etiam tumore pedum munera affectare. Verùm ita evenire ſolet; ut non minore ſuperbiâ oculi pedum humilitatem ambiant, quàm pedes oculorum elationem.

Ambitio. Humilitas ſuperba.

Iſai. 3. 16. 2 Arrogantiam filiarum Sion eò uſque increviſſe novimus, ut patientiſsimum Dominum ad vindictam provocaverit. *Pro eo quòd elevatæ ſunt filiæ Sion : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion , & crines earum nudavit.* Verùm in quo elevatæ? Inquo exaltatæ ? Nimirum, *ambulaverunt extento collo , & nutibus oculorum ibant.* Collo ambulare , & nutibus ire , opus eſſe humilitatis eximiæ quis non videt ? Nàm quæ maior humilitas, quam excelſiora atque nobiliora corporis membra ſordidis pedum miniſterijs inſervire? Nil oculo ſublimiùs ; nil pede abjectius. Cur ergò Sion filiæ arguuntur ſuperbiæ , quòd oculorum ſublimitatem deprimunt, cervicúmque arrogantiam ad pedes uſque demittunt ? Meritiſsimè. Nam quæ videtur humiliras , pura puta ſuperbia eſt , & ſumma mentis elatio. *Pro eo quod elevatę ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extentò collo , & nutibus oculorum ibant.*

Humilitas falſa. Hypocriſis. 3 An ignoras ſub humilitatis umbrâ frequenter gloriam ambitionis latére ? Nullus certè abjectior ſuperbô. Quàm multis enim obſequitur ? Quam indignè ſeſe dimitit qui dignitatum faſtigia concupiſcit ! Omnibus ſubjicitur , qui ſumma ambit , & ad pedes Mæcenatis inflectitur , ut aliorum verticibus imponatur. Infrà omnes jacere patitur , ut ſuprà paucos emineat. Verè Camellum dixeris , qui genua humillimè flectit , donec juſta ſarcina oneratum ſe ſentiat. Undè apud *Mund. Symbol. lib.* 5. n. 87. in typum hominis ſuperbi flexô genu depingitur , cum hoc lemmate: *Donec accipiat.* Præclare Sancte Ambroſius in Luc. *Ambitio* , inquit , *ut dominetur alijs, priùs ſervit ; curvatur obſequio, ut honore donetur ; & dùm vult eſſe ſublimior , fit demiſſior.*

Ambitio vilis & turpis. Ambicioſus camello ſimilis. Mund. Symbol. D. Ambroſ.

3. Reg. 1. 16 4 Vide Bethſabeam coram Davide Rege humillimè inclinatam. *Inclinavit ſe Bethſabee & adoravit Regem.* Putares eam vel ſenio jacentem maritum obſequiorum blanditijs recreare voluiſſe ; vel regi in proximo morituro poſtrema reverentiæ exibere ſigna. Nihil minùs. Ambitio eſt , quòd ſe inclinat; gloriæ appetitus , quòd adorat. Ipſam audite : *Domine mi, tu juraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ : Salomon filius tuus regnabit poſt me , & ipſe ſedebit in ſolio meo.* Vide quò adoratio tendat. Adoravit Davidem ; ut Salomon adoraretnr. Genua coràm marito flexit ; ut omnes genua flecterent coràm filio. Nuſquam legitur

Ambitioſus ſua curat, non patroni. Ibid. 17.

Superbia cedit ambitioni.

tur Bethſabea Davidem adoraſſe, niſi cùm regnum ab eo petijt. Non tàm demiſſæ humilitatis pignora dedit, vel cum primò adducta fuit in aulam, vel cúm regio toro legitimè dignata. Nimirum, nullum pondus ambitione gravius. Vel ſuperbiſsima corda humiliari cogit. Imò non niſi ſuperbiſsima incurvat. Demiſsio quippè ſuperbarum mentium, non niſi ab improbo dominandi ſtudiò promanat. *Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit regem.*

5 Feminę feminam componamus. *Acceſsit ad Ieſum*, Matthæus inquit. 20. 20. *Mater filiorum Zebedęi cum filijs ſuis adorans.* Felix mulier, quæ acceſsit ad Jeſum; felicior, quòd cùm filijs acceſsit; feliciſsima, quoniam accedens adoravit. Nam quis fortunatior acceſſus, quàm ad Jeſum? Porrò gnatos tradere Chriſto, quanta beatitas? Iam Dominum adorare cum filijs, ſummæ proſperitatis fuit apex. Verùm quam tu beatam prædicas, audito, quòd acceſſerit, & adoraverit Chriſtum; ambitionis ſervam dices, cùm quid oraverit auſcultaveris. Igitur audi rogantem: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* En quò ſpectavit tota illa obſequiorum figura. Adhæſit Chriſto Mater filiorum Zebedæi; ſed ut regnum conſequeretur. Piſcatoris uxor ad pedes Jeſu jacuit; ſed ut hamò proſtrationis duos thronos, hoſque ſupremos, expiſcaretur. Denique adoravit Dominum; ſed ut Nati adorarentur. *Acceſsit ad Jeſum Mater filiorum Zebedęi cum filijs ſuis, adorans. Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.*

Matth. 20. 20.

Adoratio ambitioſa.

Ibid. 21.

Hypocriſis ambitioſa.

6 Sed excuſandæ matres, quòd ſui humiliatione filiorum exaltationem ambierint. Muliebris quippè erroris eſt, & nimiæ pietatis affectus. Materna viſcera modum neſciunt. Agripina Neronis mater, filio imperium ambiens, hàc de re Chaldæos, ſive Aſtrologos conſuluit: quibus reſpondentibus: *Imperabit Nero, ſed matrem occidet*; intrepidè illa: *Occidat, dùm imperet.* Tantâ nimirum, ambitionis inſaniâ pro filijs matres inflamari conſuetum. Datum id tamèn ſexui imbecilliori: error probè faciliùs condonandus.

Matrum erga filios amor immodicus.

Feminæ ambitioſiſsimæ.

Agripinæ Matris Neronis ambitio.

7 At quantùm propudium virorùm eſt Chriſtum adorare, ut adorentur! Profectò in veneratione hâc ſpuria viri turpiùs, quàm feminæ peccant. Mater filiorum Zebedæi non ſola ad Chriſtum acceſsit, nec ſola adoravit, nec ſola thronos ambivit, ſed ſimul cum Natis. *Acceſsit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans & petens.* Dominus autem ſolos filios aſpera reprehenſione multavit. *Reſpondens autem Jeſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Et cùr in communi utriſque peccato non pari pœnâ mater cum filijs plectitur? Si uno eodemque ambitionis ſpiritu genitrix cum prole rotatur; cur filiorum error à Chriſto animadvertitur; non etiam matris? An quia ſatis caſtigatur genitrix, dum plectuntur nati? Dicamus tamèn, ideo filios fuiſſe reprehenſos, non matrem; quoniam illi viri, hæc femina; & gravius peccant viri, qui ob gloriæ ambitum Chriſti obſequijs abuntuntur, quam feminæ. *Neſcitis quid petatis.*

Ambitionis depreſsio turpior in viris, quàm in feminis.

Ibid. 22.

Matres puniuntur in filijs.

8 Proh ſcelus! Adeo nè Chriſti adoratores non pietas tantùm, ſed etiam ambitio facit? Adeo nè Jeſu pedibus obvoluimur, ut in ſolium erepamus? Adeo nè humilitatis Magiſtro adhæremus, ut ſupra cæteros ſuperbire diſcamus? Et ubi, rogo, tuti ſumus à crimine, ſi throni latebra Religio eſt? Da mihi homi-

Ambitio pietate velatur.

Intentio prava.

Vitia palliata.

hominem ambitiosum ; dabo tibi devotum. Cur ille ad aras frequens accedit ? Cur à templis recedere nescit ? Cur antè Christi imaginem humillimè sepè jacet ? Huius tu pietatem laudas ? Fortè ambitio est, quæ apparet pietas. Thronos adoritur, qui Christum adorare videtur. Non id dico quòd actus Religionis, ac pietatis reprehendam. Absit ; sed quòd ijs abuti consuevit ambitio. Nam quòd Religio sanctè ad pedes Domini extorquet à justis, ambitio nefariè quotidiè impetrat à superbis. Multi sanctimoniæ speciem sectantur : Christi se se discipulos jactant ; pietatisque, si dijs placet, eximios cultores prædicant. Sed hoc ideó, ut opinione virtutis primas sedes condiscipulis arripiant ; cunctisque altiores evadant, quoniam humiliores apparent. Hos non tàm Christi discipulos dixeris, quàm filios uxoris Zebedæi. Christo namque appropinquant, ut imperent. Jesum venerantur, ut sceptrum obtineant. *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.*

Hypocrisis.

Invidia inter æquales.

Adoratio impia.

9 Noli proinde fidere omni adorationi. Non omnis qui Christum adorat, continuò id ex veneratione facit. Multi sunt, quos trahit ad Christum ambitionis impietas. Ubi Magos video quærentes Dominum, ut adorent eum, *Venimus adorare eum.* Matth. 2. 2. Ibi audio Herodem, simile obsequium infanti voventem. *Ut ego veniens adorem eum.* Ibid. 9. Sed quàm intentione disparili ! Pietate Magi moventur, impietate Herodes. Illi Christum adorare studeant ; ut tamquam vero Regi coronas submittant suas. Iste, venerationem promittit ; ne malè partum regni sceptrum cogatur amittere. Amant illi recens natum mundi Rectorem ; timet iste in lucm editum regni successorem. Illi inventum infantem pro votis adoraverunt. *Procidentes adoraverunt eum.* Iste, eundem, quem venerari promisserat, si venisset, conatus fuisset occidere. *Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Ibid. 13. Cave igitur adoratores, quos premit ambitio. Homicidæ sunt, non cultores. Cædem parant obsequiô ; quavisque fœditatè se deturpant, ut impotenti ambitioni faciant satis. *Ut & ego veniens adorem eum.*

Matth. 22.

Ibid. 9.

Ambitio crudelis, & timida.

Ibid. 11.

Ibid. 13.

10 Hanc superborum abjectionem satis notam Diabolus habuit, dum Christo, ut se adoraret, regna promisit. *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum : & dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth. 4. 8. Et rem tàm impiam, tamque indignam ausus fuit Diabolus proponere Christo ? Quamvis enim tunc non cognoverit latentem in eo divinitatem ; agnovit tamèn sublimem adeò sanctitatis gradum ; ut meritò suspicaverit ipsum esse filium Dei. Hominem ergô liquidô agnovit ; sed incomparabilis virtutis. Et audet tanto viro sui adorationem postulare ? Ità. Noverat quippè longâ sæculorum experientiâ, nihil ad genua hominum curvanda potentiùs ambitione. Impijssimam certè, prę cunctisque abominandam servitutem à Domino extorquere tentavit : sed oblato prius totius mundi sceptro. Hac machinâ vafer oppugnator, vel quem sanctissimum virum agnòverat, concutere præsumpsit. Honoris quippè aries fortissimos etiam viros ante pedes Diaboli prosternere solet. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.*

Matth. 4. 8.

Ambitio difficilimè vincitur.

11 Neque mysterio vacat, quòd S. Matthęus hanc tentationem gloriæ à S. Luca secundo-

do loco narratam, ultimo loco deſcripſit. Etenim Sancti Evangelij Enarratoribus exploratum eſt, Lucam per hyſterologiam hic, uti & aliàs ſæpè, ordinem tentationum neglexiſſe, quem Matthæus accuratè obſervat, & aſsignat. Ergo prima tentatio fuit gulæ; ſecunda vanæ oſtentationis, & glorię; tertia ambitionis. Quid ergo eſt, quod Dæmon gulę victorem, inaniſque gloriæ calcatorem ambitionis teſtudine percutere tentat? Nimirum aries hic difficilimè ſuſtinetur, & ſi quem quatit, frequenter evertit. Poſt triumphum gulæ, poſt vanæ oſtentationis victoriam, novâ honoris machinâ Chriſtum diabolus invadere nititur. Speravit quippè poſſe ambitionis telo proſternere, quem reliquis armis ſuperare non valuit. Undè ambitionis tentatione devictâ, diaboli pertinacia ceſsit. *Tunc reliquit eum diabolus.* Deſperavit quippè vincere, in ſuique adorationem trahere eum, qui violentiſsimo honoris pondeři minimè ſuccubuit.

Hyſterologia in Sac. Scrip.

Ambitio fortior Diaboli machina.

Ibid. 11.

12 Illud quòque notabile occurrit, quòd regna terræ non dantur, niſi ijs, qui cadentes dæmonem adoraverint. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Itanè ſolium conſcendere homo non valet, niſi miſerrimè cadat, & ad diaboli pedes devolvatur? Procidens nè dæmonem adorat, quiſquis elevatur ad thronum? Abſit. Quàm enim multi ſanctè pervenerunt ad regna! De his loquimur, quos tenet ambitionis prurigo, & dominandi cacoethes. Ab his adorari diabolus ſperat, objectâ imperij ſublimitate. Nimirum, ambitionis mancipia vel ipſum dæmonem adorare non horrebunt; ut terrenos principatus obtineant: libenterque coram Sathana procident; ut ipſi ab omnibus adorentur. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.*

Matth. 4. 9.

Ambitioſus adorabit vel dæmonem.

13 Quanquàm ſi Lucæ textum vigilantiùs inſpiciamus, haud dæmonem ſui adorationem procuraſſe inveniemus; ſed coràm ſe. Ait enim: *Tu ergo ſi adoraveris coràm me, erunt tua omnia.* Cur, coram ſe, & non ſe? Deſpicit nè Angelorum ſuperbiſſimus adorationes hominum? Quin hoc maximè curat, ut honor Deo debitus, tribuatur ipſi. Quam obrem igitur non ſui adorationem avet, ſed coràm ſe? Dixerim, ambitione uſque adeo vileſcere homines; ut vel dęmonem ipſum tædeat ſervitutis eorum. Recuſat tàm abjectos ſacrificulos, qui ab omnibus adorari percupit: & quoniam indignos reputat, ut ſe adorent, abjectiſsima quæque ſuſtituit, ut ea infelices candidati venerentur coràm ſe. *Tu ergo ſi adoraveris coràm me, erunt tua hæc omnia.*

Luc. 4. 7.

Ambitioſi vilę liſsimi.

Diabolus dedignatur ab ambitioſis adorari.

14 Hùc arbitror Iſaiam reſpexiſſe, cùm dixit cap. 2. 8. *Repleta eſt terra idolis. Et incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir.* Idolum nihil aliud eſt, quàm innane ſimulachrum, manu figuratum artificis. O dedecus! O facinus! Et coràm idolis incurvantur homines, virique humiliantur? Ità. Ambitio quippè, modo ſibi viam indè muniat ad honorem, adorabit vel truncum. An non idola ſunt Aulici quidam, quos fecerunt manus Principum, & de luto fæcis erexerunt ad curules? Porrò quale dedecus eſt, videre quantâ animi, vultuſque demiſsione iſthęc idola venerentur etiam à Dynaſtis? Viri nobilitate primarij, militari gloria conſpicui, &, (quod longè turpiùs) doctrinâ præcellentes, religione venerandi, ut aliquem in Republica honorem, in bello, vel in pace dignitatem, præfecturam, aut in Eccleſia (dicere auſim) Epiſcopatum adipiſcantur; depoſita omni verecundia, ſuæque conditionis obliti, opportunè importunè regios adeunt miniſtros: iſtorum etiam ſervulis inclinant cervices, colla ſubjiciunt, eorundem pre-

Iſai. 2. 8.

Ambitioſi penè idololatræ.

Aulæ idola quę.

Fœda humiliatio ambitioſi.

henſant lacinias, manus exoſculantur; & in ſummâ, quos procùl à Principe nec dignarentur affatu, eundem, & gratioſum Dominum ſalutant, & patronum colendiſsimum. O plane infames mundi, & vanitatis idololatræ! Ubi ſcatent idola, putidiſsimi adoratores curvantur. *Repleta eſt terra idolis, & incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir.*

15 Verùm audiamus falſiſsima D. Cypriani verba; quibus hominis ambitioſi putida ſtudia irridet. *Quibus hic ſordibus emit, ut fulgeat? Quos arrogantium faſtus pertulit? Quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? Quòt tumentium contumelioſa veſtigia in clientium cuneis antè præceſſit?* Epiſtol. 2. ad Donat. Alludit priſcum Romanorum morem. Solebant namque Romani, dùm honores, & magiſtratus affectabant, abjectiſsima quæque, & indigna ſuis patronis exhibere obſequia. Undè Martialis noſter indignatus tàm ſordida miniſteria, his carminibus deteſtatur. lib. 10. epig. 74.

Jam parce laſſo, Roma, gratulatori,
Laſſo clienti: quam diu ſalutator
Antebulones, & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto,
Cùm Scorpus quindecim graves hora
Ferventis auri victor afferat ſaccos.

Maturinos quòque ſalutatores irriſoriè carpit lib. 1. epig. 56.

Quiſquam picta colit Spartani frigora ſaxi,
Et matutinum portat ineptus ave.

Clariſsimè 2. *Stilic.* Claudianus

Ambitio, quæ veſtibulis foribuſque potentum
Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum
Pulſa ſimul.

Utinam in Chriſtianorum Principum aulis non tàm erubeſcenda ſpectarentur, quàm olim in ethnicorum atrijs viſebantur. Sed omnes hâc tangimur aurâ; & quoniam ſuperbi ſumus, vel obſcuris homuncionibus obſequi non erubeſcimus.

16 Quid viliùs Rubo? Opprobium eſt ille montium, ſylvarum dedecus. Aſper, horrens, durus, mordax, cruentus, hirſutus, denique viliſsimus inter arbores. Unde Architrenius.

Viliſque liguſtra ornatura rubos.

Jam in Rubo, quem vidit Moyſes flagrantem, & non combuſtum, videor mihi videre ignobilis ſervi, favore Principis colluſtrati, non obſcuram imaginem. Ingens flammarum globus nec Rubi corticem immutavit. *Videbat, quod Rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. 2. Tàm aſper ille, tàmque dumis horrens poſt illuminationem, quàm anteà; niſi quod clariùs tunc oſtentabat ſpinarum aculeos. Accipe modo præclara Claudiani carmina, quibus ignobilium mores, poſtquam culmen dignitatis acceperunt, depingit, lib. 1. in Eutropium. Verſ. 181.

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet: deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putent: nec bellua tetrior ulla eſt,
Quàm ſervi rabies in libera colla ruentis.

Porro mirabilis eſt reverentia, qua Moyſes accedit ad Rubum. Expallet, excalceatur, balbutit. *Videbo viſionem hanc magnam. Solve calceamentum de pedibus tuis. Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius.* Exod. 3. 3. 5. & 4. 10. Quid plura? Dimiſſis ovibus, feſtinat ad rubum. *Vadam, & videbo.* Atqui memineris, te eſſe paſtorem; nec debere gregem ferarum incurſibus relinquere expoſitum. *Vadam, & videbo.* At qui tibi excalceato incedendum per cruentos tribulos.

Va-

Ad ſordida, & ridicula ſe dejicit ambitioſus.

D. Cypri.

Officia hominis ambitioſi.

Mart.

Salutatores matutini.

Idem.

Claudian.

Ambitio ſervilis.

Archit.

Rubus imago ſervi exaltati.

Exod. 3. 2.

Servorum imperium duriſſimum.

Claudian.

Exod. 3. 3. 5. & 4. 10.

Prælatorum reſidentia.

Labor ambitioſi.

Ambitioſi vel truncos adorant.

Vadam, & *videbo*. At qui truncum videbis. Ità. Truncum *videbo*. Sed cui inſedêre placet Regi ſummo. Sed quem elementorum princeps flammarum ſplendore nobilitat. Atqui quamvis inſuetâ claritate renidet, rubus eſſe non deſinit, quin ſpinas luculentiùs oſtendit. *Vadam*, tamen & *videbo*: quoque majore reverentia accedam, nudis pedibus gradiendum mihi eſt. *Solve calceamentum de pedibus tuis.*

Ambitio ſimia pietatis.

17 Quid ergò dicere volo? Nùm Sanctiſsimi Moyſis plenam pietate venerationem fugillo? Apage dementiam. Hunc textum eâ mente pertracto; ut oſtendam eò deveniſſe ambitionis inſaniam; ut quicquid præſtitit Moyſes religionis obſequio, frequenter ab hominibus extorqueat honoris cupido. Pudet videre, quâ reverentia vel nobiliſsimi viri appropinquant ad truncos; ſi quando, ut non rarò fit, Principibus placuit, illuſtrare rubos. Quòt indignæ curvationes coràm viliſsimo frutice! Quòt putiſsimæ gratulationes! Quòt aſſentationes pudendæ! Quem pridiè nec inter ſuos vernulas dignarentur numerare, hodie colendiſsimum Mæcenatem appellare non erubeſcunt. Nimirum, rubus eſt; ſed ab igne mirificè colluſtratus, quique ſplendore ſuo valeat ad ſe accedentes illuminare. Et ubi ſpes eſt maioris claritatis ſubeundæ, etiam ad truncum convolat ambitio. *Vadam*, & *videbo viſionem hanc magnam.*

Aulici exaltati honorandi.

18 Sed fortè in his minor eſt querela. Principum eſt, ex quovis ligno poſſe facere Mercurium: atque adeò dignus honore eſt, quemcumque rex voluerit honorare. Quamquàm in hoc ambitio, ut eſt imprudens, neſcit ſervare modum. Nam aliud eſt colere dignitatem, quod eſt obſervantiæ; aliud adulari, quod eſt ambitionis. Cæterum quis credat, pectora etiam regalia viliſsimo hoc vitiò poſſe tangi? Verùm hæc tinea excelſos quoque thronos corrodit, & inficit. Audi unum è regibus potentiſsimis: *Hæc dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me.* Iſai. 36. 16. Verba ſunt Sennacherib ad voluntariam deditionem Hebræos invitantis, cùm urbem Jeroſolymitanam arctiſſima premeret obſidione. S. Hieronymus: *Benedicite regi Aſsyrio, & dominium confitemini.* Noſter Lyra: *Facite mecum benedictionem*; i. e. *ſubjicite vos mihi.* O infelix nimium conditio mortalium! O verè inſana cupiditas dominandi! Rex ille, qui plurimis jam dominabatur gentibus, quique ſe ſuprà cunctos terrarum deos potentiorem jactabat, unius adhùc exiguæ regionis principatum obtinere contendit. Sed orationis indignitas penſanda. *Facite mecum benedictionem.* Profectò qui ab alio benedici poſtulat, ſe illo inferiorem demonſtrat. Quò quidem argumento egregiè probavit Apoſtolus, Melchiſedec ſuperiorem fuiſſe Abrahæ. *Sine ullâ autèm contradictione* inquit, *quod minus eſt, à meliore*, id eſt, à maiore, digniore, præſtantiore, *benedicitur.* Hebr. 7. 7. Quid quæſo, clariſsimo Principi hac oratione turpiùs, abjectiùs, indignius? Sedenim inexplebili dominandi libidine tenebatur. *Subjicite vos mihi.* Et qui omnibus dominari percupit, omnibus ſe ultrò turpiter ſubmittit. *Facite mecum benedictionem.*

Ambitio etiam reges tangit.

Iſai. 36. 16.

D. Hieron.

Lyra.

Ambitio inexplebilis.

Benedicere Superioris eſt.

Hebr. 7. 7.

Ambitio reges, quos inficit, turpiter humiliat.

19 Pudet te audire ſervile facinus regis Aſsyriorum? Sed accipe longè indignius ab unctò Hebræorum Rege comiſsum. Is fuit Saul, qui metu perdendi thronum, inſtante bello Philiſthinorum, domum adire mulierculæ ſuperſtitioſæ, atque cum ea de graviſsimo regni diſcrimine agere non erubuit,

Ambitio Saulis turpiſsima.

Ambitio etiam mulierculis ſubjicitur.

1. Reg 28. 7. buit. *Quærite mihi mulierem habentem ſpiritum Pythonem, & vadam ad eam.* Hęc loquitur rex ille, adeò ſuæ dignitatis amans; ut poſtquam reprobari à Domino meruit, ne ſemel quidem Samuelis tectum intraverit, neque Prophetæ oratione Numinis iram ſtuduerit placare. *Abijt Samuel in Ramatha: Saul verò aſcendit in domum ſuam in Gabaa: & non vidit Samuel ultrà Saul uſque ad diem mortis ſuæ.* Hęc loquitur rex ille, tàm choro ſacerdotum extrarius, ut locum fecerit adagio: *Num, & Saul inter Prophetas?* Is tamèn viliſsimę ſagæ obſcura limina terit; quin & eius menſę accumbere non dedignatur. *Poſuit antè Saul, & antè ſervos eius. Qui cum comediſſent, ſurrexerunt.* Tanta nè Saulem cepit ſuæ dignitatis oblivio? Numquam Samuelis ædes, poſtquam ab illo eſt inunctus repetijt, & maleficam inviſit? Num majeſtas Principum colloquiò Sacerdotum deturpatur, non verò mulierum familiaritate? Puto, id ſibi multos nobilium habere perſuaſum. Nimirùm, benevolentiæ ſignificatione obvelari turpitudo conſuevit. Aſt non libidinis æſtro in Sagę latebras penetravit Saul, ſed imperandi cupidine arreptus. Ubi enim fervet ambitio, nulla ratio dignitatis habetur. Vel mulierculis ſubijci Principes non erubeſcunt, ſiquidem periculum inſtat amittendi ſceptrum. *Quærite mihi mulierem habentem ſpiritum Pythonem.*

Consiliarij impij interdum gratiores.

1. Reg. 15. 34. 35.

2. Reg. 28. 25.

Ingratitudo Principum.

Sacerdotes coli debent à nobilibus.

Familiaritas cum mulieribus.

20 Sanè portentoſa ſunt iſthæc. Verùm hęc portenta facit ambitio. Aquilas cogit volutare in luto, Principes quaſi ſervos incedere; Jacobum induere perſonam Eſau; gigantes ſub aquis gemere; & oculos ſubire pedum miniſteria. Nimirum, prodigioſa res eſt ſublimitas regnorum, ad quam procidendo, & deſcendendo pervenitur. Suam ergo ſibi habeat ſublimitatem imperium. Nolo faſtigium ad quod abjectio indigna perducit. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.*

Portenta ambitionis.

Virgil.

Nec tibi regnandi veniat tàm dira cupido.

Quod Virgilius monet 1. *Geor.* Nam ut Plautus inquit in *Amp.*

Plaut.

Virtute ambire oportet, non fautoribus,
Sàt habet fautorum ſemper, qui rectè facit.

DISSERTATIO IV.

S. FRANCISCI XAVERIJ pedes inſtar oculi veloces.

1 INcredibili modò lętitiâ præcordia mea irrigari ſubſentio. Occurrit quippè amanti Flos ille Navarręus, qui plantatus in horto Societatis Jeſu, odore planè mirifico utrumque Orbem exhilaravit. Plures lætificaturus, ſi, iuxtà Democriti ſomnium, plures forent. Verùm quidni occurrat *Orientis Apoſtolus*, ubi de oculorum curſu habetur ſermo! Nam quid velociùs oculo? Dictò citiùs nunc in cælum evolat, nunc in abyſsis eſt, nunc ultrà Occeanum tranſvolat, nunc Orientem, Occidentemque perluſtrat. Reliquorum ſenſuum operationes univerſæ temporis indigent tarditate. Sinè ſpatio temporis vices obire ſuas, privilegium oculorum eſt. Ad vivum Xaverius in oculo figuratur. Momentò quippè ex Roma in Luſitaniam, ex Portugallia in Goam, ſuperatis Occeani fluctibus pervolat. Nunc Goano in tractu, nunc apud Commorinum, nunc in Japoniam, nunc in Sinnenſe Regnum. Nonnè quaſi oculi velocitate perluſtravit orbem, qui annis decem, & uno leucarum totidem millia

Laus S. Francisci Xaverij.

Orientis Apoſtolus.

Oculorum velocitas.

S. Franciſcus Xaverius ad inſtar oculi velox.

S. Xaverij evangelicæ peregrinationes.

millia peragravit ? Numquid dicendus eſt , pedibus ambulaſſe, qui tam brevi temporis ſpatio Paravis , Malais , Jais , Acenis, Mindais , Malacenſibus , & Japonibus Evangelium Chriſti annuntiavit , multoſque illarum nationum Reges , & magnos Principes ingenti cum fidei noſtræ emolumento Chriſti jugo ſubdidit ? Tardiores pedes ſunt , quàm ut id aſſequi poſsint. Neſcivit Magnus Xaverius tarda molimina pedum. Tantâ quippè velocitate cucurrit , quaſi ſi oculos geſtaſſet in plantis.

S. Xaverij velocitas prodigioſa.

2 Rem monſtro ſimilem te audire cauſaris ? Cedo libentèr. Nam quid non in Xaverio monſtroſum ? Monſtrum ſanè pedes oculati ; ſed venerabile monſtrum: quippè ſacris litteris conſecratum. Hoc enim umbraculò Apoſtolicos Viros Joannes vidit deſignatos Apoc. 4. 6. *In circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis.* Quæ undique ſcatebant oculis , neceſſe fit , ut & pedes quòque oculis inſtructos haberent. Neque enim plena oculis dicerentur , ſi aliqua nobili corporis parte illis caruiſſent. Nec item rationabilis conjecta appareret ; cùr potiùs à pedibus eliminandi forent oculi , quàm ab alio commembrorum. Igitur ornatos oculis pedes, ſicut & membra reliqua, myſtica Animalia habuiſſe , fatendum omninò. Cæterùm quorsùm in pedibus oculi? Ut fuiſſent manibus non inutiles, quatenus ijs donationum merita explorare poſſent ; ut ſcapulis itèm convenientes , nè onus ſupra vires inconſideratè ſuſcipererent ; ut genibus etiam commodi , quo indignas adorationes vitarent. Verùm quid officij præſtarent lumina plantis affixa? Procul dubiò ad terram alliſa , & læſa , redderentur inutilia. Rudis profectò , & terrea cogitatio. *Quatuor hæc animalia , ſivè Angeli , Cherubini , & Seraphini, ſunt Apoſtoli , virique Apoſtolici,* inquit eruditiſsimus Alcazar. Nil ergo mirùm , quòd oculos in pedibus geſtare ſunt viſa : tantâ quippè feſtinatione viri Apoſtolici ſuos curſus peragere conſuevêre ; ut non tàm pedibus ambulaſſe , quàm oculis prævolaſſe, putentur. *Quator animalia plena oculis.*

Virorum Apoſtolicorum pedes oculati.

Apoc. 4. 6.

Dona explorandi.

Dignitas non temerè acceptanda.

Adulatores.

Alcazar.

3 Papæ ! Quantas peragravit regiones Magnus Xaverius ! Quòt Gentium mores , quæ oppida vidit ? Quòt ſinus , quòt promontoria , quòt littora , quòt inſulas , quòt portus , quòt maritimas urbes , quòt barbara regna luſtravit ? Equidem , quod Hercules horruit , ultra Occeanum Xaverius ponere pedem fuit auſus ; atque terras alias, mare aliud , alios mundos , poſtremò alia ſidera , quærere. Quodque magis mirere , tàm longa viarum ſpatia pedibus ſemper, ſæpiúſque nudis emenſus. *Per diverſa enim regna* , inquit Sanctiſsimus Dominus noſter Urbanus VIII. in Bulla Canonizationis, *in vaſtis illis orbis terrarum ſpatijs ſemper pedibus , ſæpius etiam nudis , per arenas calidas pergebat , per ſpinas longiſsima itinera conficiebat.* Quid ? Pedibus immenſa terrarum ſpatia ? Quid ni ita , quando quidem *Apoſtolus* ? Nimirum , Apoſtolici viri quaſi oculis gradiuntur , dùm pedibus incedunt. Idèo eorum plantæ luminibus ornantur ; ut videlicet pedum ſegnities aſpectûs velocitate ſublevetur. Igitur tot Xaverius provincias pedibus luſtrare potuit , quòt oculis explorare ; nàm quibus datum eſt, pedes oculatos geſtare , tàm concitò gradu pedibus incedere ſolent , quaſi qui oculorum ictibus immenſa pervagantur ſpatia.

Bull. canoniz.

4 Et quî fieri poſſet , ut infinitas propemodum regiones Xaverius luſtraret , ni præditus fuiſſet incredibili velocitate oculorum ? Teſtatur Joannes , quoſdam ſe oculos in orbem terræ ablegatos vidiſſe. *Et vidi agnum tamquam occiſum , habentem oculos*

S. Xaverius oculus à Deo miſſus.

Apoc. 5. 6.

los ſeptem, miſsi in omnem terram. Apoc. 5. 6. De ijs etiam Zacharias 4. 10. *iſti ſunt oculi Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Cæleſte planè conſilium! Quos Dominus in omnem terram ire jubet, haud pedes illi dicuntur, ſed oculi. Etenim terrarum orbem metiri, non tardigradis pedibus conceſſum, ſed oculis velociſsimis. Igitur oculus ſit oportet, qui citiſsimè mundum univerſum percurrit. *Iſti ſunt oculi Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* Quis in Xaverio contuens perniciſsimos illos volatus, quibus penè univerſum mundum ambijt, non ſtatim fatebitur, novum Domini oculum ablegatum in orbem? *Apoſtolus* idem quod *miſſus.* Et, dùm mittuntur Apoſtoli, oculi mitti pernibentur: neque enim per totum mundum paucis quibus vixerunt annis, Evangelium diſſeminaſſent, (quod tamen eis fuerat demandatum) ni velut oculi hinc inde citiſsimè vagarentur. *Orientalium Indiarum Apoſtolus ab univerſis Indiæ regnis, totoque Chriſtiano orbe appellatur Xaverius*, teſte laudato Sanctiſsimo Urbano. Ego, quem Apoſtolum audio, oculum a Deo miſſum intelligo; niſi enim oculi velocitate præſtaſſet, tàm vaſta orbis terrarum ſpatia, laborans prædicando, non obijſſet. *Iſti ſunt oculi Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.*

Zach. 4. 10.

Apoſtolus idem quod *miſſus.*

5 Xaverius Indiarum Apoſtolus.

5 Quadrat Xaverio quàm optimè illa familiaris Hiſpanis loquendi formula, cùm hominem velociſsimum ſignificare volumus. Ità enim loqui conſuevimus: *No aſienta el pie en el ſuelo.* Profectò Xaverius *per diverſa regna in vaſtis illis orbis terrarum ſpatijs ſemper pedibus, etiam ſæpius nudis per arenas calidas pergebat, per ſpinas longiſsima itinera conficiebat.* Profectò ità. Sed quamquàm gradiebatur pedeſter, haud terram tangere videbatur: quoniam ſic pedibus incedebat, quaſi palpebris pro pedibus uteretur. Accipe exemplum optimum à Daniele 8. 5. Ubi cùm Prophetæ objicietur ſpecies, quæ Alexandri Macedonis admirabilem in peragrando, ſubjugandóque orbe celeritatem portendebat; hircus apparuit, qui ſuper faciem terræ ſic incedebat, ut illam pede non contingeret. *Ecce*, inquit, *hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram.* Elegans ſanè figura, nullaque ad ſummam celeritatem indicandam venuſtior. Sic Iſaias 41. 3. ut eximiam Abrahami, ſivè Cyri in victoriarum curſu celeritatem denotaret, dixit: *Semita in pedibus eius non apparebit.* Id eſt, pes eius, aut pedis veſtigium non apparebit in terra. Eſt hypallage, i. e. verborum converſio, ut alias me notaſſe memini. Conſonant ſacris profani. Optimum eſt illud Æneid. *lib.* 7. de Camilla.

Sic terram perambulabat quaſi non tangeret.

Terram dicuntur non tangere, quæ velociſsima ſunt.

Dan. 8. 5.

Alexandri Magni in orbe ſubjugando celeritas.

Iſai. 41. 3.

Hypallagè in Sac. Scriptura.

— *Curſuque pedum prævertere ventos,*
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nèc teneres curſu læſſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingere æquore plantas.

Virgil.

Ovidius de Atalanta:

Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus uterque
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam.

Ovid.

6 Incredibilis Alexandri velocitas! *Veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ; & non tangebat terram.* Quia, nimirùm, non paſsibus ille videbatur incedere, ſed agilitate palpebrarum ire. Breviſsimâ quippè duodecim, quibus regnavit annorum periodo, *percuſ-*

1. Macha. 1. 1. a. 3.

cuſsit Darium regem Perſarum, & Medorum : conſtituit prelia multa , & obtinuit omnium munitiones , & interfecit reges terræ : & pertranſijt uſque ad fines terræ , & accepit ſpolia multitudinis Gentium : & ſiluit terra in conſpectu eius. Ità facer Machabæorum Liber. Meritò igitur terram non tetigiſſe dicitur , qui quaſi oculis volantibus totum orbem perluſtravit.

Xaverij ad Alexandrum comparatio, & exceſſus.

7 Ad vivum in Alexandro Franciſcus expreſſus ; niſi quòd alterum orbem , quem ille ſuſpiravit , re ipſâ noſter obtinuit. Haud licuit Pellæo juveni ultrà Gangem fluvium , & Indicum Oceanum victricia ſigna protendere. At licuit Cantabro viro ultrà totius Oceani metas Chriſti labarum extollere. *Pertranſijt ille uſque ad fines terræ.* At præter fines terræ progreſſus fuit iſte. Nimirùm , Orbis unus non fuit ſatis magno Xaverio , qui terminum Religioni conſtituerat nullum. Duodecim ille annis plurimos debellavit Reges , regna diripuit, ſpolia Gentium obtinuit, multâque cæde non tàm domavit orbem , quàm vacuavit. Adeò non niſi plurimo ſanguine ſatiatur ambitio. Quid porrò Xaverius ! Breviori tempore , non feliciora dicam ; nam quis hoc neget ? Sed maiora , quàm Alexander , trophæa reportaſſe miramur. Periodus vitæ ipſius, poſtquam ad Indos tranſmeavit , unum ſupra duos luſtros annum circumſcripſiſſe comperta. Cæterùm tàm brevi temporis intervallò non ſine ſtupore viſus , Indiam ſub Chriſti jugum mittere ; multa hominum centena millia luſtralibus aquis piè ſubmergere ; Nationes plurimas Dei foco exurere ; Reges , magnoſque Principes , Eccleſiæ pedibus glorioſè ſubmittere ; infinita propemodum Orci delubra diruere; dæmonum aras evertere ; innumera ſimulacra confringere; denique ſpoliare Erebum , prædamque ipſi deſtinatam eripere. Ut jàm non mirum videri debeat , quod Thomas Bozius *lib. 6. de ſign. Eccleſ. cap.* 3. affirmat ; unum Chriſtianæ militiæ ducem valentiſsimum Franciſcum Xaverium plures Chriſto aggregaſſe de Idolorum veneratoribus , quàm ſuos traduxerint ad errores , quotquot unquàm extiterunt hæretici à Servatore paſſo in hunc uſque diem , decem & ſex per tanta intervalla conſumptis longiſsimis ſæculis. Adeò poſſet à domita Indiâ dici *Indicus* , ſed multò illuſtriùs à devictis dijs dici *Divinus.* Stupes celeritatem Xaverij ? Mirari deſine. Sic gradiuntur oculi. Terram perluſtrant ; ſed terram non tangunt. *Veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ , & non tangebat terram.*

Unus Xaverius plus edificavit Chriſto , quàm hæretici omnes deſtruxêre.

Xaverius ut poſſet dici Indicus , & Divinus.

Orbis unus non ſatis Xaverio.

Ambitio tyrannica , & crudelis.

Xiverij progreſſus in India.

8 Quòd ſi adhùc ſubdubitas pedum miniſtetio oculos poſſe fungi , audi Nabuchodonoſoris edictum. Sententia illius fuit , *ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio.* Et quò, putas ; ad tantum facinus utitur inſtrumento ? Oculis Holofernis. Hæc enim illius vox. *Egredere adverſus omne regnum Occidentis. Non parcet oculus tuus ulli regno , & omnem urbem munitam ſubjugabis mihi.* Nùm oculis gradiendum erat Holoferni ? Ita : quippè citiſsimo curſu. Et qui eximiâ velocitate movetur , non pedibus , ſed oculis graditur. Placuit Deo, rebelles Indiarum Nationes pijſſimo ſuo ſubjugare imperio. Sacrum hoc bellum Uni Xaverio commiſsit. *Egredere adverſus omne regnum Orientis.* Quòque ocior fulmine munitiſsimas dæmonis expugnaret arces , oculorum velocitate inſtructum voluit. *Non parcet oculus tuus ulli regno.* Nequè enim facinora tanta perfeciſſet Xaverius , ni oculi inſtar momento temporis

Jud. 2. 3.

Ibid. 5.

in-

immenſa percurriſſet ſpatia. Ut verius proindè, ac feliciùs de ſe jactare poſſet quod ille alter : *Veni, vidi, vici.* Quid mirùm!

Erectus in auras
Xaverius, rapidaque volans per aperta procella,
Tenuia vix ſumma veſtigia ponit arenâ.

9 Verùm percontabitur quis: Quomodo tanta velocitate percurrere Xaverius potuit ; qui ut faciles motus frangeret, crura non ſemel, & brachia artiſſimis vinculis illigavit ? Audi ſummum Eccleſiæ Oraculum in Bulla Canonizat. cit. *Aliquandò cùm funiculis arctiſſimè conſtrictis lacertis & coxendicibus iter aggreſſus erat : cum plures dies in eo cruciatu perſeveraſſet, vincula adeò corpori eius infixa erant, ut præ doloris magnitudine, viribus deſtitutus, in via concideret.* Nimirùm, ligato femore ſibi pœnas luit, quòd puerulus agilitate ſaltûs fuerat delectatus. Verùm qui potuit conſiſtere ſumma velocitas cum arctiſſimis vinculis ? Optimè. Xaverius quippè haud pedibus ambulaſſe cenſendus, ſed oculis ; & oculorum curſus minimè femorum vinculis impeditur.

10 Vel dicito, Xaverij curſus altiores fuiſſe, quàm ut compedibus detineri poſſent. Audi Jobum 13. 27. *Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Conſentiunt omnes, *Nervum* hoc loco eſſe vinculi, aut compedis genus : Undè Aquila : *Poſuiſti in cippo pedem meum* : Septuaginta : *Poſuiſti in impedimento pedem meum* S. Auguſt. *In compede.* Portentum hoc quale eſt ? Compedibus Jobum conſtrictum Dominus tenet, & ſemitas ejus, pedumque veſtigia obſervat ? Verum quas ſemitas premere, quæ ve imprimere veſtigia pes valeat, nervo conſtrictus ? Diſce, quædam eſſe veſtigia, quæ vinculis non impediuntur. Ecce Job & in vinculis jacet, & ambulare non deſinit : compedibus quippè Domini tenebatur. Et his vinculis curſus non impeditur, quinimò expeditur magis. Neque enim felicius in Dei obſequium quis decurrit, quàm is, qui pro ipſo Deo vincitur. En ſolutum nodum. Potuit Xaverius arctiſſima vincula cruribus injicere ; ſed velociſſimum curſum non omiſit : imò expeditior fuit in curſu, quò impeditior femore. Semitas aperuit ignotas, veſtigiaque reliquit, nullâ ætate delenda. Digna certè, quæ à Deo contemplentur. At vinculis debet, quod ſic cucurrit. Nimirum, Dei vincula reddunt hominem velociſſimum : ocyuſque graditur, qui fortiùs adſtringitur. *Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.*

11 Hinc pulcerrimos Xaverij greſſus mirari non nequeo. Audio, pedes Apoſtolorum à venuſtate commendatos ; quòd bona & lęta nuntia, id eſt, cum Deo pacem, & gratiam hominibus annuntiantes, breviſsimo tempore totum orbem lætitia complevêre. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Roman. cap. 10. 15. Et hanc laudem Xaverij pedibus optimè convenire, nemo eſt qui non plenò ore fateatur. Cæterum, ſi inde pedibus formoſus, quòd rapidò curſu novo orbi Chriſti pacem invexit ; multò ſanè inde gratioſior, quòd ligatis cruribus gradiebatur. Audi ut cæleſtis Sponſus Dilectam ſuam commendat à pulcritudine inceſsûs : *Quàm pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis* ! Nota emphaſim commendationis. *Quam pulcri* ! Ipſa admiratione videtur fateri, inceſsus venuſtatem verbis explicari non poſſe. Defficiunt quippè verba,

S. Xaverius graditur ligatis cruribus.

Inde velocior.

Xaverij curſum nulla vincula retardant.

Job. 13. 27.

Nervus vinculi genus.

Aquil. Septuag.

D. Auguſt.

Servitus Dei libertas eſt.

Pro Deo vinciri currere eſt.

Xaverij pedes quam ſpecioſi.

Roman. 10. 15.

Cant. 7. 1.

Admiratio melior laus.

ba, ubi admiratio ſubeſt, & quidem hac loquendi formulâ in nullo alio corporis membro dilaudando uſus eſt, niſi duntaxat cùm universè totam Sponſę gratiam celebraret: *Quàm pulcra es, amica mea!* Quod tamèn nec apud Hebræos, nec apud Septuaginta reperitur, qui ſimpliciter legunt: *Ecce tu pulcra es.* Sed undè greſsibus Sponſæ pulcritudo tanta? Sequitur: *Junctura femorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.*

Cant. 4. 1.

Cant. 7. 1.

12 Eruditus lector attendat. Solebant feminę pretioſis ligaminibus crura ſibi conſtringere; Undè Iſaias luxum Sionidum taxans cap. 3. v. 2. *Diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, &c.* memorat. Nam periſcelides, (ut ait D. Iſidorus lib. 19. Origin. cap. 3. *ſunt ornamentum crurum mulierum.* Et Tertulianus de Cultu feminarum cap. 8. *Neſcio an crus de periſcelio in nervum ſe patiatur arctari.* Seneca in Hippolito, Act. 1.

Feminæ ut crura ſibi ligabant.

Iſai. 3. 20.

Periſcelides quid.

D. Iſidor. Tertul.

Senec.

Crura diſtincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente ſacco.

Feſtivè Ambroſius de Nabuthe, capit 5. *Delectantur, & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur.* Et lib. 1. de Virginib. prope finem: *Hinc collum catena conſtringit, indè pedem compes includit, nihil refert auro corpus oneretur, an ferro; ſi cervix premitur, ſi gravatur inceſſus, nil pretium juvat.* Sed nè fortè mens caſta parum honeſtam cogitationem heic ſubeat, oportet, attendat, *femur* hoc loco, partem illam veſtis variæ, atque polymitæ, quæ femora velare conſuevit, denotare. Undè Apocal. 19. 16. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo.* i. e. in veſtimento femoreo, ſivè tegente femora, ut exponit Cornelius, *ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Ergo Dilectam commendat Sponſus, *à juncturis feminum*; quod non veſte aperta, & indecorè diſciſsâ nudari femur permiſſerat, ut in alijs gentibus uſitatum; ſed clauſam potiùs atque fibulis conſtrictam, ut integram ſe ac totam cæleſti ſervaret thalamo, pudicè geſtaret. Videris ad hunc locum doctiſsimum Gaſparem Sanctium. Hæc pro literæ intelligentiâ fortaſſe non importuna.

Femur pro veſte femoris.

Apoc. 19. 16.

Cornel.

Sanct.

13 Sed quid veſtis honeſtas ad pulcritudinem inceſsus? Num, quia nequit habere pedes pudicos, quæ feminudâ incedere non veretur? Aliud occurrit. A venuſtate inceſsûs Dilectam commendat Sponſus, dùm eam cruribus arctiſsimè religatam videt: nullus quippè inceſſus Deo jucundior; quàm quem in ejus obſequium ſtricta femorum vincula non retardant. *Quàm pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!* *Junctura femorum tuorum, ſicut monilia.* Vis noſſe, quàm gratos Deo paſſus Xaverius dederit? Ipſius femorum vincula contemplare. Venuſtiſsimè incedit: quippè cruribus religatus: gratioſiores illi pedes, quò anguſtiora femora. Novo Apoſtolo novus gradiendi decor congruebat. Aliorum pedes ſpecioſi ſanè, quòd renes præcincti gradiebantur. Xaverij greſſus inde venuſti; quòd adſtricto femore conſuevit incedere. Uter inceſſus glorioſior? Nec poſſum definere, nec auderem, ſi poſſem. Sat fuerit ad commendationem Xaverij, quòd ità ambulavit, ſicut cæleſtis anima, cum maxime à Chriſto Domino celebrari promeruit. *Quàm pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis!* *Junctura femorum tuorum ſicut monilia.*

Ornatus mulierum laſcivus.

Venuſtas inceſſûs á ligamine crurum.

14 Eſt adhùc quod magis in Sponſę greſsibus demiremur. Nimirum femorum juncturas ad monilia comparatas. *Sicut monilia.* Hic hæret mihi aqua. Nil flexibiliùs monili, nil volubilius. Ideò ut ſignificaret Sponſus velociſsimam in motibus fuiſſe Sponſam, inſtar monilium flexi-

Xaverius indè velocior undè impeditior.

Alcaz. Sherlog. Giſſer.

bilem dixit : quæ fuit expoſitio Alcazarij , & Sherlogi , proximèque accedunt , quæ Giſlerius meditatur. Verum qui potuit ſtare velocitas tanta cum junctura poplitum ? Fibulis , quibus femoralis perſtringebatur veſtis, non poterat non inceſſus Sponſæ retardari. Quò pacto igitur junctura volubiles , ſicut monile ? Quoniam inceſſum coràm Deo vincula non impediunt , verùm expediunt magis. Flexibiles ſicut monilia motus habet Sponſa, dùm poplite vincta graditur: quippè nemo velociùs cum plauſu Domini currit , quàm ille , qui cruribus obligatus , itineri ſe committit. *Junctura femorum tuorum ſicut monilia.* Quid pulcriùs ad magnum Xaverium ? Profectò junctura femorum illius inſtar monilium : etenim velociora reddidit , ex quo arctiſsimè religavit. Immenſa brevi tempore confecit ſpatia ; verùm quia in procinctu crura ſibi funiculis anguſtabat. Indè ſolutior , undè occupatior : indè velocior , undè impeditior.

DISSERTATIO V.

S. FRANCISCO XAVERIO, plurimæ facies , ſed unus inceſſus.

Argumentum de S. Xaverio.

Amor curioſus.

Authoris erga S. Franciſcum Xaverium devotio.

1 AManti ſemèl aſpexiſſe non ſufficit ; quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Xaverij laudes , cogit amor, ut retractem. Felix certè conatus, (hoc unum mihi permitto) quamquàm ingenio cęcutienti parùm vidêre ſit datum. Sed eò pectus inflammatur magis , quo magis oculus tenebreſcit : avidiùs quippè nitimur in vetita , cupimuſque negata. Bonum itaque mihi , quòd minimè perſpicaci ingenio ſum præditus : hoc enim Xaverij dotes ardentiùs noſſe percupio , quòminùs eas intueri valeo. Quin & hoc poſtulat Xaverij magnitudo, quę metulâ unâ coarctari non poteſt. Nullum ipſe poſuit religioni terminum : nimis ergò foret injurius , quiſquis eius laudationi metam præfigere vellet. Pateat ergò campus , liberiùſque excurrat calamus in laudem illius viri , quem orbis unus capere non valuit.

S. Xaverij magnitudo.

2 Ergo age , & rem prodigioſam ſpecta , hominem , ſcilicet , multiplici facie. Talem deſcribit Xaverium ſuum P. Emmanuel Pimenta *in Poem. ſac. lib.* 11. *epigram. fol.* 432. ita canens.

S. Xaverius fuit multiformis.

Pimene.

Non tàm diſſimiles Protheus gerit ore figuras,
Quàm varias vitæ monſtrat imago tuæ.

Quid porrò ita ? Auſculta.

Inter convivas lautus conviva recumbis:
Cumque ægroto ægrotas, cumque dolente dolet.
Occeano nautæ nautam experiuntur in alto:
Sæpe rudis viſus : ſæpe futura canis.
Tòt tibi ſunt linguæ , quòt adis nova Regna per ortus:
Tòt tibi ſunt mores , quòt nova regna ſubis.
Imperioſus agis funeſtam aſcenere mortem:
Et ſequeris famulus terga fugacis equi.

Vides , quòt in uno Xaverio ſint facies ! Monſtrum dices. Haud errabis equidem , ſi cæleſte dixeris. Simile quippè Ezechieli oſtenſum.

S. Xaverius monſtrum plurium facierum.

3 Aſpexit namque quatuor animalium ſimilitudines, quorum hic erat aſpectus , & ordo : Species quædam humana apparebat inter illas , quæ quoddam erat quaſi ſubjectum , quod quatuor illas animalium formas continebat , ſuſtentabatque. Ita exponit doctiſsimus Sanchez in paraphraſi verborum illorum : *Et in medio ignis ſimilitudo quatuor animalium : & hic aſpectus eorum, ſimi-*

Diſpoſitio animalium apud Ezequielem.

Sanct.

Ezech. 1. 5.

ſimilitudo hominis in eis. Ezech. 1. 15. Verùm intricatum eſt, quod ſubdit Propheta. *Quatuor facies uni.* Ibidem 5. Id eſt, cuilibet illorum quatuor animalium, (quæ pro uno cenſentur animali, quia in uno quaſi ſuppoſito ſubſtentabatur multiplex illa ſpecies) quaternæ erant facies. An non res ad ſtuporem monſtroſa, in uno corpore quatuor capita? Sanè, ut tantum monſtrum quidam viri docti declinarent, eo adducti ſunt, ut putarent, non veras & proprias fuiſſe facies, ſed ſimulatas potiùs, atque larvatas. Cæterùm cur à vera ac naturali formà ad larvas, & inanes imagines confugiendum ſit, non video. Neque à propria ſignificatione recedendum eſt, niſi cum gravis adigit ratio, quæ aliquid impium, aut abſurdum declinare docet. Quid hic abſurdi devorabimus, ſi veras illas facies dicimus, atque viventes formas? Atqui monſtrum admittimus. Ità. Monſtrum admittimus. Sed cęleſte, ſed ſacrum, ſed planè divinum. Horum quippè præſtantia eſt, excellentiàque ſumma, non unam geſtare faciem, ſed plures, & varias. *Quatuor facies uni.*

Ibid. 5.

Facies animalium an veræ?

Cæleſtis monſtri eſt, plures geſtare facies.

4 Petis, ut id pluribus tibi confirmem? En apud eumdem Ezechielem *cap.* 41. 18. unum Cherub, bina faciè præditum. *Duaſque facies habebat cherub. Faciem hominis juxtà palmam ex hac parte, & faciem leonis juxtà palmam ex alia parte.* En *Panes* propoſitionis dictos *faciales, vultuales, conſpectuales*, quòd duas haberent facies, ut putant Lyranus noſter, & Abulenſis in Exodum *cap.* 25. 30. Tradunt inſupèr in ſuis arcanis Hebræi, prout refert Georgius Venetus in *Armon.* eſſe creaturam omnium præſtantiſsimam, cui nomen *Mitraton*, id eſt, *Principem faciei-rum.* Adeò cęleſtium rerum eſt prærrogativa, in plures facies aſſurgere. Jam ſi profana licet cum ſacris componere, ab Ethnicis deſcribebatur Serapis eâ forma, ut ex corpore, ſivè cervice humanâ tria pullularent capita, caninum, leoninum, & lupinum. Et Hecates, ſivè Dianæ caput in humano corpore triforme pingebatur à Gentilibus. Orpheus in *Argon.*

Ezech. 41. 18.

Panes propoſitionis cur faciales dicti.

Georg. Venet.

Mitraton quid.

Serapis triformis, item Hecate.

Cumque illis Hecate properans horrenda cucurrit;
Cui trinum caput eſt, genuit quam Tartarus olim.

Orph.

Claudianus de *Rap. Proſerp.*

Ecce procul terris Hecate variata figuris.

Claud.

Et Virgilius lib. 4. Æneid.

Tergeminámque Hecatem tria virginis ora Dianæ.

Virgil.

Hinc à Bachilide dicta *facifera.*

Hecate facifera noctis amplæ filia.

Bachil.

Cùr tot fingunt Vultibus? Nimirum, heroicis hominibus, quique ad deos immortales quàm proximè videntur accedere, inſigne virtutis eſt, non unâ, ut reliqui homines, ſed multiplici facie decorari. Prò Xaverij magnitudinem! Haüd tibi ſat una facies. Anguſtè nimis de tuis dotibus ſentiret, qui ſub unicâ figurâ totum te exprimere poſſe putaret. Multiplicior es, quàm ut communi facie deſignari valeas. Ille te benè pingit, qui monſtrum pingit. Monſtrum dico plurium facierum. Sic enim ſuos Heroês finxit Vetuſtas: ſic ſuos Principes cælum figurat. *Quatuor facies uni.*

5 Quid porrò? Quatuor nè facies tantùm Xaverio appingimus? Sanè homini tàm vario, tàm multiplici, tàm commutabili quatuor facies haüd ſunt ſatis. Cæleſtem Protheum veriùs diceres; quamquam & hîc plurimùm deficit comparatio. Quippè

S. Xaverius cæleſtis. Proteus.

Non tàm diſimiles Protheus gerit ore figuras,
Quàm varias vitæ monſtrat Imago ſuæ.

Paſsim nova forma Xaverio. Etenim tales ubique perſonas induere ſolitus, quales erant

S. Xaverius omnibus omnia.

S. Xaverij facies.

ij quibus cùm agere contingebat. Modò illum videas cum convivis convivantem ſplendidè; modò cùm parcis jejunantem; nunc cùm ægrotis dolentem; nunc cum militibus lutorias chartas verſantem; interdùm cum pueris balbutientem; ſæpè cum ſapientibus altiſsimè differentem; modò Nautam, modò Prophetam; nunc elinguem, nunc varijs linguis fœcundum, & facundum; ſæpè feminarum pulcritudinem extollentem; ſæpè earum conſortium aborrentem; interdùm cęleſtem Alitem per aera raptum; interdum pedeſtrem famulum velocis equi veſtigia terentem. Quid plura? Verbo: *Formas ſe vertit in omnes.* Hoc Xaverij imaginem donarem lemmate, & quidem jure optimo, ex Virgilio deſumpto. 4. *Georgic.*

Apoſtolorum ornatus plurimæ facies.

6 Quis jam tòt viſis in Xaverio faciebus, novum Apoſtolum non agnoſcat? Anxiùs quærebam, cui multiformem virum committere poſſem. Heroès inveni vel fictos; cæterùm non tàm varios fabula deos ſuos fingere valuit, quàm commutabilem gratia Xaverium excudit. Sacra portenta luſtravi; ſed quibus plurimæ facies, quadriformia duntaxat. Jam jam cui comparem, habeo. Eccè Doctorem Gentium in omnium ſeſe formas vertentem. Sic enim ſemetipſum deſcripſit: *Cum eſſem liber ex omnibus, omnium me ſervum feci. Factus ſum Judæis tamquam Judæus. Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, (cùm ipſe non eſſem ſub lege.) Iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) Factus ſum infirmus infirmis. Omnibus omnia factus ſum.* Vides quòt in uno Paulo ſint facies? Aude numerare eas, ſi ſtellarum numerum noſti. Omnium perſonas ſubinduit; omnium ſibi facies impoſuit. Quodque mireris magis, néque Judęorum figuram, néque Idololatrarum formam deformem abhorruit. Tantę nè in uno Paulo facies? Tantæ. Virum quippè Apoſtolicum innumeræ formæ decent, commendant, exornant. *Omnibus omnia factus ſum.*

S. Xaverius D. Paulo ſimilis.

Zelus animarum in omnium formas ſe vertit.

S. Pauli Apoſtoli innumeræ facies.

7 Compone modò Paulo Xaverium. Innumeras ille gerit ore figuras. Mille vultibus ſcatet iſte. Ingenuus cum eſſet ille, ſervi perſonam agere non erubuit. Noviliſsimus cum eſſet iſte, pedeſtris famuli habitum non aſpernatur. Ille faciem infirmi ſuper infirmum aſſumit. Mœſtos iſte vultus ſuper ægrotos oſtendit. Ille cum Judæis quaſi Judæus apparet, cum Exlegibus quaſi Exlex. Iſte cum Gentilibus quaſi gentilis, cum ludente milite quaſi ludens. Quid plura? Omnium facies in ſuam Paulus tranſtulit. Omnium vultus Xaverius fecit ſuos. *Omibus omnia factus ſum.* Nimirùm, Apoſtolus ille Gentium; Iſte Apoſtolus Indiarum; & Apoſtolorum decor eſt præſtantiſsimus prodigioſa iſthæc varietas facierum.

Pſeudopoliticorum in conſtantia, & mores.

Plaut.

8 Itanè? Ita ſanè. Atqui Pſeudopoliticorum eſt, in omnium ſeſe habitum convertere, omnium mores imitari. Quod genus eleganter deſcribit Plautus in Bacch. *Nullus*, inquit, *frugi poteſt eſſe homo, niſi qui benè, & malè facere tenet. Improbus cum improbis ſit: harpaget, cum furibus furetur quod queat. Verſipellem frugi convenit eſſe hominem, pectus cui ſapit. Bonus ſit bonis, malus ſit malis. Utcumque res ſit, ità animum habeat.* Quid ergo? Politicos nè Apoſtolos facimus? O inſanum commentum. ! Præclarè D. Auguſtinus epiſt. 9. & 19. *Non mentiendo*, inquit, *ſed compatiendo; non ſimulantis aſtu, ſed commiſerantis affectu omnibus omnia factus eſt Paulus*, non itaque

Quomodò Paulus omnia omnibus factus

D. Auguſt.

que omnium moribus ſic ſe contemperabat Apoſtolus, ut nullam divinæ legis, honeſtatiſque rationem haberet; hoc enim eſt politicorum ingenium, & quam vocant rationem ſtatus; ut nimirùm per fas, & nefas omnibus ſe accommodent; & cum hæreticis hæreticos, cum Judæis Judæos, cum Gentilibus gentiles, cum Turcis turcas, cum caſtis caſtos, cum obſcænis obſcænos ſe ſimulent. Nobiliorem longè politicam ſectatus Paulus, ſectatus Xaverius. Equidem omnibus omnia facti; non ut omnium ſervirent erroribus, ſed ut omnes ab erroribus vindicarent.

Politici omnium religioni ſe accommodant.

Politica ſancta.

9 Audi iterum eumdem Apoſtolum. A quò enim meliùs propria ipſius ſtudia docebimur? Integer textus ſic habet. *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, (cum ipſe non eſſem ſub lege,) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem. Iis, qui ſinè lege erant, tamquam ſine lege eſſem, (cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſinè lege erant. Factus ſum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* En ſanctam D. Pauli politicam. In omnium ſe formas vertit, ut omnes formet in vitam. Cùm ſervo fit ſervus; ut ſervum à ſervitute diaboli ſervet. Quaſi Judæus fit cum Judæis; ut Judæos Moſaycos ritus dedoceat. Fit cum Æthnicis quaſi æthnicus, ut ſub lege Chriſti conſtituat. Cum infirmis infirmatur, ut meliori vitæ reſtituat: cùm ſcandalum patiente, uritur, ut animum vitiatum charitatis igne ad purum excoquat. Denique omnibus omnia fit; ut omnes fiant ſalvi. Sicut Paulus, ita & Xaverius. Vitæ quippè ſuæ acta ſic temperare ſtuduit; ut eſſet miles cum milite, nobilis cum nobili, plebejus cum plebejo, & (ſi fas eſt ità loqui) penè gentilis cùm Gentili, ut militem, nobilem, plebejum, gentilem Chriſto lucrifaceret. Compendio: Omnia omnibus, ut omnes faceret ſalvos.

1. Cor. 9. 19. 20. 21. 22.

D. Pauli politica.

S. Xaverij politica.

10 Hinc facilis via ad id, quod ſecundo loco propoſuimus; nempe Xaverio unicum fuiſſe inceſſum: hoc eſt, perpetuò uniformem. Facies illi multiplex, ſed inceſſus unicus: quippè in tantâ perſonarum varietate, unica illi cura ſalus animarum, Deique gloria. Eleganter Pimenta, ubi ſupra.

S. Xaverij unus inceſſus.

Non te tàm varium facit in conſtantia; conſtans
Te pietas varium, propoſitumque facit.

Pimenta.

An Ezechielis apud te Monſtrum excidit? Tauri, Aquilæ, Leonis, Hominiſque vultibus ſpectrum illud cæleſte ſcatebat. *Quatuor facies uni.* Facies vidiſti: inceſſum atende. *Non revertebantur, cùm incederent: ſed unumquodque coràm facie ſuâ gradiebatur.* Ezech. 1. 9. Id eſt, ibant intento ſemper ac citato curſu, & vultu rectò in eum locum obfirmato, tamquam in ſcopum, ad quem ille deſtinabatur curſus; ita ut nullam in partem, aut detorquerent oculos, aut faciem converterent. Mira res! Facies diſſimillimæ; at ſcopus unus. Quid habet Taurus commune cum Aquila? Quid commercij Hominis cum Leone? Taurus amat paſcua; cælo Aquila delectatur: placent Leoni ſylvæ; urbibus gaudet homo. Et tàm diſcordis naturæ animantia in unum concordant ſcopum? Ità. Spiritu quippè Dei agebantur. *Ubi erat impetus ſpiritus, illic gradiebantur.* Porrò ubi Spiritus Dei præſidet, vel oppoſita concorditèr amicantur.

Ezech. 1. 9.

Unio inter extraneos.

Ibid. 12.

Sancti amoris vinculum.

11 Vel dicito, *unum* illud fatidicum monſtrum in id totis viribus incubuiſſe, ut currum gloriæ Domini per orbem circumageret. Undè Eccleſiaſtici

Eccli. 49. 10.

cap. 49. 10. dicitur : *Ezechiel vidit gloriam Dei, quam oſtendit illi in curru Cherubim.* Hinc quamvis multiplici facie, varièque diſsimili fuiſſet ornatum, gradum tamèn in omnibus uniformem tenuit. Quià, nimirum, gloriam Dei portantibus non obeſt in vultibus diſsimilitudo, quin unâ rectâque via gradiantur. *Non revertebantur, cum incederent, ſed unumquodque antè faciem ſuam gradiebatur.* Magni Xaverij curſum quiſquis attentè ſpectaverit, non varium, non inconſtantem, non in partem aliquam claudicantem inveniet; ſed uniformem, conſtantem, rectum, & ubivis ſibi ſimilem. Electus à Deo, ut gloriæ ipſius currum per novi Orbis regiones portaret, haud declinavit ad dexteram, ſive ad ſiniſtram; ſed recta ſemper progreſſus in ſcopum ſibi à Deo præfixum. Sivè ergò humana tractaret ut Homo; ſivè ut Bos laborioſa curaret; ſivè ut Leo ardua quæque invaderet; ſivè ut Aquila in ſublimia volaret: eadem ſemper ipſi meta, parilis curſus, unus inceſſus. *Unumquodque antè faciem ſuam gradiebatur.*

Zelus S. Xaverij idem ubique.

Zelus animarum ſit indifferens.

12 Et adhùc, quòd mirèmur in hiſce Sanctis Animalibus Ezechielis. Quidni, cum tota illa viſio infinitis propemodum miraculis ſit referta! Ergo audi. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Animalia? Quę porro? Num Leo, ferarum expeditiſsimus? Num Aquila, inter aves velociſsima? Omnia. Atqui Homo currui quòque ſuppoſitus, & Bos, quibus quid lentius? Hi tamèn æquabant Leonis, & Aquilæ curſum. Haud diſpar inter illa gradus, nec inæqualis inceſſus. Pari volatu ibant Homo, & Bos, Leo, & Aquila. Non Hominis, & Bovis tarditas pernicitatem Leonis, & Aquilæ morabatur: ſingula quippe fulguris velocitatem referebant. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Quid hoc portenti eſt? Nimirum, una mens cunctis, quamquàm diſsimiles facies. Et ubi eſt animorum concordia, nequit non eſſe uniformis inceſſus.

Ezech. 1. 14.

Religionis munia eiuſdem ſunt omnia meriti apud Deum.

13 Supparem ventis, fulgoreque, velocitatem vidimus in Xaverio *Diſſert. præced.* Atqui non tàm arbitror mirandam incurſu pernicitatem, quàm conſtantiam, uniformitatemque. Par ſibi ipſi vel inter varia vitę miniſteria. Haud ſegniùs cælum petit, cùm hominis carnalis ſit conviva, quàm cùm cæleſti convivio recreatus, in Deum ſublimis volitare eſt viſus. Neque tardiùs graditur, cùm chartas verſat intimes, quàm cùm ſalit in montibus, colleſque in prædam animarum tranſilit. Idem volatus ipſi cùm ad ſęcularia, & profana deſcendit, ac cùm divina, & cæleſtia conſcendit. Par eſt, cum Hominem agit, & Bovem; ac cum in Leonem, Aquilamque ſe transformat. Quacumque ſe veſtiat facie, ſibi conſtat. Nimirum, unâ pietate, unoque animarum zelo tàm varias cogitur mutare figuras. Non illum inconſtantia volubilem facit; tenax propoſiti reddit multiplicem. Porro inceſſus minime variatur, ubi intentio permanet immota. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

Intentio recta.

S. Xaverius ſemper ſibi conſtans, etiam cum minùs conſtare videbatur.

14 Jam ſi intentio apparet in facie, curſuſque Magni Xaverij cordis intentione metiuntur, quid mirum ſi in multiplici ejus facie unum duntaxat inceſſum laudamus; quamdoquidèm uni tantùm animarum zelo perpetuò intentum agnovimus? de Chriſto D. hęc Lucas narrat cap. 9. 53. *Et non receperunt eum* (Samaritani) *quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Maldonatus. *Facies ejus erat jens in Jeruſalem.* Num Chriſtus facie ambulabat? Quidni? Oculi ambulare dicuntur, quòd innuunt metam, quàm pertingere avemus. Et tanto erga

Luc. 9. 53.

Maldon.

Facies quomodo ambulare dicitur.

Cæleſtis patriæ ſuſpiranda.

ga Hieroſolymam Dominus flagrabat amore; ut ipſo vultu præferret ſpeciem proficiſcentis ad Jeruſalem. Undè rejicitur à Samaritanis, quaſi ſuæ religionis hoſtis; non quòd Hieroſolymam contenderet; ſed quia faciem gerebat ſpectantis Jeruſalem. Quò enim quiſque attentius dirigit vultum, eo pergere velle apertè dignoſcitur. *Et non receperunt eum, quia facies ejus erat iens in Jeruſalem.*

Facies Chriſti plurimæ.

15 Atqui non una facies Chriſto D. Frequenter enim ex unâ in alteram formam transfigurabat ſeſe. Ex Auguſtino quippè *Tract.* 80. *in Joan.* Chriſtus Ovis, Agnus, Petra, Gladius, Serpens, & Leo eſt. Tot induit figuras Speciosus forma præ filijs hominum. Quomodo ergo in tam multiplici facie diſtincte cognoverunt Samaritani, eum vellè proficiſci in Jeruſalem? Quia, nimirùm, quacumque ſpecie ſe Dominus conveſtiret, præferebat vultum euntem in Jeruſalem.

Chriſti zelus, & amor erga animas.

Hinc vel cùm in celſitudine montis glorioſiſſimo vultum ſplendore clarificat, totus eſt Hieroſolymis intentus. *Et facta eſt ſpecies vultûs ejus altera. Dicebant exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem.* Luc. 9. 29. 31. Norat quippè crucem ſibi, nobis ſalutem Hieroſolymis paratam. Vultu ergo ibat, quo petebat animo. Spirabat facies, quod pectus ardebat. Et quoniam mente humani generis ſalutem anhelabat impensè, quacumque ſe convelabat ſpecie, vultu apparebat Hieroſolymam iens. Sivè ergo lac præbebat Diſcipulis, ut Ovis; ſivè cùm peccatoribus mitem ſe gerebat, ut Agnus; ſivè ad opprobria obrigebat, ut Lapis; ſivè in Scribas rugiebat, ut Leo; ſivè ut Gladius deſæviebat in impios; una tamen illi facies euntis in Jeruſalem, animarumque ſalutem procurantis. *Et non receperunt eum, quia facies eius erat iens in Jeruſalem.*

Æterna tantum.

Luc. 9. 29. 31.

16 Quid pulcriùs pro Magno Xaverio! Facies illi una; ſed vadens in Jeruſalem, quamquam innumeris faciebus erat præditus. Etenim ijs omnibus unum vultum impoſuit, perpetuò ſpectantem ſalutem animarum. Quòd veluti Ovis manſuetiſsima infirmos lactare eſt viſus; quòd veluti Agnus alacer cum ludentibus ludere; quòd veluti Lapis omnium pedibus ſubjacere; quòd tamquam Leo fortiſsimus armatas phalanges conterrere; quòd Enſis ad inſtar in impias deſævire Aras; quòd denique paſsim variare figuram: haud volubilis animi inconſtantia fuit; ſed firma voluntas procurandi ſalutem animarum. Conſtans ergò illi vultus in tanta diſsimilitudine faciem. Etenim in hunc ſcopum omnes collimabant facies, ut theatrum cæleſtis vitæ mortalibus aperirent. *Facies ejus erat euntis in Jeruſalem.* Pro Heros Magne, planè prodigioſe! Varius idem & uniformis. Varius in figuris, uniformis in inceſſu. Nemo ſibimet tam diſsimilis; ſed & ſimilior nullus. Semper alius, ſemper idem. Cunctis inconſtantior; ſed & conſtantior cunctis. Egregiè Pimenta tuus laudato carmine:

S. Xaverij animarum zelus idem ubique.

S. Xaverius omnibus ſimilis, nemo ſibi.

Omnibus æquaris; tibi nemo; tu potes unus
Omnibus aſsimilis vivere, nemo tibi.

DISSERTATIO. VI.

S. ANDREAS CRUCEM *& provocavit fortis, & ſuſpiravit amans.*

Argumentum de S. Andrea Apoſtolo.

1 CUm Chriſti Domini faciem Hieroſolymam contendentem ſpecto, ſeſe ofert Andreæ Apoſtoli vultus, metam eandem percurrens. Quidni percurrat primus Chriſti Aſſecla, Diſcipulo-

Primus Chriſti aſſecla.

lorum Alpha, Fidei Primigenius, Primitiva vocatio Salvatoris? Quid ni viam Crucis fidus miles festivè carpat, qui summum Imperatorem alacritèr præeuntem spectat? Vis autem noscere, quanto pectore Salvator Crucem ambivit? Eius faciem considera. Lucas depingit cap. 9. 53. *Vultus eius erat euntis in Jerusalem.* Et Maldonatus ex Hebræo ad literam: *Facies eius erat iens in Jerusalem.* Notastin? Numquid Dominus ambulabat facie? Pedibus certè graditur homo, oculis videt. Quâ ergò proprietate sermonis Christi facies incedere est dicta? Illustris revera Commutatio! Sed quâ mirificus Domini erga Crucem affectus denotatur. Prænoverat equidem, qui nil non noverat, Crucem te Hierosolymis manere; hinc vultum præferebat eumtem in Jerusalem. Tam intimis quippè viscеribus anhelabat Crucem, ut vel ipsa facie eam quærere videretur. Toto vultu Hierosolymam petebat, quia toto corde suspirabat Crucem. Animi conatus, etiamsi quiescerent plantæ, in eius vultu prostabant. Et quoniam mente rapiebatur in Crucem, via Crucis apparebat in facie. *Facies eius erat iens in Jerusalem.*

Luc. 9. 35.

Maldon.

Christi erga Crucem affectus.

2 Quàm concordat Magistro Discipulus, Servatori Apostolus, Christo Andreas! An non huius vultus semper ad Crucem, cuius amplexus habuit semper in votis? Et quid aliud indicant illę eiusdem ad Crucis conspectum salutationes tenerrimæ, atque anhela suspiria: *O bona Crux, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata! Securus, & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te?* Tota sanè facie ibat in Crucem, qui ad illius conspectum tàm ingenti plausu sibi est gratulatus. Opportunè Andreas Biancus *lib.* 4. Epig. 55.

S. Andręę ad Christum conformitas.

Andr. Bianc.

Viderat Andreas funestum surgere lignum,
Cuius terruerunt prævia signa Deum.
Et servans animi invictum frontisque vigorem,
Crux ait; ô salve, sępè cupita, veni.

An non sacri pectoris impetu Andreæ vultus rapiebatur in Crucem? Et unde vigor ille frontis, nisi ex abundanti cordis desiderio? Fixum in Crucem tenebat vultum, quoniam eidem affligi maximè peroptabat. Ligno oculis adhærebat immotis; quià firmo adhęrebat pectore. Animo regebatur facies. Et quoniam animus ibat in Crucem, in Crucem quòque ferebatur vultus. *Facies eius erat iens in Jerusalem.*

S. Andræ amor erga Crucem.

3 Vidimus Andream, quemadmodum & Christum facie, atque adeo corde Crucem anhelantem. Sed unde illi tanta Crucis affectio? Num ex fortitudine? Num ex amore? Ex utrôque. Tàm fortiter quippè Crucem invasit, quàm fervide amavit. Nam & provocavit animosus, & requisivit amans.

Orationis partitio.

4 Exordiamur à primo. Et statim sese offerunt discutienda ejusdem ad Crucem verba illa: *Securus venio ad te.* Verba sunt provocantis ad singulare certamen. His generosus Juvenis David insultavit Gigantem. 1. Reg. 17. 45. *Venio ad te.* Quòd si usque adeò excelsi animi fuit, Davidem provocare Gigantem, quàm multò robustioris fuit pectoris, cum Cruce Andream ambire monomachiam? Arduum sanè Juveni inermi cum armato Gigante congredi. At durius longè imbecillo seni cum funesto ligno colluctare. Quid quod David duellum excepit, de victoria securus? cùm Andreas in Crucem irruerit certus moriendi? Tanto ergo Andreas Davide fortior, quanto est difficilius, mortem tolerare, quàm inferre.

S. Andræ fortitudo.

Provocavit Crucem.

Davide animosior.

Item;

D. Andreas ad præſentiam Crucis animoſior.

5 Item: *Venio ad te.* Notanda occaſio, tempuſque, quibus in hęc verba prorrupit Apoſtolus. *Cum perveniſſet ad locum, ubi Crux parata erat.* O generoſi pectoris robur! Multi ſunt, qui Crucem provocare audeant; ſed à longè ſpectatam: hanc verò ſi cominùs intueantur, pavidi fugiunt. Procùl à morte Leones, coram illa Cervi. Hoc clarè videre eſt in Apoſtolo Thoma. Is enim, ubi Chriſtum vidit paratum in Judæam reverti, mortemque, quam illi imminere putabat, ſpernere, nedùm cum eo mori, apud ſe conſtituit; verùm & Coapoſtolos ad idem facinus eſt cohortatus, illa imperterritâ voce: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Joan. 11. 16. Ecce animoſi pectoris ſpecimen, eximiæ fortitudinis argumentum, atque generoſi militis præclarum inſigne. At deſcendamus in Hortum Gthſemani, & exploremus; nùm dicta factis reſpondeant. Fallitur ſpes. Nam ibi Chriſtus à Judæis capitur, & nullus non Apoſtolus fugit. *Tunc Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Matth. 26. 56. Omnes? Ità. Omnes. Et Thomas? Et Thomas. Ubi ergo animoſa vox illa: *Eamus & nos, & moriamur cum illo?* Evanuit. Nimirùm, anteà procùl odoraverat mortem; modò præſentem videt. Porrò facilè eſt mortem provocare abſentem; valdè verò arduum præſentem non fugere. In armilluſtro nemo non eſt Hercules. In die belli vel ad clangorem buccinæ Leones degenerant in Columbas. *Relicto eo fugerunt.*

Vota inefficatia.

Puſillanimes.

Animoſa vox S. Thomæ.

Joan. 11. 16.

Virtus tentatione probatur.

Matth. 26. 36.

Verbis non fidendum.

Propoſita retinenda.

Miles puſillamus.

6 Nos in fervore orationis quanta pro Chriſto mala ſubituros confidimus? Opprobria, contumelias, irriſiones, alapas, flagella. Quid non? Clavos quòque, Crucem ipſam, & mortem provocamus. Si tamèn horum vel minimum occurrat, illicò terga vertimus. Quàm non abſimilis voci Thomæ vox Petri: *Tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire.* Luc. 22. 33. Dùm ancilla non perſtrepit, dùm menſæ accumbit Petrus, confidit ut Leo. In atrio trepidat, ut lepus; non ſtrepitum Aquilæ, ſed noctuæ. Quid porrò Andreas? Ad conſpectum Crucis ſubſultat impavidus. Generoſus miles contemnit vulnera, fortiſsimus Leo mortem non horret; quin tormenta aggreditur, martyrium provocat animoſe. *Cum perveniſſet ad locum, ubi Crux parata erat, exclamavit, & dixit: O bona Crux! Securus, & gaudens venio ad te.*

Tepiditas poſt fervorem.

Luc. 22. 33.

Perſeverantia ardua.

7 Verùm hic aliquis dicat, Andream quoque aufugiſſe in Horto. Quid quod fugerit? Neque enim fugere mortem, certum argumentum eſt puſilli animi. Eccè Chriſtum D. funeſtos lapides declinantem. *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum. Jeſus autèm abſcondit ſe, & exivit de templo.* Joan. 8. 59. Eccè iterùm præcipitium vitantem. *Duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis. Ipſe tranſiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. 29. 30. Ecce item ab irâ Herodis fugientem. *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. 13. Timuit nè mortem Leo Juda, qui toties recuſavit mori? Abſit. Exceſſus fuit roboris, mortes illas declinare. Faciliores contempſit, ut acerbiſsimam devoraret. Nam quantum erat fortiſsimo Duci, collum objicere gladio, pectus lapidibus, præcipitio corpus? Durius certè mortis genus caput Martyrum decebat. Durius elegit. Ideò alia tamquàm ſe indigna deſpexit, cùm fugere viſus eſt. Fugerit, ut cæteri, Andreas in Horto. Tu dices ignaviam. Ego vix putarim. Neque enim perpetuò timere dicendus eſt, quiſquis fugit. Immaturo tunc tempori ceſſit; ut opportuniore bel-

Cur D. Andreas fugit in horto.

Mortem fugere non ſemper ignavia, quamdoquè valor.

Joan. 8. 59.

Luc. 4. 29. 30.

Matth. 2. 13.

Chriſtus duriorem mortem elegit.

Fortitudo ingignis maiora audet.

Tempori cedendum.

lum inſtauraret. Fauet D. Petrus Chryſologus *ſerm.* 133. Ubi metum Apoſtolorum Petri, & Andreæ excuſat his verbis. *Crucem refugerunt; poſteà conjunctis viribus invadunt.* Ergò quod fugit Andreas, haud videtur tribuendum ignaviæ, ſed ardori pugnandi; ut enim animoſius Crucem invaderet, Crucem fugit.

D. Petr. Chriſ.

Andreas fugit Crucem, ut ardentiùs invaderet.

8 Nomine torrentis mortem Crucis denotari, communis eſt Doctorum expoſitio ad illud Pſalm. 109. 8. *De torrente in via bibet.* Jam non raro accidere ſolet, ut properanti viatori tumidior alveus occurrat. Hæret ille. At negotium urget. Tædet illum moræ; ſed progredi non licet. Quid tunc viator? Retrò agit pedem, & videtur periculo cedere. Ardor tamen eſt, quæ putatur ignavia; & virtus, qui timor apparet. Ideo quippè retrocedere ſtudet, ut majori ſpiritu animatus, uno rivulum conatu tranſiliat. Similiter Andreas Crucis torrentem, quem viſus eſt declinare in Gethſemani, auctis poſtea viribus fortiſſimè ſuperavit in Achaja.

Mors Crucis per torrentem deſignata.

Pſal. 109. 8.

9 Adhuc pulſatur animus verbis illis: *Venio ad te.* O excelſum pectus! Ad Crucem properat, quaſi parum eſſet intuentem ſuſtinere. Auſus certè ſupra Magiſtri præceptum. Tollere Crucem juſſit ille duntaxat, non quærere. *Si quis vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam.* Luc. 9. 23. Nimirùm, ſpirituum ponderator Dominus, quid mortalium humeri poſſint, attendit. Quid ergo? Numquid non homo Andreas? Pluſquàm homo; nam homo divinus. Quatuor adoleſcentes illos, quibus fornacis flamma pepercit, haud uno, eodemque habitu Regi apparuiſſe comperimus. In tribus quippè nil non mortale ſpectavit. In quarto verò ſimilem Deo vultum ſtupuit. *Ecce video quatuor viros; & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Dan. 3. 92. Et undè tàm diſſimilis aſpectus in tàm ſimili conditione? Nonnè idem omnibus fornax, pœnarumque locus? Cur ergò tres apparent humani, quartus verò divinus? Quià, nimirùm, animus non omnibus idem. Tres namque pueri coacti ſunt caminum ardentem ſubire. *Miſſi ſunt in medium fornacis ardentis.* Quartus verò ultrò proſilivit in ignem. *Deſcendit cum Azaria, & ſocijs ejus in fornacem.* Illi flammas tollerare ſunt auſi: Iſte fornacem quæſivit. Porrò martyrium tolerare, virile eſt; illud quærere, divinum. *Video quatuor viros, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.*

D. Andreas homo divinus.

Luc. 9. 23.

Infirmis compatit.

Dan. 3. 92.

Martyrium quærere divinum.

Ibid. 21.

Ibid. 49.

10 Quid ergò dicemus? Andream fuiſſe hominem? Laus modica. Altius illi debetur elogium. Namque

— *non hominis mox talis filius ille*
Eſſe videbatur; ſed magna
è ſtirpe deorum.

Homer.

Quod verius de Andrea, quàm de Hectore Homerus cecinilſet, apud Ariſtotelem *lib. Ethicor. 7. cap.* 1. Profectò talis apparuit Andreas, dum Crucem ſubijt. Non enim patibulum eſt viſus ſuſtinere dumtaxat; ſed inſuper ad illud ſtrenuè feſtinare. Haud illum violenta manus cogit in Crucem. Lignum ipſe adijt libertimis plantis. *Venio ad te.* Haud parum fuiſſet inevitabili morti pectus objicere; verùm hoc hominis eſt; (intelligè Dei gratia ſuffulti.) Cæterum involare martyrio, neſcio quid divinum præſeferet, quod homines, non hominibus, ſed Deo ſimiles facit apparere. *Species quarti ſimilis filio Dei.*

Andreas Deo ſimilis.

11 Ec quis Chriſto filio Dei tam ſimilis, quàm Andreas? Profectò nobiliùs inter Inſignia Criſti eminet Crux. Hàc ille decoratus magnificè incedere viſus eſt à Propheta Evangelico, ut illa ejuſdem verba teſtantur. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. cap. 9. 6.* Verùm hoc ſtemmate unum Andream præ omnibus

Crux inſigne Chriſti & Andreæ.

Iſal. 9. 6.

Apoſt-

Apoſtolorum inſignia.

Apoſtolis novimus inſignitum. Petrus namque Clavibus nobilitatur, Enſe Paulus, venenato Calice Joannes, Fuſte Jacobus, Lapidibus Philippus, Pelle Bartolomæus, Sagittis Thomas, denique alijs alij: Andreæ verò proprium Inſigne Crux eſt. O ſublime decus! O præſtantiſsima gloria! Eodem ſymbolo militem, & Imperatorem deſignari, ſervum, & Dominum, Apoſtolum & Chriſtum.

Mors Crucis glorioſiſsima.

12 Planè tantô honore nec ſanctorum Maximum Salvator dignatus eſt. Et hanc puto fuiſſe cauſam; cur diverſo mortis genere Dominus & eius Præcurſor occubuêre. Namque Cruce Dominus, gladio Præcurſor interijt; Primum refert Matthæus cap. 27. 35. *Crucifixerunt eum*: Secundum Marcus 6. 27. *Decollavit eum in carcere*. Atqui contrarium magis congruere videbatur. Ad gladium quippè damnari, nobilium fuit; Optimatumque ſuplicium: in Crucem tolli, ſervorum, & ignobilium. Quâ propter diverſo mortis genere Petrus, & Paulus, quamvis eodem die ſub eodemque tyranno paſsi, Martyres effecti. Nam Paulo, quòd Romanus eſſet, ut ipſe ſe dicit *Act.* 16. 21. & nobilis, gladio caput truncatur. Petrus verò, quòd plebeius, & vilioris conditionis haberetur, Crucis morte damnatur. Jam ſi Baptiſtæ conditionem ſpectes, ſervum invenies: Prodromus quippè fuit, & anteambulo Chriſti. Certè nèc dignus fuit, ut ipſe teſtatur, qui corrigiam eius calciamenti ſolveret. Cur ergô Dominus Crucis ignominiam ſubit; Servus verò honeſtâ gladij morte cadit? Arbitror, noluiſſe Dominum, cum ſervo in ordinem redigi. Ideò reſervata ſibi Cruce, gladium Joanni libenter indulſit. Si enim Joannes quemadmodum Chriſtus, expiraſſet in Cruce, eodem ſymbolo miles, ac Imperator clareſceret, eodemque ſtemmate ſervi, ac Domini nobilitata conditio. Hanc igitur confuſionem præcavêre Dominus cupiens, Joanni ceſsit gladium, ſibique Crucem elegit. Tanti nimirùm eſt, ſigno Filij hominis honeſtari, ut vel ſanctorum maximus hâc extrema laude caruerit. *Crucifixerunt eum. Decollavit eum in carcere.*

Matth. 27. 35. Marc. 6. 27.

D. Paulus cur gladio interijt, Petrus autem Cruce.

13 Quis non hic ſtupeat clariſsimam Andreæ gloriam, ſingulare decus, honoriſque celſitudinem! Ecce illi conceſſum, quod cæteris Apoſtolis, imo & vatum Maximo denegatum. Ecce eodem Inſigni honoris cum Chriſto fulgentem! Cruce, quæ Domini teſſera eſt, decoratur Andreas. O militem forti simum, quem ſummus Imperator proprijs dignatur Inſignibus! Tanta honoris amplitudo neque Regum filijs donatur. Vel Primogenitus Notam ſibi peculiarem geſtat, quâ à reliquis poſt ſe natis fratribus diſtinguatur. Verum non diſtingues Andream à Chriſto, ſi utriuſque teſſeram ſpectes. Signum quippè Crucis ambobus commune; nam in Cruce uterque ſpiravit.

Crux Chriſti teſſera.

14 Sed etiam Petrus in Cruce mortuus eſt. Ita ſanè. Cęterum eſt valdè notandum, quòd Eccleſia ei triumphanti non Crucem, ſed Claves exibet pro teſſerâ. Quare hoc? Haud amo periculoſas comparationes: nèque vellem Eccleſiæ capiti quodlibet membrum componere. At neſcio quid excellentius in Andrea olfacio, quo tàm ſublimi honore dignior apparet Petro. Animum adverte ad verba illa, quibus Petro Dominus mortem prædixit. *Cum autèm ſenueris, alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Joan. 21. 18. Et ne cui dubium eſſet de Petri morte ſermonem eſſe, ipſe Evangeliſta liquidò expoſuit, cum ſtatim addidit: *Hoc autèm dixit, ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Ibid. 19. Quid audio? Petrus nè

Quare Crux Andreæ teſſera, & non Petri.

Joan. 21. 18.

Ibid. 19.

B. Petrus Baptiſta, meus, & alij Protomartyres Japonenſes Crucibus affixi.

Mortis metus.

nè cingendus ab alio, & quò nollet, trahendus? Qui Chriſtum præ cæteris amaſſe noſcitur, invitus prænoſcitur rapiendus ad Crucem? Expavet clavos, qui claves accepit? Lignum piſcator timet? An hoc oraculò Dominus præmonitum voluit Petrum, fore ut aliquando cogeretur ad Crucem, cùm mortem fugeret?

Petrum è carcere fugientem Chriſtus revocat.

15 Rem ex S. Ambroſio, S. Gregorio, Hegeſippo, & alijs refert Baronius *Tom.* 1. anno Chriſti 69. *c.* 6. Namque Petro Romæ à Nerone in carcere Mamertino detento, cùm Chriſtiani ei fugam ſuaderent, precibuſque ſuis illum ad eam penè cogerent; ille, ut eis ſatisfaceret, nocte muro egredi cœpit; ſed extra portam Capenam, quæ nunc S. Sebaſtiani dicitur, occurrit illi Chriſtus, qui rogatus à Petro: *Domine quò vadis?* Reſpondit: *Romam venio iterùm crucifigi.* Intellexit Petrus ad ſuam Crucem pertinere divinum reſponſum, Chriſtumque iterùm velle in Vicarij ſui corpore crucifigi. Protinus ergò reddijt ad carcerem, & paulo poſt Crucem ſubijit. Ecce oraculi eventum. Petrus ab alio cingitur, quòque nollet, ducitur; Namque fugâ tunc mortem ille vitaſſet, ni Domini voce fuiſſet adactus in Crucem. Utique adeò rarum eſt ſpectare, qui ultrò crucifigi velit, niſi ab alio trahatur. *Cum autèm ſenueris, alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.*

Mortificationum ſitis rara.

16 Ità quidem Petrus. Sed quid eius frater Andreas? Adeò crucem non expavit, adeò non fugit, ut ultro irruerit in eam. *Venio ad te.* Non ab alio ductus, non Chriſti voce ſenſibili adactus, properavit in Crucem; ſed cordis animoſitate compulſus provocavit mortem. *Venio ad te.* Quid quod nullis clamoribus populi flecti eius conſtantia potuit, ut Crucem effugeret? Petri fuerit, diſcipulorum lacrymis commoveri; non Andreæ. Ille ad tempus Crucem deſerere ſtatuit; nè filios deſereret. Hic nè Crucem vel momento deſereret, filios deſerere non dubitavit. Viſa eſt ità que in Petro prævalere compaſsio erga oves; in Andrea fortitudo erga Crucem. Ideò Inſigne Petri Claves; Andreæ teſſera Crux. Etenim nedum eam ut Petrus patienter ſuſtinuit; ſed provocavit adaucter.

S. Andreæ amor in Crucem ferventiſſimus.

17 Vidimus Fortem, ſpectemus Amantem. Tenerrima, plenaque amoris ſunt illa eius ad Crucem ſuſpiria: *Salve Crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulum eius, qui pependit in te. Salve Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata eſt, & ex membris eius tamquam margaritis ornata. O Crux admirabilis, ò Crux deſiderabilis, ò Crux, quæ per totum mundum rutilas! O bona Crux, diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata! Securus, & gaudens venio ad te, ità & tu exultans ſuſcipias me.* Non tàm gaudet ambitioſus ad infulas, miles ad lauream, voluptarius ad flores, avarus ad nummos, quàm Andres exultat ad Lignum. Mira ſanè exultatio! Nam quid Cruce durius, diriuſvè? Et visà Cruce trupudiat Andreas, præque gaudio exultat? Ità. Amanti quippè nihil durum: omnia ſuavia cupienti. Siquæ enim poteſt dari Chryſopæia, ea certè in amoris officinâ eſt, qui ſolus novit Crucis amaritudinem in mella eliquare. Nuſquàm legitur exultaſſe Andreas, niſi ad Crucis conſpectum. At ubi Crucis amator exultaret præ gaudio, niſi propè Crucem? Nihil ille magis arſerat, quàm Crucis amplexus. Undè, cùm jam ſibi paratam ſpectat, cordis gaudia explicat abundè. Longa quippè deſideria torquent, brevia lætificant.

Crux, & mortificatio dulceſcit amore.

Chryſopœia ſpiritalis.

Longa deſideria torquent.

18 Vide ut è duplici Theſauro duo, valdèque oppoſiti affectus fuerint creati; Theſaurus nàmque in agro abſconditus, ſummam lętitiam peperit inve-

invenienti. Undè ſtuduit illicò comparare vel univerſi diſpendio patrimonij. *Præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Matth. 13. 44. Theſaurus verò in cælo repoſitus triſtitiam ſolicito generavit Juveni. *Abijt triſtis.* Matth. 19. 22. Contrarium omninò æqua ratio poſcebat. Ille quippè theſaurus erat terrenus. *Theſauro abſcondito in agro.* Iſte verò cæleſtis. *Habebis Theſaurum in cælo.* Quomodò ergò Theſaurus corruptibilis gaudium; inamiſibilis autem mœſtitiam peperit? An ideò quia terrenas divitias plus amamus, quàm cęleſtes? An quia animalis homo non ſapit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed quæ ſunt carnis? Ità profectò. Namque peccato corruptos verarum nos divitiarum tædet, fucata delectant. Hæc in tranſcurſu; namque aliò mens tendit.

Matth. 13. 44.

Matth. 19. 22.

Gęleſtes divitię terrenis poſt habitæ.

Faſtidium æternorum.

19 Dixerim itaque, ideò terreſtre theſaurum in uno lætitiam, cęleſte verò in altero mœſtitiam generaſſe; quòd ille prę-ſentior erat, hic abſentior: Ille ferè in poſſeſsione; quia jam inventus. Hic in ſpe, quia in cęlo repoſitus. Et bona deſiderata ubi adſunt, gaudio corda replent; ubi verò abſunt, acri mœrore complent. *Præ gaudio illius vadit. Abijt triſtis.* Mirabaris jubilantem Andream ad Crucis conſpectum? Mirari deſine. Ecce enim, quod concupivit, jam habet; quod ſperavit, jam tenet. Invenit quippè optatiſsimum ſibi theſaurum. Quid ergò mirum, quòd præ gaudio illius totis præcordijs exultaverit? Quamquàm Andreæ gaudium, nobilius certè fuit, quam quod à theſauro provenire queat. Nimirùm, hæc lętitia avaris congruit, non Apoſtolis. Gaudium Apoſtolorum Crux decet, non Theſaurus. Gaudet ergò Andreas, viſa Cruce, non ſicut homo, qui Theſaurum invenit, ſed ſicut Apoſtolus, qui invenit Crucem. Haud ergò miranda exultatio Andreæ ad Crucis pręſentiam; ſed potius miranda eius cordis amaritudo in tam longâ Crucis abſentia. Senex tandem reperit Lignum, quod à Juventute ferventer anhelaverat. Diù ergò tortus; quòd tàm ſerò in Crucem venit. Longum ſanè tormentum, quòd tamdiù Ligno caruit. Igitur Andreæ martyrium haùd in Cruce quęrendum, ſed extra illam. Sic Diſcipulus concordat Magiſtro. Huius verba ſunt.

Gaudium apoſtolicum.

Andreæ cormentum extra Crucem.

Luc. 12. 50.

20 *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor, uſque dùm perficiatur?* Luc. 12. 50. Baptiſmum vocat ſuam mortem, & paſsionem, in quâ planè ſanguinis ſui fonte baptizatus fuit. Quam etiam phraſim uſurpavit, dum ambitioſos diſcipulos de conſtantia examinavit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Marc. 10. 38. Angitur nè Chriſtus, quòd illius mors tardat, quòdque ſerius in Cruce extendendus? Ità. Ubi enim amor viget, ibi dolor urget, & angor, quamdiù res amata differtur. Putabas inveniri anguſtias in Cruce? En extra Crucem Chriſtum coarctatum. Amanti Crux dura eſt; ſed quamdiù non torquet. Ubi verò premere eſt viſa, tunc dulcis vàlde probatur. Ergò acrius Chriſti tormentum extrà Crucis anguſtias. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Vis noſcere, quando anguſtias, & preſſuras paſſus Andreas? Extrà Crucem illum ſpecta. Flagrabat nimio patiendi pro Chriſto deſiderio; & quoniam tardabat Crux, duriſsimè cruciabatur: Haùd Crux illi Crux, ſed deſiderium Crucis. Quia, nimirùm, plus martyrij deſiderium, quàm ipſum martyrium torquet.

Baptiſmus pro morte.

Marc. 10. 38.

Chriſti extra Crucem anguſtiæ.

Crux dulcis amanti.

Crucis deſiderijs maximè torquetur Andreas.

Ardor patiendi ipſa pœnâ durior.

21 Sanguineus Chriſti ſudor eruditiſsimos, maximoſque ho-

Chriſtus in Horto.

mines multùm ſudare coegit. Pro nunc notare ſufficiat, uſque adeò tunc anxiatum fuiſſe Dominum, ut, Evangeliſta teſte, ſolatio Angelico faerit roboratus. *Apparuit autèm illi Angelus confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat.* Luc. 22. 44. Cùr non in calvario ſimile obſequium ab Angelo fuit exhibitum? An in Cruce mitioribus Chriſtus doloribus circumdatus, quàm in Horto? Aio. In calvario quippè toleravit Crucem, quam in Horto vehementiſsimo deſiderabat amore. Ideò hìc, & non illìc ſolatio roboratur Angelico; quià, videlicet, Crucis ſupplicia anhelantem, minùs ipſa paſsio, quàm ardor patiendi torquet. Sudat itàque ſanguinem Chriſtus in Horto, quòd ab Horto Crux abeſt, ubi totum ſanguinem fundat. Haùd ſudat in Calvario, ubi cruorem videt copioſiſsimè toto è corpore manantem. Agonizat ubi agonizare non datur, & penè cogitur intermori, quòd non moritur ſtatim. Abeat ergò Angelus, ubi Domino Crux adeſt. Solatia ferat, ubi Lignum abeſt. Salvatori quippè non tàm durum Crucem pati, quàm deſiderare. *Apparuit illi Angelus, confortans eum. Et poſitus in agonia prolixius orabat.* Quòt tormenta, quòt anxietates, quòt dolores, quòt Cruces toleravit Andreas, quòd mors tàm lenta veniret! Diù pati compulſus eſt, quià tardè Ligno ſuffigi datum eſt. Iuvenis concupivit, quòd tandem ſenex obtinuit. Ideò ad conſpectum Crucis exultat, quam longo tempore deſideraſſe conqueritur. *O bona Crux diù deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata!* Ad Crucem gaudet; ſed dolet, quòd tandiù eam deſiderare fuit coactus. Namque Crucis amico tormenta erant pro delicijs, deſideria pro anguſtijs. Favet ratio. Quià, nimirum, ſupplicijs torquentur corpora; deſiderijs autèm corda vexantur. Et dubio procùl dirior multò eſt pœna, quæ corda invadit, quàm quæ corpora tangit.

Luc. 22, 44.

Mortificationum ſitis.

D Andreæ Crux dulcis.

Cordis pœna dirior, quàm corporis.

22 Crucis Lignùm, in quò Author ſalutis pependit, dulce ab Eccleſia vocatur, dulces quoque appellantur clavi, quibus eiuſdem corpus perforatum. *Dulce Lignum, dulces clavos.* Lancea vero non dulcis cognominatur, ſed dira. *Vulnerata lanceæ mucrone diro.* Eccur à dulcedine clavi, & lignum commendantur; Lancea verò ſævitiæ ignominiâ notatur? An quòd immanius longe eſt, in mortuum furere, quàm in vivum? An quòd Salvator in doloribus exultabat? Et Lancea nullum illi dolorem attulit; Crux verò, & clavi ad necem uſque torsère? Licet profectò ita de Chriſti amore ſentire, cuius deliciæ ſupplicia fuerunt. Unde illi Crux dulcis, quòd viventi moleſtiſsima. Lancea crudelis, quòd mortuo, atque adeo nihil jam ſentienti, tardum vulnus inflixit.

Eccleſ.

In mortuum deſævire immaniſsimum.

Chriſti deliciæ ſupplicia.

23 Verùm alia ratio ſuccurrit; cur dirus mucro lanceæ dicatur, Crux verò & clavi ſuaves. Quià, nimirum, hi corpus Domini dilaniarunt; ille autem cor tranſverberare fuit auſus. Et longe ſævior pœna eſt, quâ corda vexantur, ea, quâ torquentur corpora. Quin potiùs, ſola dira pœna, quæ in corda deſævit: namque dulce tormentum, quod furit in corpus. Equidem anhelanti ſupplicia, ea pati corpore, gratum; corde deſiderare, moleſtum. *Lanceæ mucrone diro. Dulce Lignum, dulces clavos.* Beatus Andreas dupliciter Martyr. Namque & Martyr in vita, & Martyr in morte. In vita equidem deſiderio; in morte porrò Ligno Crucis. Utrum illi martyrium gravius? Non eſt locus comparationi. Deſiderijs namque torqueri, amariſsimum; ligno ſuſpendi, dulciſsimum. Ligno quippè

S. Andreas dupliciter Martyr; & deſiderio, & Cruce.

pè cruciabatur corpore; deſiderijs autem intimis angebatur præcordijs. Utque ſuaviſsimum eſt pati corpore, quę impenſè deſideras; ita duriſsimum eſt concupiſcere, quæ non patis. O dirum deſiderium, ut Andream torſiſti! Perdiu te paſſus eſt tortorem; quòd non niſi poſt longa tempora votis ſuis annuit Deus. Sed, ò ſuaviſsimum lignum Crucis, ut Andream recreaſti! O clavos mellitiſsimos, ut dulcedine repleſtis! Sed, ò patiendi ardor, amorque Crucis! Tu ità dolores temperaſti; ut gaudium Apoſtolo efflorefceret inter ærumnas. Tu ità dulcoraſti ſupplicia; ut Senex tormentis luderet, in Cruceque exultans, funeri inſultaverit. Tu, tu effeciſti, ut infirma caro diligeret Crucem, amabilis vita ſuſpiraret mortem.

Tormenta dulceſcunt amore.

Summum Andreæ gaudium in Cruce.

24 Hinc illa eiusdem conſtantia, quâ ſemel amplexam Crucem firmiter tenuit. Equidèm nullis populorum clamoribus, nullis filiorum lacrymis moveri potuit, ut Ligno non adhæreret. In hoc etiam ſuo Magiſtro conformis, qui rogatus noluit de Cruce deſcendere. *Deſcendat nunc de Cruce & credimus ei.* Matth. 27. 42. Tam dulce nè Andreæ, Crucis patibulo immori? Tam dulce. Atqui extra Crucem haud defuiſſet Andreæ copioſa laborum ſeges. In promptu quippè illi eſſent nuditas, eſuries, ſitis, carceres, exilia, virgę quoque, & fors fortuna ſecures. Ergo ſiquidem tam amans ærumnarum fuit; cur non extra Crucem ſuas delicias quæſiſivit, ubi longa etiam pœnarum materies non deeſſet? An verò nullas paſſus Andreas calamitates extra Crucem? Imò plurimas & graviſsimas. Quid ergo uni Cruci tenaciſsimè adheret, quaſi unico gaudij, & exultationis fonti? Aſt ubi lætandum Diſcipulo, niſi Ubi Magiſter delicias ſummas invenit? Noluit Salvator de Cruce deſcendere; non quòd extra illam non graviſsimis fuerit conflictatus ærumnis. Sed quoniàm, quicquid minùs erat, quàm Crux, haud dignam ſuo gaudio paſsionem reputavit. Paſſus fuerit graviſsima extra Crucem Andreas. At non niſi in Cruce exultavit præ gaudio. Reliqua tormenta paſsio ipſius non erant; ideo potiùs illi gemitus, quàm gaudia extorquebant. Gemebat quippè, non quòd patiebatur; ſed quòd non patiebatur in Cruce. Ideo Crucem deſerere noluit, ubi ſemel arripuit. Nimirùm in Cruce reperit lętitiam, ſuo amore digniſsimam.

Perſeverantia in tribulatione. Matth. 27. 42.

Pati pro Chriſto.

Nullum Andreæ gaudium extra Crucem.

Chriſti imitatio.

Crux deliciæ Chriſti.

Deliciæ Apoſtoli.

25 Modò percontor: quônam mortis genere occubuit Andreas? Dicis & quô alio, niſi morte Crucis? Sedenim, qui potuit lignum Crucis Andreæ lethum afferre, quem ſcimus, miro gaudio recreaſſe? Et quomodò ſenio penè confectus homo, biduo vivus pependiſſet in ligno, ni tantâ lætitia fuiſſet roboratus? Haud ergô videtur lignum valuiſſe occidere Andream, quem tàm valuit recreare. Niſi dicamus, exceſſu gaudij Andream perijſſe: quemque non obruit tormentorum procella, lætitiæ affluentia ſubmerſum. Aliam porrò cauſam ſuæ mortis mihi videre videor: metum, ſcilicet, non moriendi. Nihil enim ſic timuit Andreas, quàm nè non moreretur. Sic vivere extimuit, quàm alij mori formidant. Hinc, ubi populum animadvertit in ſui libertatem armatum, vehementer rogare cœpit; nè ſe ad optatiſsimam martyrij coronam properantem impediret. *Andreas rogabat populum, ut non impediret paſsionem ipſius.* Hinc illæ ad Deum preces: *Tu es Deus meus, quem vidi: nè me patiaris ab impio Judice deponi.* Hinc illa ad Crucem humillima vota: *O bona Crux, quæ decorem, & pulcritudinem de membris Domini ſuſcepiſti: accipe me ab hominibus*

Quônam mortis genere S. Andreas occubuit.

Num Crucem

Num gaudio

Num metu non moriendi

Metus ex amore.

&

& redde me Magiſtro meo. Ergò præ metu, ne non moreretur, expiravit.

Morte mortem fugere, dementia, & furor.

26 Fannij illius furorem, qui deprehenſus in conjuratione adverſus Auguſtum, ſibi mortem conſcivit, facetè noſter Martialis irridet *epigram.* 80. lib. 2.

Martial.

Hoſtem cum fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic rogo, non furor eſt, nè moriare mori?

Digna profectò tantò facinore ſugillatio. Eſt namque mollis, & effeminati animi laboriosa & moleſta fugere, nec mortem, quòd honeſta ſit, ſed ut evitet malum aliquod, oppetere. Inſania ergo, & furor eſt, non conſtantia, non fortitudo, mortem morte redimere, ſeque, nè occidatur, occidere. Cæterùm, quod in meticuloſo furor, in amante robur eſt. Ignavus quippè cupit non mori: amans verò mori deſiderat. Ille, quoniam mortem timet, moritur. Hic, quoniam mortem amat, expirat. Timor utrique lethalis. Sed valdè diverſa cauſa. Lethifer ille ob ignaviam. Hic ob amorem mortiferus. Ergò quod in alijs ignominia, hoc in Andrea præconium. Obierit ille metu, quo ſtoici quidam. Sed illi mortui, quod mortem fugerint. Andreas verò mortuus, quod mortem amarit. Equidem tantâ amoris vehementiâ Crucis mortem optavit; ut præ metu amittendi hanc feliciſsimam ſortem, animam exhalaverit.

Metus ex ignavia.

S. Andreas mortuus defectu tormentorum.

27 Vel tandem ità ponamus: Andream, nimirum, haùd tormentorum copiâ, ſed inopiâ potiùs extinctum: vivereque deſiſſe, quòd materia patiendi defuit. Biduò vivus pependit in ligno; ultrà ſanè victurus, ſi novis torquendi ingenijs eius fuiſſet patientia enutrita. Ceſſavit ergò vita, quòd tormenta ceſſarunt: & quoniam amplius, quod doleret non habuit, pretioſam efflavit animam. In hoc etiam ſuo Magiſtro ſimillimus. Vide illum ſitientem in Cruce. *Sitio.* Joan. 19. 28. Vide potatum aceto: *Spongiam plenam aceto obtulerunt ori ejus.* Ibid. 29. Vide poſt acerrimum hunc potum exhauſtum, ſpirantem actutùm. *Cùm ergo acceptiſſet acetum*, dixit: *Conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Ibid. 30. Certo certius eſt, Dominum Jeſum vitam mortemque ſuam in libera ſua poteſtate poſitam habuiſſe. Non quippe neceſsitate mortuus eſt, ſed voluntate. Cur ergò poſt acerrimum potum, & non anteà emiſit ſpiritum? Quoniam hoc fuit tormentorum extremum. Hoc conſummatò, conſummata ſunt omnia. Propterea dixit: *Conſummatum eſt.* Nullus jam reſtabat dolor, nullus crutiatus, paſsio nulla. Patiendi ſitim quod levare poſſet, nil jam ſupererat. Vixit ergò quandiu præſtò fuere ſupplicia: & quoniam abſumpta tormenta, de ſtatione vitæ deceſsit. *Conſummatum eſt. Tradidit ſpiritum.* Quid pulcriùs pro noſtro Andrea? Tormenta ſitienti cruciatus non nocent. Neque mortem afferre poſſunt, quæ refrigerant. Occubuerint alij tormentorum immanitate oppreſsi. Chriſtus, & Andreas niſi excruciantur, non vivunt. Torqueri, vivere eſt illis: non excruciari, mori. Ideò utriúſque mors dilata, donèc tormenta durarunt. Atque adeò vita abſumpta, quod conſumpta omnis patiendi materia. O tormentorum ſitis! O ardor pœnarum! O Crucis amor eximius!

Chriſti ſitis in Cruce. Joan. 19. 28. Ibid. 29.

Ibid. 30.

Mortificationum ſitis.

***

***

***

DISSER-

DISSERTATIO VII.

VIRTUTIS STADIUM IS currit egregiè, qui cælum ſpectat.

Oculi calcaria pedum.

1 CUrſus celeritas pendet ab oculis. Pedum calcaria frontis lumina. His noſtræ vires, noſtrique nervi expediuntur ad curſum. Ea propter *oculi ambulare* dicuntur. Illuſtri ſanè Commutatione, ubi cauſa ponitur pro effectu. Namque intentione oculorum mirum in modum pedes animantur ad curſum. Nuſquam legimus, Chriſtum Dominum tantâ celeritate Jeroſolymam contendiſſe, quanta, ubi inſtabat periculum mortis. Tunc enim tam alacer, tàmque expeditus incedere eſt viſus; ut tardè ſe ſequentibus diſcipulis admirationi eſſet, & ſtupori. *Et præceaebat illos Jeſus, & ſtupebant.* Marc. 10. 32. Sed & nuſquam alibi legimus, Chriſti faciem incedentem, præterquam ubi cursus hujuſce velocitas deſcribitur. *Facies ejus erat jens in Jeruſalem.* Luc. 9. 53. Et quonam, rogo, conſilio tunc facies incedere eſt dicta, cùm pedum celeritas notatur; niſi quià oculorum radijs plantæ incitantur ad curſum? Vis ad Jeroſolymam properare? Eſto facies tua vadens in illam. Cupis cæleſtium viam currere mandatorum? Oculos ad cælum leva. Indè torporem excuties: indè hauries pernicitatem in curſu.

Chriſti feſtinatio in mortem.

Motificationum fitis.

Marc. 10. 32.

Luc. 9. 53.

Spes præmij volare facit vel tardiſsimos.

2 Dè ſanctis Animalibus hæc habet Ezechiel cap. 1. 12. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Cui non mira horum Animantium celeritas, quæ coruſcantis fulgetræ velocitatem æquavit? Et quamquam id minus in Leone, & Aquila, ferarum pernicisſimis, ſtupendum appeat; in Bove tamèn, & Homine nequit non inſolitum, atque adeò prodigioſum videri. Nam quid Bove tardius? Quid ve Homine ſegnius? Undè ergo lentiſsimis animalibus celeritas tanta? E ſiderum conſpectu. Audi. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, tamquam aſpectus cryſtalli.* Ibid. 22. Fronti inſidens firmamentum animalium oculis conſpiciendum ſe prębuit. Et tanti boni contemplatio vel Bovem fecit aligerum. Oculis, inquam, præmij æternitatis objecta volare docuit pecudum tardiſsimam. Nemo ſegnitiei ſuæ prætendat excuſationem. Nemo dicat: Imbecillis ſum, delicatus ſum, gravis ſum. Haüd valeo in via Domini, quemadmodum alij, currere. Falleris. Tantùm contemplare ſidera: oculos levato in cælum; &, non dico curres, ſed in modum fulguris ibis. Ecce ut non tardius Homo & Bos Aquilis, Leonibuſque gradiantur, ſi idem firmamentum eorum patet aſpectibus. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti.*

Ibid. 22.

Æternitas.

Excuſationes frivolæ.

3 Nolo mihi objicias labores, curaſque tuas. Nolo dicas: Homo ſum agricola, natus ad laborem, quique in ſudore vultûs veſcor panibus. Qui currere poſsim, ligonibus & ſtivis perpetuò alligatus? Cælum ſpecta: volabis ut Aquila. An non Iſidorus Agricola, dum glebas terit poſt boves, virtutis metam pluſquàm Atlantico curſu dimenſus eſt? Moleſtè audio dicentem: Homo ſum ſæcularis, plurimis negotijs diſtentus. Familia mihi multa. Cogor hærêre terræ. Vix poſſum movere pedem. Currant Leones, currant Anachoritæ, quibus patet campus in ſylvis. Volent Aquilæ, volent Clerici, religioſæque animę volent, quibus liber eſt aer, liberum cælum. Nimis profecto

Status virtuti non nocet.

S. Iſidorus Agricola.

ſolicitus es, & turbaris erga plurima: porrò unum eſt neceſſarium. Subrige oculos: cælum ſpecta: & mihi crede, volabis ut Aquila. Num quid Abrahę divitiarum abundantia nocuit; gregum copia, aut ſervorum frequentia obſtitit, quominus ſanctitatis culmen expeditiſsimè aſcenderet? Et unde illi pennę? Nimirùm, cælum contemplare eſt juſſus. *Suſpice cælum.* Geneſ. 15. 5. Cælum ſuſpexit; volavit. Nemo non eſt Aquila, imo fulgur, ſi fronti æternitatem inſculpat. *Animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

S. Abraham. Divitiæ non nocent aſpicientibus cælum.

Geneſ. 15. 5.

4 At, inquis, ænigmatica animalia nobis in exemplum producis. Cur non producam? Num figuris nequit veritas perſuaderi? Verum ingenio tuo ſerviamus. Contuere Paulum in ſtadio currentem. *Bonum*, inquit, *certamen certavi, curſum conſumavi.* 2. Tim. 4. 7. Atqui nè curſum conſumaret, plurima, eique ingentia diſcrimina offendit. Catenas, nimirum, carceres, virgas, lapides, naufragia, ſitim, famem, nuditatem, alapas, exilia, opprobria, ignominias, calumnias. Et quid non? His tamen non obſtantibus, glorioſum curſum ſtrenuè peregit. *Curſum conſumavi.* Et quâ arte, quô verò ingenio tot adverſa pericula exantlavi? Repoſiti in cęlo præmij meditatione. Undè ſubdit ſtatim: *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Ibid. v. 8. Tantæ mercedis illicio ſemitam ſibi fecit per undas, per ſaxa, per vincula, per nives, per enſes, denique per mortem ipſam. Nihil enim ad ſtimulandos pedes urgentius, quàm cæleſtis coronæ meditatio. *Bonum certamen certavi. Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.*

S. Paulus.

2. Tim. 4. 7.

Spes coronæ omnia vincit.

Fervoris fons contemplatio mercedis.

Ibid. 8.

5 Quid Stephanus? Non clamoribus Sinagogæ, non Scribarum minis, non ſtridentibus Phariſæorum dentibus, non impetu furentis contrà ſe populi, non ſęva lapidum grandinatione potuit ab inceepto curſu vel minimùm retardari. Contrà hæc omnia fortiter obnitens pervenit ad palmam. *Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Quæres, unde tanta in Juvene contrà tot diſcrimina conſtantia? Nimirùm, ſuſpexit in cælum. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Ab oculis habuit, quòd bravium obtinuit. Lumina in cælum fixa prædarum Agoniſtam fecêre. Doctiſsimus curſor evaſit oculorum magiſterio. Ideóque vel per media ſaxa pervenit ad coronam; quoniam vel inter turbines lapidum ſpectare cælum non deſtitit. *Video cælos apertos.*

S. Stephanus.

Conſtantia ex contemplatione cæli.

Act. 7. 58.

Ibid. 55.

6 O nos miſeros! Coronam gratulamur Stephano. Sed ad curſum inepte pigreſcimus. Cupimus coronari cum illo, ſed in agône contendere detrectamus. Meminiſſe debemus, non ad illum deſcendiſſe cælos, ſed illum oculis in cælum aſcendiſſe. Nos infelices oculos declinamus in terram, & volumus, ut in nos cælum declinet. Periculis cedimus, & labori, quoniam non præmij magnitudinem, ſed diſcriminum duntaxat molestiam attendimus. Iterum audi exclamantem: *Video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* An circumdantes te lupos, denteſque exacuentes, non vides? Vides eminùs gloriam, Jeſumque ſpectas in cælo; & non vides cominùs accedentem ad te mortem, mortiſque miniſtros? Rapior ad ſupplicia: utque tormenta non expaveam, haud illa ſpectare curo, ſed coronam. Meos carnifices non video, necem mihi parantes. Sed meum Jeſum video, palmam mihi oſten-

Laborandum pro cælo.

Præmium confiderandum, non labor.

Tentatio quomodo vincenda.

Æterna tantùm.

Robur martyrum unde.

tendentem. Non reſpicio quid mihi immineat periculi, ſed quid me maneat gloriæ. Nihil tormenta moror, quia cælum ſpecto. *Video cęlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.*

7 Cur infelices animæ quôvis offendiculo perturbamur, & vel tenuiſsimo ſcrupulo objecto gradum ſiſtimus, aut certè pedem à ſemita virtutum retrahimus? Sanè cælum omnibus æquè patet. Quid ergo eſt, quòd alij etiam inter ſaxa ſtrenuè currunt; alij etiam inter lapillos fœdè ſuccumbimus? Cùr alij tormenta duriſsima ſpernunt; Alij verò quavis moleſtiâ proſternimur? In promptu cauſa eſt: illi cælum ſpectant, non laborem. Nos laborem attendimus, non cęlum. In cælo merces, in certamine dolor. Cadat porrò animo, neceſſe eſt, qui in certamine poſitus laborem tantùm conſiderat. At vero nulla timet adverſa, qui oculos figit in æternitate præmij. *Video cælos apertos.*

Tepiditatis fons.

8 Dices, Gigantibus Eccleſiæ id accidiſſe, ut ſolo conſpecto cælo, per ardua cacumina montium cælum invaderent. Sed quæro: Num ſoli Gigantes cęlum aſpicere poſſunt? Nonne & pueris ſimiliter aſtra patent? Non ergo Eccleſię Primoribus cælum patuit, quòd fuerunt Gigantes; imò tales evaſere, quòd cælum intentiſsimis oculis conſpexerunt. Cæterùm videamus; an ſoli Eccleſiæ Gigantes cæli conſpectu animati fuerint ad curſum. Age, quid imbecillius puero? Unum tibi ex gregę Machabęorum objiciam. Vide illum à mammis ad ſupplicia currentem; ſpernentem blanditias, minas non curantem; ollas, ſartagines, ignes, & duriora, quàm reliqui fratres, tormenta devorantem. *Rex accenſus irâ in hunc ſuper omnes crudeliùs deſævit.* 2. Mach. 7. 40. Quæres, undè puero tantum animi, tantum roboris? Undè tanta catenarum, & ſupplicíorum deſpicientia? Nimirùm, cælo inhæſerat. *Peto, nate, ut aſpicias cælum.* Ibid. 40. Hoc ſtimulo pia Mater filium tenellum inflammavit ad curſum. Hâc armaturâ imbecille pectus roboravit. Hoc conſilio ex puero fecit Gigantem. Pudeat, pudeat viros à pueris ſuperari in curſu. Pudeat nos in Chriſti palæſtra enutritos, non femina adhortante, ſed Chriſto præeunte, non minis, ſed mimis, non tormentis, ſed terriculamentis ab arena diſcedere, à qua nullis ſupplicijs ephebi potuerunt abduci. Sed indè noſtra deſidia, & torpor, quòd luto inhærentes in cælum oculos levare non curamus. Nam quis non currat, propoſito ſibi cælo; cùm puer Gigantibus ſuperior evaſerit, per hoc ſolùm quòd lumina in ſinum ęternitatis defixit? Quis animo verſans præmij magnitudinem, non ingenti cupiditate virtutis exardeſcat?

Cælum æquè patet omnibus.

Ibid. 28.

Filiorum educatio.

9 Vide pro cudendis ſanctiſſimis viris artem egregiam. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti; ſi autèm non videris, non erit.* 4. Reg. 2. 10. Reſponſio eſt Eliæ ad Eliſeum, duplicem ab eo ſpiritum poſcentem. *Obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ibid. 9. Arbitrabar fore, ut ad imbuendum tantò ſpiritu diſcipulum, ciliciò illum tegeret hiſpidiore, jejunia imperaret arctiora, loca ſecretiora conſuleret, productiores vigilias indiceret, ut dies noctibus orando conjungeret. Verùm, his ſilentiò præteritis, totus in eo eſt, ut faciat ſtudioſum videndi raptum ſui. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* Satin' hoc ſolum, ut duplicem Eliæ ſpiritum hauriat Eliſeus? Satis. Etenim triumphalis currûs gloria, felixque Magiſtri raptus ob oculos poſitus, ſatis

4. Reg. 2. 10.

Cæli contemplatio doctrinâ morum. Ibid. 9.

Cæli cogitatio ad martyrium inflammat vel pueros.

2. Mach. 7. 40.

Gloria Sanctorum provocat ad laborem.

tis erat ad inflammandum diſcipuli pectus, ut duplo majorem ſpiritum ſanctitatis conciperet. Quis virum intonſum, barba, & capillis horridum, caprinâ pelle circumdatum, corio pilo ſo accinctum, jejunijs pallidum, eremi incolam, paupertatis alumnum; quis, inquam, hominem hunc videns igneo curru ab Angelis rapi in altum, & quaſi triumphatorem, ac cæli civem ad ſidera evehi; non ingenti cupiditate virtutis igneſceret? Quis aſperitatem horreret cilicij, quem in ſtolam gloriæ videret commutatum? Quis areta jejunia refugeret, quæ ſpectaret delicijs paradiſi compenſata? Quis eremi ſolitudinem paveret, quam videret Angelorum conſortio remuneratam? Quis vitæ ærumnas non amaret, quas requiem æternam promeritas inſpiceret? Quis non tantæ mercedis ſpectaculo raptus Eliæ veſtigia premere conaretur? Cupis ergo ſpiritu Sanctorum ornari? illorum gloriam conſidera. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiſti.*

Mortificationis præmium.

10 Quid autem ſi non viderit? Carebit nè Eliſeus ſpiritu Eliæ? Carebit. *Si autèm non videris, non erit.* Tanti ſane intereſt, utrùm ſanctorum gloriam ſpeculemur, necne. Illorum virtutes oculis concipimus. Sed, quia luto inhærentes præmij magnitudinem haud attendimus, ideo, veluti arbores infructuoſæ, perpetua bonorum operum ſterilitate laboramus. Quæ ſententia quamquàm omnes Chriſticolas tangit, ſpecialiter viros Religioſos admonet, nè ſanctiſſimorum Parentum ſuorum triumphos contemplari negligant, ſi modò illorum virtutes pleno ore imbibere cupiunt. Videas in eadem ſchola morum, ſub eodemque Præceptore alios ſpiritu ferventes, alios ſegnitie torpentes: alios vigilijs intentos, alios indulgentes ſomnio: hos dimicantes ſtrenuè, illos fugientes ignaviter: quoſdam generosè currentes, quoſdam prę otio ſtertentes. Et undè tanta in Condiſcipulis morum diſſimilitudo? Indè arbitror, quoniam ſuorum Patriarcharum triumphos, celſitudinemque gloriæ alij contemplari ſtudent, alij negligunt. Nimirum, duplicem Eliæ ſpiritum Eliſeus hauſit, quòd cum vidit ad ſidera evectum; non recepturus utique, ſi non ſpectaſſet. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris, non erit.*

Æternorum oblivio fons tepiditatis.

Fervor, aut tepiditas Religiosorum unde.

Suorum Patriarcharum gloria contemplanda Religioſis.

11 Quis enim Magni Auguſtini illorum Parentis animam videns præfulgida nube ſublevatam in cælum, non ſanctiſsima illius veſtigia imitari ſtudeat? Quis Parentem Benedictum ſpectans cælum intrantem, pallio pretioſiſsimo ornatum, lampadibuſque mirè fulgentibus colluſtratum, non ingenti virtutis amore flammeſcat? Quis Patriarcham Dominicum auguſto ſedentem Throno, aureâque redimitum coronâ intueri queat, quin tantæ mercedis illicio animetur ad curſum? Quis ex Minoritis pauperrimum Parentem contuens ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ candida ſub tectum nebula ſuper aquas multas in cælum tramite recto conſcendere, ſtabit otioſus, & non magis poſt ipſum volare geſtiet? Pudeat ergo Aquilarum pullos oculis inhærere terræ.

S. Auguſtinus.

S. Benedictus.

S. Dominicus.

S. Franciſcus.

12 At fortaſſe inquies: ab Angelis prohibentur Apoſtoli, Jeſum cælo receptum ſpectare. *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Act. 1. 11. Planè videris, Angelorum ſenſum te non capere. Neque enim Angeli diſſident à Deo, qui Abrahamum juſſit ſpectare cælum. *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes.* Geneſ. 15. 5. Indè juſtorum gaudia cum Apoſtolo; *Noſtra autem con-*

Act. 1. 11.

Geneſ. 15. 5.

Spes premij.

Philip. 3. 20.

Pſal. 122. 1.

converſatio in cælis eſt. Philip. 3. 20. & cum Propheta regio: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cęlis.* Pſal. 122. 1.

Cælum intueri ſolùs eſt hominis.

Nàm quid præſtantius, quàm ſidera contemplari, quod ſoli homini datum?

Ovid.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quamquam ethnicus Naſo cognovit. 1. *Metamorp.*

Juſtorum oculi cęlum, impiorum terram ſpectant. Pſal. 16. 11.

Quid verò indignius, perniciosiùs vè, quàm pecudum more, quarum voluptas omnis ex terra eſt, oculis inhærere ſimo? *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Pſalm. 16. 11. Elogium impiorum eſt apud Davidem. Ergo juſtorum oculi ſurſùm; impiorum deorſum cernere gaudent.

Apoſtoli ab Angelis caſtigati, & cur.

13 Quid ergò ab Angelis caſtigantur Apoſtoli? Non utique, quòd cælum ſuſpicerent; ſed quod cælum inſpicientes, ſtarent. *Quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Objurgant inter aſtra otium, egregiè ferunt, tantis ſtipendijs intentos Apoſtolos, torpère, nec currere. Mirantur Cęlites, quòd viri illi, qui Domini triumphum ſpectaverant, non illicò ad Cruces, ad ignes, ad evulgandum Evangelium tantæ mercedis ſtimulò incitarentur, ſed otioſi reſiderent in monte. Haud proindè triumphum ſpectari verant, ſed, ſpectato triumpho, quietem otioſorum excutiunt. Equidem putabant debuiſſe Apoſtolos præmij magnitudine impelli ad impigrè laborandum pro Chriſto, pro cęlo. *Quid ſtatis aſpicientes in cęlum?*

Chriſti Aſcenſio fervoris ſtimulus.

Magorum iter mirabile.

14 Magorum velocitatem in quærendo Chriſtum, nemo eſt, qui non miretur. Etenim à Perſia Jeroſolymam uſque intrà novem, aùt decem dierum anguſtias perveniſſe, magnis etiam viris incredibile apparuit: quibus proinde, duos integros annos in itinere poſſuiſſe Magos, viſum eſt neceſſarium. Sed prior ſententia ut verior, ità & plauſibilior: quam tradit Auguſtinus *ſermon.* 32. *de Temp.* Qui autem fieri potuit, ut tantillo tempore tam longa confecerint itinera? Remigius vult, divinâ id virtute factum. Cæterùm mediâ, ut arbitror, ſtellâ. Ideo enim non Prophetam, ſed ſtellam ſui nuntiam Magis Dominum deſtinaſſe crediderim, ut dùm cælum ſuſpicerent, longa viarum ſpacia citiſsimè percurrerent. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. 2. Adeò ſiderum aſpectu animantur pedes.

D. Auguſt.

Remig.

Matth. 2.

15 Sui triſtitiam inceſsûs ob inimicorum moleſtiam David cauſatus, ajebat: *Quare triſtis incedo, dùm affligit me inimicus?* Pſalm. 42. 2. Quaſi ſuorum tarditate pedum verecundatus, veloces in via Domini greſſus excelſo animo meditatur. At videamus, quò urgeri cupiat ſtimulo? *Emitte*, inquit, *lucem tuam.* Ibid. Levis ſane calcar lux iſthæc videtur. Ferreum potiùs aculeum ſubdendum foret pedibus, quam lux blanda. Quid lux ad curſum? Sanè ſola ſufficit contrà triſtem pedum ſegnitiem lux cæli. Hac animantur plantæ, hâc pedes exultant. Quis enim in via Domini incedens triſtis, ſi videret, ſuperno lumine colluſtratus, bona cæleſtia? Quis hoſtium moleſtias formidaret, ſi cerneret, per multas nobis tribulationes aditum reſerari ad Deum? Sapientèr itaque David, quò a pedibus tarditatem excuciat, cæli lucem exoptat: noverat quippè, in ſtadio virtutis benè currere illum, qui benè videt. *Quare triſtis incedo, dùm affligit me inimicus? Emitte lucem tuam.* Ecce habes, quò facilè inſtruaris ad curſum, torporem exuas, otium elimines. Oculos in cęlum levato, & feſtinabis in æternitatem.

Pſal. 42. 2.

Luce cæleſti ut animantur pedes.

Ibid.

Clementia in Superiore.

Æternorum cognitio.

Devia ſæpe via eſt, multos ſua meta fefellit.
Nè male deflectas, ſit tibi meta Deus.

DISSERTATIO VIII.

CLAUDICANT NON nulli, non pede, ſed oculo.

Oculi claudicantes

1 NUlli videri debet abſurdum, ſi claudicare oculis homines, dicimus. Nam quid mirum, oculis claudicent, qui iiſdem, quibus pedibus, incedere perhibentur? Eccè Sionitides palpebris gradientes: *Nutibus oculorum ibant.* Eccè Domini faciem Jeroſolymam contendentem. *Facies ejus erat vadens in Jeruſalem.* Rectè itaque, quemadmodum inceſſus, ſic & pedum vitium transfertur ad oculum. Claudicat ergo pede, qui æquis paſſibus incedere nequit: & claudicat oculo, qui non rectâ, firmaque in Deum mente procedit; ſed ita vult æternitati militare, ut & famæ, cupiditatique ſuæ inſervire non deſinat. Sic Homerus Illiados N. notat hominis inconſtantis ingenium:

Oculis claudicare quid.

Intentio prava.

Homer.

Non huic firma ſatis eſt mens in pectore, verùm
Claudicat, inque pedem reſidet proclivis utrumque.

Intentio recta. Pſal. 122. 1.

2 David non ità, cujus hæc verba: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Pſalm. 122. 1. Nullo vacillavit oculo, qui utrumque levavit ad cælum. Arduum ſanè vel unum elevare oculum in ſidera: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Undè orta illa oculorum declinatio in lutum, de qua idem Vates conqueritur Pſalm. 16. 11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Ambos vero oculos in Deum erigere, (hoc eſt; nihil agere niſi mente penitus in cælum erectâ) Davidicum eſt. Undè benè ait: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Atqui Dominus nedum in cælis habitat, ſed & in terris. Nam, vel ipſo Propheta teſte Pſal. 23. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Et apud Jeremiam. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* Quarè ergo regius Vates non direxit lumina in Deum habitatorem terræ, ſed ſignate in habitatorem cæli? Ut moneare, nil terrenorum expetiſſe illum a Domino; ſed ſola cæleſtia meditaſſe. Bona opera agimus interdùm non hominibus, ſed Deo; verum ut aliquid à Domino terrarum accipiamus.

Pſal. 23. 1.

Jer. 23. 24.

Æterna tantum.

In Deo aliquid præter Deum quærimus.

3 Vel Jacob Deum colit, ut aliquid terrenum, ſcilicèt, panem & veſtimentum accipiat. *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum; erit mihi Dominus in Deum.* Geneſ. 28. 20. Rara intentio non claudicat: cælique Numen ſincerè colit. Noli ipſi matri filiorum Zebedæi credere, licèt Chriſtum adoret. Adorat, ſed petit. *Acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis adorans, & petens aliquid ab eo.* Matth. 20. 20. Dimiſit omnia Petrus, Dominique lateri adhæſit; verum cupiditatis oculum intendit in præmium. *Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Matth. 19. 27. Ad ſpecioſam Templi portam ſedet claudus, ut ſtipem poſcat ab introeuntibus. Audeo dicere; David in Nobè, & propè menſam Domini aſtat, non ut oret, ſed ut epuletur: *Vel quinque panes da mihi.* 1. Reg. 21. 7. Quid Sponſa? Et ipſa, mirum! claudicare videtur; vel cùm dilectum provocat ad delicias. Ecce ut urget. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas.* Cant. 7. 11.

Geneſ. 28. 20.

Intentio recta valdè rara.

Matth. 20. 20.

Chriſti ſequela ob commoditates temporales.

Matth. 19. 27.

Quæſtum quærentes à templo.

1. Reg. 21. 7.

Pſal. 16. 11.

Cant. 7. 11.

Qua-

Quarè tàm anxia egrediendi cura ? Cùr tàm feſtinatus egreſſus ad vineas ? Num ut remotis arbitris ſola cum ſolo commoretur ; liberiùſque ac jucundiùs Dei oſculis amplexibuſque perfruatur ? Audi , quid cupiat: *Videamus , ſi floruit vinea , ſi flores fructus parturiunt , ſi floruerunt mala punica.* Ibid. 12. Itanè ! Hùc vota tendunt tua? Hùc amor , & preces ? Jeſum in agrum evocas , ut vineam exploret ? Eò trahis in ſolitudinem , ut pro vitibus excubet , vigiletque ? Nimirùm, diligimus Deum , ut commodis noſtris inſerviat. Advocamus eo tantùm nomine , ut per eum temporalia noſtra floreant uberiùs , & cumulatiùs fructificent. Quærimus Chriſtum, non ut eum colamus , ſed ut agros noſtros ipſe colat. *Videamus , ſi floruit vinea , ſi flores fructus parturiunt , ſi floruerunt mala punica.*

Ibid. 12.

Eccleſiaſtici bona temporalia in Chriſto nè quærant.

Nil præter Deum.

4 Jàm quid ſperandum ab imperfectis , ſi vel chariſsimæ Sponſæ amor viſus eſt claudicare ? Fruſtrà quis à turba rectum inceſſum requirat , quem vix in præſtantiſsimis hominibus inveniet. Sed tamèn videndum , quàm fœdè claudicans obſequatur Chriſto. Audi populos exclamantes , regnique coronam Domino meditantes. *Hic eſt verè Propheta , qui venturus eſt in mundum. Jeſus ergo , cùm cognoviſſet , quia venturi eſſent , ut raperent eum, & facerent eum regem , fugit in montem ipſe ſolus.* Joan. 6. 14. Ec quando hic populi fervor in obſequium Salvatoris exarſit ? Tunc , videlicèt , cùm paſtus eſt in eremo. *Ut autem impleti ſunt. Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum. Illi ergo homines , cùm vidiſſent, quod Jeſus fecerat ſignum , dicebant : Quia hic eſt verè Propheta.* Ibid. Audiſne ? Ut Ægyptum Nilus exundans , ſic Chriſtus ſignorum copiâ irrigaverat Palæſtinam. Claudis inceſſum , mortuis vitam , cæcis viſum, leproſis munditiem donarat. Rara eum tamen laus ſubſecuta eſt; aut ſi illi applauſit turba , non tamèn cohæſit. Verùm annonæ abundantiâ ſic multitudo commota ; ut non in laudes tantùm fuerit ſoluta , ſed in obſequium quóque & clientelam Salvatoris devincta. Prophetam dicunt. Cur? Quià paſcit. Regem cupiunt. Cur? Quià ſportulas implet. Proh dedecus ! Chriſto ad hæremus, ſub illoque militamus , non quia cæleſti nos verbo nutrit ; ſed quia fercula diſpenſat , & famen noſtram diſpellit. Haud Chriſti cultores ſumus , ſed furcones; ſi ideo volumus eum regnare ſuper nos , quia ſub illò panibus abundamus. Atqui minimè Salvatòri gratum id genus hominum , qui ſub ſpecie obſequij mercenarios agunt.

Joan. 6. 14.

Ibid.

Liberalitas facit principes.

Adulatio.

Chriſti ſequela ob pellendam famen.

Servi mercenarij Chriſto exoſi.

5 Hac ratione tunc aufugiſſe crediderim , obſequiumque populorum vitaſſe. *Cum cognoviſſet, quià venturi eſſent , ut raperent eum , & facerent eum regem , fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* Quid ? An verus non erat rex? Erat ſanè. An non cœleſtibus fuerat oraculis prænuntiatum , futurum ut ipſe regnaret in domo Jacob , & ſuper ſolium David ? Ecquæ opportunior occaſio obtinendi regnum ? Sanè occaſio caluò eſt occipite. Teneri non poteſt fugiens. Et ſi fervor obſequentis hic populi refrixerit, haud uſpiam conſilium de Fabri filio ad ſolium evehendo , revireſcet. Cùr erò honorem ſibi debitum reſpuit , amoremque obſequentis ſibi populi confundit ? Meritiſsimè. Etenim Prophetam acclamaſſe eum , regemque optaſſe , non amoris fuit obſequium , ſed gulæ pruritus. Regnum Dei non eſt eſca & potus , ut benè Paulus notat ; ubi enim eſca quæritur , aut metus famis cavetur ; ibi fames , aut eſca dominatur , non Deus. Hujus regnum eſt , ubi ipſe per ſe ſo-

Deus propter ſe ſolum quærendus.

Regnum Dei non eſt eſca, aut potus.

ſolum regit, propter ſe ſolum quæritur, & amatur. Abjecit ergo Dominus hos regni ſui deſignatores: quoniam non tàm honorem Chriſto, quam ſibi eſcas avidè procurabant.

Chriſtus per arduè ſequendus.

6 Non eſt arduum, Chriſto militare, cùm paſcit. Tùm dignè militares, quum inter adverſa obſequeteris animitùs. Quàm domui Obededom fortunatus Arcæ adventus! Quàm verò ſterilis domui David! Etenim illa irrigata cæleſtibus benedictionibus ob Tabernaculi hoſpitium. *Et habitavit arca in domo Obededom Gethæi tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* 2. Reg. 6. 11. Hæc verò nullis ob ſimile obſequium beneficijs ditata. Certè non legitur. Hoc tantùm habemus. *Abijt ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in Civitatem David cum gaudio.* Ibid. 12. Equidem id voluiſſe, ut ſibi arca benedictiones ſpargeret, ſicut & Obededomi, ipſomet teſte, comperimus. *Dixitque David: Ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam.* Atqui fraudatus eſt à deſiderio ſuo. Nam Obededom ditatus abundè: ipſe verò nullum penitùs incrementum ex arcæ præſentiâ obtinuit. Cùr tàm diſpar meſsis ex tàm ſimili cultura, ſivè cultu? Audi. *Nunciatum eſt David, quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam. Dixitque David: Ibo & reducam arcam cum benedictione in domum meam.* Tùm arcam David excipere in domum ſuam decrevit, cùm locupletantem audivit. Obededom autèm arcam ad ſe intulit, cùm in eam calcitrarent boves; ipſaque & labaret, & occideret ſe tangentes. *Calcitrabant boves, & declinaverunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contrà Ozam, & percuſsit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi juxtà arcam Dei.* Ibid. 6. David cadentem, occidentemque Tabernaculum à domo ſua eliminavit. *Quomodo ingredietur ad me arca Domini? Et noluit divertere ad ſe arcam Domini.* Ibid. 10. Obededom verò etiam inter diſcrimina & mortes ad ſe intulit, coluitque. Ergò ditatur Obededom, qui opprimentem arcam excepit. Non locupletatur David, qui ſolâ ſpe munerum & benedictionis allectus, præbuit hoſpitium arcæ. Illud quippè obſequium eſt Deo gratius, quod in ſpem remunerationis non claudicat. *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.*

2. Reg. 6. 11.

Obſequium Deo gratiùs inter adverſa.

Ibid. 12.

Deus amandus cùm deprimit.

Ibid. 6.

Ibid. 10.

7 Cæterùm in his levior eſt claudicatio. De illis loquamur, qui ex oculis alterum Chriſto, alterum ſuis cupiditatibus, mundanæque politicæ accommodare conantur. Cæterùm vani conatus. Neque enim, uno oculo in terram defixo, poſſumus alterum elevare in cælum. Ambos quippè neceſſe eſt in eundem ſcopum collimare. Vel terra nobis ſpectanda, vel cælum. Utrumque ſimul intueri, repugnans. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Nemo obſequi Deo, & mammonæ. Sed inſani homines ignibus aquas jungere, luci tenebras maritare præſumunt, dùm Chriſto mundum ſociare nituntur. Proh mentis perverſitas! *Accedens autèm Elias ad omnem populum ait: Uſquequò claudicatis in duas partes?* 3. Reg. 18. 21. Sanè nihil Deo tàm ingratum eſt, quàm admixta ſuperſtitioni religio. Hoc voluit Propheta dicere Iſraelitis, quod nos Hiſpani proverbialiter uſurpamus: *O buen Moro, ò buen Chriſtiano.* Aut purè paganus, aut purè Chriſtianus. Undè ſubdit ſtatim: *Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autèm Baal, ſequimini illum.* Nimirùm, minùs diſplicet Deo Idololatria ſola, quàm ſanctitas impietati adjuncta. Non tàm illi inviſa claudicatio in ſolam ſiniſtram, quàm in utramque partem vacillatio. Neutri quippè adhærent,

Servire duobus.

Politici claudicantes in duas partes.

Hæretici.

3. Reg. 18. 21.

Nil Deo execrabiliùs, quam virtuti ſimul & peccato famulari velle.

Ibid.

Qui duobus Dominis adhæret, neutri adhæret.

rent, qui in utramque declinant. Ideò Iſraëlitis conſulit Propheta, ut vel Dominum colant, vel Baal. Decem quippè Tribus Deum adorabant, & ſimul idola colebant. Et quamquàm idolis thus adhibere, ſit facinus execrabile; magis tamèn abominabile eſt Deo, quòd ſacros ipſi odores tetris idolorum fumis contaminet homo. *Uſquequò claudicatis in duas partes?*

Pœnitentia, & converſio non vera.

8 Quàm multos & videmus, & dolemus Iſraelitas inter Chriſtianos! Chriſtum adorant, ſed cum Baal. Et mundo, & Jeſu thus adolent. Cultores Dei ſe profitentur; ſed idola vanitatis ſecum retinere amant. Quis enim, vel quæ poſt pœnitentiæ lacrymas, poſtque amplexùm Jeſum in eucharistica menſa, mundanæ pompæ valedicit, carnis voluptatibus renuntiat, ambitioni non litat, mammonæ thura non offert? Clamo: *Ut quid claudicatis in duas partes?* Nullo enim modò ferre poteſt Deus fatale hoc fœdus pietatis & impietatis, virtutis & vitij, cæli & mundi. Vide, quo maximè ira Numinis concitetur. *Tuleruntque Philiſtiim arcam Dei: & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxtà Dagòn. Cumque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra antè arcam Domini.* 1. Reg. 5. 2. 3. Ita ne? Ad arcæ viciniam Dagon cadit, & frangitur, qui tot ſæculis in throno conſtiterat? Toleravit Dominus longiſsimam idoli venerationem: & non paſſus eſt brevi ſtare coràm tabernaculo? Ità. Quippè haüd tàm diſplicet Deo pura puta Idololatria, quàm permiſtio idololatriæ, & Religionis. Jeſus, qui purum acetum bibit, vinum cum felle, ſtatim ac guſtavit, bibere noluit. Epiſcopum Laodiciæ frigidum, aut calidum præoptabat; ſed quià tepidus erat, ſtomachum fecit ipſi. Non tàm illi amarum acetum ſolum quàm vinum non ſincerum. Et qui frigidos deglutit, vomit tepeſcentes. Ideò qui patienter tulit diù adorari monſtrum ſe junctum ab arca, ut vidit iuxtà ſe poſitum, protinùs deturbavit, atque diſcuſsit. *Ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini.*

Servire Deo tantum.

Pietas, & impietas inſociabiles.

1. Reg. 5. 2. 3.

Arca Dei non patitur cum idolis familiaritatem.

Tepiditas Deo abominabilis.

9 Hinc maiore furore Dominus concitatus in Samariam, ſeu regnum Iſraël, quàm in Jeruſalem, ſeu regnum Juda, iuxta illud Oſeæ. 1. 6. 7. *Non addam ultra miſereri domui Iſrael; ſed oblivione obliviſcar eorum: & domui Juda miſerebor, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo.* Atquì graviùs Juda, quàm Samaria deliquit, ipſomet Deo teſtante, qui ait per Ezechielem 16. 51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit.* Cur ergò graviores pœnas luit, quæ minus peccavit? An propter ſanctitatem quorumdam regum Juda mitiùs à Deo actum cum hoc regno? Ità exiſtimat Rupertus. An ideò, quia Chriſtum edidit Salvatorem, Deus erga Judam ſe clementiorem exhibuit? Ità nonnulli cenſent. Dico ad propoſitum convenientiùs; ideò graviùs, & ſeveriùs à Deo Samariam fuiſſe punitam; quòd in utrumque latus ſe vertens, & Deum ſimul, & diabolum venerabatur, quod apertè teſtatur Liber Regum 4. 17. 33. *Et cùm Deum colerent, dijs quòque ſuis ſerviebant juxta conſuetudinem Gentium.* Deus autèm tolerabiliorem judicat infidelem ex toto, quàm ex parte fidelem, & ex parte ſuperſtitioſum.

Deus mitius agit cum infideli, quàm cùm fideli diviſo.

Oſeæ 1. 6. 7.

Ezech. 16. 51.

Sanctitas regum temperat iram Dei.

Peccatores ob Chriſtum clementiùs puniuntur.

4. Reg. 17. 33.

10 Similis eſt illa Dei comminatio: *Diſperdam eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Sophon. 1. 5. Hoc eſt; qui Deum verum Iſraelis, & falſum idolum Ammonitarum pari cultu, & religione venerantur. Haüd tàm iratum ſe oſtendit contrà ſimplices cultores Melchom, quàm contrà miſcentes

Sophon 1. 5.

Semi Chriſtiani Deo valdè exoſi.

venerationem ſui, & idolorum: quippè minùs dolet Deus rapinam ſui honoris, quàm quod iſte pollaatur fœdâ communicatione deiculi. *Diſperdam eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Er ɔo vel jurà in Melchom, vel jura in Domino. Profectò, quando de fide agitur, vel vitiorum virtutumque certamen eſt, locum habet lex Solonis, damnans neutrales. Palàm verò eſt, cui parti vir pius, & bonus debeat adhærere. Sed Deus partitos execratur honores. Aut nullum, aut totum & integrum requirit affectum: & potius patitur totum à diabolo ſurripi, quam ſibi vel partem adimi.

Solonis lex contrà neutrales.

Aut nullum, aut totum Deus requirit affectum.

11 Mira ſanè fuit indignatio Domini contrà Regem Saul. Illâ quippè commotus, Imperio eum privare decrevit. Rem totam apùd Regum libros habes deſcriptam. Ex præcepto Domini pugnavit Saül contrà Amalec; juſſus autem univerſa delere, pepercit Agag regi, & melioribus jumentis, rebuſque pretioſis: vilia tantùm, & abjecta demolitus. *Et peperciț Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & univerſis, quæ pulcra erant, nèc voluerunt diſperdere ea: quidquid verò vile fuit, & reprobum, hoc demoliti ſunt.* 1. Reg. 15. 9. Quid tunc Deus? Incredibile dictù eſt, quantas conceperit iras. Vehementiſsima ſunt illa verba: *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul regem.* Ibid. Revocavit illico ſceptrum Sauli donatum. *Projecit te Dominùs, ne ſis rex ſuper Iſrael.* Quodque magis demirere, nèc Samuelis precibus, & luctu, nèc ipſius Saulis pœnitentia, ſeu peccati confeſsione commotus, duram ſententiam revocavit. *Uſque quò tu luges Saul, cum ego projecerim eum.* Ibid. 16. 1. Quin poſt multos deindè annos cum nova huic peccato Saül ſcelera addidiſſet, de nullo alio fuit à mortuo Samuele reprehenſus, niſi de ſervato Amalecitarum rege, & pretioſiſsimis ejus ſpolijs. *Quià non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec: idcircò, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* 1. Regum 28. 18.

Reprobatio Saulis.

1. Reg. 15. 9.

Deus nobis eſt vilis.

Ibid. 11.

Ibid. 16. 1.

1. Reg. 28. 18.

12 Undè tantæ animis cęleſtibus iræ? Tanti né fuit, regi Amalecitarum parcere? Dices, avarum eum fuiſſe, inobedientem, Deique iniquum ęſtimatorem, cui pejora obtulit, ſibi melioribus reſervatis. Sed numquid graviùs peccavit Saul, regi Amalecitarum parcens, quàm Davidem perſequens odio pluſquam Vatiniano? An non humanum eſt, Principis vitam ſervare; ſicut brutale, ac ferinum optimô duci procurare mortem? Quid ergo eſt, quòd tanti ſceleris immemor Samuel, illud tantùm exprobravit Saüli, quòd temperatior fuit in Amalec? *Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec: id circò, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.* Quià, videlicèt, quum lethali odio proſequutus eſt Davidem, pede utrôque in impietatem corruit. Cum vero pepercit Agag; & in Deum declinavit, & Mundum: partitô namque affectu in utrumque; & Domino, partem ſpoliorum delendo, ſacravit; & ſibi partem procurando, ſervavit. Et minùs irritat Deum prava ex integro voluntas, quàm partitum, & dimidiatum obſequium. *Projecit te Dominus, nè ſis rex ſuper Iſrael.*

Avaritia Inobedientia. Dei contemptus.

Clementia impia.

Amor ſui.

Dimidiata obedientia Deo inviſa.

13 Jam non mirum, ſi fœdiſsimis notis claudicantes in lege Domini Regius Pſaltes aſpergit, quùm inquit: *Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* Pſalm. 17. 49. Apùd Deum filij alieni ſunt, qui claüdicant. Atqui non tàm dedignavit Dominus vel ingratiſsimos filios, de quorum tamèn contemptu amarè queritur, cùm inquit: *Filios enu-*

Pſal. 17. 49.

Clandicantes Deus reputat alienos.

Iſai. 1. 2.

enutrivi , & exaltavi , ipſi autèm ſpreverunt me. Iſai. 1. 2. Filios dixit ; ſed non dixit alienos. Quinimò crucifigentem ſe populum dulci appellatione vocat ſuum : *Populе meus , quid feci tibi , aùt quid moleſtus fui?* Ergo contumelioſo nomine inuritur claudicatio , quod neque ſummæ ingratitudini , neque vel ipſi Deicidio appingitur. Quippè quamvis tàm filios ſpernentes Dominum , quàm populum occidentem , totos poſsidebat iniquitas ; claudicantes verò partim ſub Deo , partim ſub vitio militabant. Et qui ex toto improbi ſunt , & ſceleſti , non tàm alieni reputantur à Deo , quàm qui partim ipſum colunt , partim negligunt. *Filij alieni mentiti ſunt mihi , filij alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis.*

Claudicantes præ omnibus infelices.

14 Vel dicito : Non filios contemptores ſui , non itèm populum Deicidam , tamquàm alienos reputari à Domino ; benè verò claudicantes in lege. Profectò tàm illi , quàm iſti alienati à Deo fuere. Sed maior erat ſpes , ut illi in obſequium Dei redirent , quàm ut iſti rectam ſemitam aliquando tentarent. Facilius quippè peſsimos peccatores ad Chriſti vexilla revocabis , quàm neutrales. Maior ſanè peccator præ Phariſæo Publicanus fuerat. Verùm iſte præ illo iuſtificatus in templo. Publicanus quippè à via Domini penitùs aberraverat. Phariſæus autèm utròque claudicabat pede: nàm & bonis operibus inſiſtebat , & ſimùl vanæ gloriæ litabat. Væ , væ claudicantibus in lege Domini ! Hos tantùm inter filios ſuos cæleſtis ille Pater dedignatur agnoſcere. *Filij alieni mentiti ſunt mihi , filij alieni inveterati ſunt , & claudicaverunt à ſemitis ſuis.*

Semi bonorum rara converſio.

Ex peſsimis fiunt optimi.

Publicanus & Phariſæus.

15 Diſplicent itaque , diſplicent quàm maximè Deo illi homines , qui in varios affectus dividuntur. Unde è contrario ſummoperè illi placuit Sponſa, quòd non diviſa , nec claudicans oculo. Hùc ſpectat illud encomium : *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa , vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant. 4. 9. Cùr in uno tantum? An quià diſplicebat alter ? Verum ſcimus , utrumque Dilectæ oculum à Sponſo ob miram pulcritudinem commendatum. *Oculi tui columbarum , abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Ibid. 1. An , quòd unicò lumine tacti, plus ardere ſolent amantes ? Etenim honeſtiorem pulcritudinem magis ſtimulare , docet Nonnus *Dioniſiac.* lib. 42.

Virgo inſtabilem oculum obſervans Bacchi,
Veſtimento ſplendentem ſuam abſcondit genam,
Et magis combuſit Bacchum, quòd famuli amorum
Verecundas quò magis intuentur mulieres,
Etiam eò plus amant abſcondita facie.

Solemne fuit feminis Orientalibus honeſtatis cauſa , & ne facilè à viris videri poſſent , faciem ità contegere ; ut uno oculo liberato , contentæ fuerint dimidia frui luce. Quem morem honeſtum meretrices poſteà ad irritamenta libidinis tranſtulere; adeò quòd , ut ab his matronæ Romanæ diſtinguerentur , coactæ fuerint totum revelare vultum. De quibus idcircò Horatius lib. 1. *Sat.* 2.

Matronæ præter faciem nil cernere poſsis.

Floridè ergò , quòd ex dimidiato lumine Sponſæ plus cæleſtis Amaſius incaluerit , *vulneraſti cor meum* , inquit , *in uno oculorum tuorum.*

16 Video , hanc expoſitionem placere haùd infimę notæ viris. Sed non facilè mihi perſuaſerim , unum dumtaxat oculum , dimidiatamque faciem dilectiſsimo Sponſo feminarum chariſsimam permiſiſſe. Priùs certè ambos ipſe & perſpexerat,

Unitas Deo grata.

Cant. 4. 9.

Ibid. 1.

Unus oculus magis inflammat.

Feminarum honeſtas magis acuit amorem.

Nonus.

Partem oris velare ; an pudicarum , an meretricum?

Horat.

Unus oculus ad unum Deum.

&

& dilaudaverat oculos, totamque faciem. *Quàm pulcra eſt amica mea, quàm pulcra eſt! Oculi tui columbarum.* Ibid. Quin & infrà raptum ab utroque oculo ſe fatetur, cum ait: *Averte oculos tuos, quià ipſi me avolare fecerunt.* Cant. 6. 4. Quid ergo eſt, quòd cùm ambos oculos ipſe aſpexerit, in uno tantùm ſe vulneratum clamat? *Vulneraſti me in uno oculorum?* Quid eſt, in *uno*? Breviter, & expeditè. In unitate. Nullum habuit Sponſa oculum, quo res humanas intueretur. Utriuſque acumen ad ſolam illam Sponſi pulcritudinem contemplandam direxit. Hac unitate vulneravit Dilectum. Tunc quippè maximè capitur oculis, cum unus videntur, quamvis ſint duo.

Cant. 6. 4.

Unum pro unitate.

Unio.

Concordia fratrum.

17 Hinc illud Domini præceptum: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs te. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Matth. 18. 8. 9. Numquid non duos pedes, geminaſque manus, binos etiam oculos habemus? An non ab utriſque horum membrorum ſcandalum pati poſſumus? Numquid non utróque pede labimur in perditionem; utraque manu avaritiam ſectamur; atque oculo utróque carnis irritamenta combibimus? Cùr ergò Dominus pedem dixit, manum, & oculum; non verò, pedes, manus, & oculos? Voluit nè nos monitos, ſic bina hæc membra geſtare debere, quaſi unum ſolum haberemus? Ita. Qui enim Deo ſervire ſtudent, unum tantùm oculum, manum, ac pedem habere dicuntur; quià nullam ſui corporis partem reliquam habent, quam in diaboli, mundique obſequium impendant. Non pede claudicant, non manu, non oculo. Toti laborant æternitati. Junctis pedibus gradiuntur in cælum, utráque manu amplectuntur Jeſum, & ambobus oculis tendunt in Deum.

Matth. 18. 8. 9.

Qui Deo ſerviunt, unicum habent oculum, manum, pedemque.

DISSERTATIO IX.

UT ALIENO SERVIAMUS oculo, laboramus impigrè.

1 OCuli ambulare dicuntur, proindè quòd nos ambulare faciunt. Moventur pedes ad oculorum nutum: & ſiquidèm vanus eſt oculus, vanus eſt ſimiliter & inceſſus. Ut pompaticum filiarum Sion inceſſum notaret Propheta, contentus fuit dicere, quod *nutibus oculorum ibant.* Iſai. 3. 16. Benè ire nutibus ſunt dictæ. Quià, quòd pedibus gradiendo ſuperbirent, ab unâ extollentiâ oculorum habebant. Tanta eſt ſuprà pedes oculorum vis, & efficatia. Haüd tantâ facilitate molli ceræ ſigillum imprimitur, quantâ affectiones luminum pedes excipiunt. Modeſti oculi modeſtum faciunt inceſſum, laſcivi petulantem, ſuperbi ſuperbum. Adeò totus homo imperio oculorum ſubjacet. *Nutibus oculorum ibant.*

Oculorum imperium ſupra pedes.

Iſai. 3. 16.

2 Et putas, proprijs tantum oculis hominem ſubjacére? Felicior ſanè eſſet, ſi ſuis tantùm luminibus deſerviret. Sed proh dolor! Alienis etiam oculis ſtultè nimis obſequimur. Profectò non fruſtrà clamat Apoſtolus, cupiens nos ab hac infami ſervitute liberàre: *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes.* Coloſſ. 3. 22. En ubi dehortamur oculis alienis inſervire. Quid enim? Nonnè penè Phariſæorum univerſa farrago ſerviebat oculo alieno? Nam cùr illi jejunabant, facieſque deprimebant ſuas, niſi ut viderentur hominibus jejunantes? Cùr præmiſſo tibicine, nummos erogabant in turbas, niſi ut, ſonante tuba, ſpectatores adſciſcerent? *Omnia opera ſua faciunt,* aje-

Gloriæ vanæ ſtudium.

Coloſſ. 3. 22.

Hominibus non placendum. Hypocritæ.

Matth. 23. 5.

ajebat Dominus, *ut videantur ab hominibus.* Matth. 23. 5. Et quid tàm frequenter Chriſtus ingeminat in Evangelio, quàm ne opera devoveamus oculis hominum? Immoremur paululum, ut ſalutarem Domini ſermonem melius capere poſsimus.

Bona opera occultanda.

Matth. 6. 1.

3 Igitur primò de juſtitia in genere differens, attentos nos reddit, nè in Syrtim humani luminis incidamus. *Attendite, nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Matth. 6. 1. Deindè jubet ſilere tubam, cùm eſt pauperibus ſubveniendum; nè oſtentatione miſericordiæ inanem gloriam captemus. *Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tubà canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus.* Ibid. 2. Tum orantibus quærere latibula docet, fugere angulos platearum, atque populorum vitare conciones; nè dum ſpectantium oculis patent, pereant. *Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Tu autèm cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* Ibid. 5. 6. Monet poſtremò, ut, ſub jucunditate vultûs jejunia diſsimulemus noſtra; nè humanis ea oculis proſtituamus incauti. *Tu autem, cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava; nè videaris hominibus jejunans.* Ibid. 17.

Eleemoſyna non jactanda.

Ibid. 2.

Oratio in abſcondito.

Ibid. 5. 6.

Jejunia diſsimulanda.

Ibid. 17.

4 Vides quanta ſolicitudine Dominus curavit, nè opera noſtra hominum aſpectui paterent? Adeonè ſunt oculi pertimeſcendi? Aio. Nullum enim membrorum in ſui obſequium ſic hominem pertrahit, ut oculus. Cunctis violentior eſt, impudentior, iniquior. Hoc arbitror voluiſſe Zachariam ſignificare, cùm dixit: *Domini eſt oculus hominis.* cap. 9. 1. Oculus? Non etiam lingua, pes, manus, auris, & reliqui ſenſus omnes? Equidèm verum eſſe non nequit, quod Job fatetur 10. 8. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu.* Cùr ergo Deum Zacharias tàm ſignatè oculi Dominum prædicat, qui ſimilitèr omnium ſenſuum conditor eſt? Quid opus fuit, Dei dominium ſuprà oculum ſpecialiter denotare? Quià, nimirùm, præ cæteris violentior, & iniquior humanis mentibus latiſsimè dominatur. Nam quotus quiſque eſt, qui non ſerviat oculo? Non quidem jejunans, non orans, non illacrymans, non pœnitens, non miſericors, non liberalis, non denique juſtus. Rarus quippè eſt, qui, dùm bona opera exercet, ſpectatore non gaudeat. Vidit ergo Prophetà ferè hominum genus huic tyranno militare & exclamavit, dicens: *Domini eſt oculus hominis.* Quaſi diceret: ſoli Deo honor, & gloria. Nolite ſervire oculo: quippe quamvis longè, latèque dominari videatur, nequaquam dominus ipſe eſt; ſed, ut ſenſus reliqui, Domini quoquè ſervus. *Domini eſt oculus hominis.*

Deo ſerviendum hilaritèr.

Oculorum tyrannis.

Zach. 9. 1.

Job. 10. 8.

Gloria vana latiſsimè dominatur.

5 Pudeat nos viliſsimæ ſervitutis. Pudeat nos noſtræ juſtitiæ; ſi ideo boni ſumus, quòd ſpectatoribus non caremus. Sed profectò inanis probatur virtus, quam oculi humani extorquent. Tamdiù quippè durat, quamdiù eam oculus fovet: eo verò abſente, evaneſcit illicò. Talis notatur virtus, & Religio funeſti illius Regis Jeroſolymorum Joas, 4. Reg. 12. 2. *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Joiada ſacerdos.* Quid verò poſtea? Adi Paralipomenon 24. 17. *Poſtquam autèm obijt Joiada, ingreſſi ſunt principes Juda, & adoraverunt regem; qui delinitus obſequijs eorum, acquievit eis. Et derelinquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis, & ſculptilibus.* Tam

Virtus non ſolida, quæ oculis ſervit.

4. Reg. 12. 2.

2. Paral. 24. 17.

repentè ex optimo evaſit peſsimus, ex religioſiſsimoque principe ſuperſtitioſiſsimus idolorum cultor? Dices, hanc monſtruoſam metamorphoſin fuiſſe adulationis aburſum. Nulla enim efficacior peſtis ad principum animos corrumpendos, quam palpum. Joas rex ille, qui vero Deo templum inſtauraverat, delinitus blanditijs idololatrarum, infeliciter antè nigra Numina corruit. *Delinitus obſequijs eorum, acquievit eis.* Nimirum, draconis cauda de cælo in tartara devolvuntur ſtellæ. Blandiente dæmone, ſidera cadunt.

Adulatio peſtis regum.

Adulatio cavenda perfectis.

6 Conſideratio non ſpernenda; ſed alio collimat oratio. Mirabaris, quòd eximius Dei cultor Joas inani ſolùm verborum palpo delinitus, ad idololatriæ partes tranſugerit? Mirabaris, ex optimo peſsimum repente factum? Mirari deſine. Talis enim conſuevit eſſe virtus, quæ ſub ſpectantium oculis adoleſcit. Flos eſt, quæ cum ſole oritur, & cum eodem occidit. Fœnum eſt, quod ſine luce non floret. Intereunte Joiada, religio quòque Joas, atque juſtitia prorſus interijt. Abijt cum abeunte oculo preceptoris: evanida quippè eſt juſtitia illa, quam ſolus præceptoris, & vindicis oculus extorquet. *Fecitque Joas rectum coràm Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Joiada ſacerdos. Poſtquam autèm obijt Joiada: Derelinquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis, & ſculptilibus.*

Præceptorum, & prælatorum præſentia.

7 Sanè virtus ſolida videri nègligit, latibulis gaudet. Quid pretioſius auro? Et illud in montium viſceribus procul à luce concreſcit. Adamante quid ſolidius? Et ille intrà obſcuras rupium cavitates induratur. Gemmâ quid præſtantius? Et illa in arcto ſepulcro generatur. Mihi crede: pictura eſt, quæ ſine luce nihil eſt: & umbra virtutum, quæ in tenebris dignoſci non poteſt. Hôc vera virtus à mentita differt, quò verus homo diſsidet à picto. Hic quidquid eſt, habet à luce; ille verò & in umbris vivere, & operari non deſinit. Audi cæleſtem Sponſam Cant. 31. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima.* Quid eſt per noctes quærere? Cur Dei amatrix ferventiſsima nocturnas ſuas ſolicitudines pro dilecto meminit potiſsimùm? Cur non magis expoſuit & dierum, & noctium curas? An non etiam illum per dies quæſivit? Quæſivit abſdubio. Etenim vox quòque eiuſdem fuit: *Indica mihi, quem diligit anima, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* Sed enim feminarum ſanctiſsima id, quod eſt in virtute præſtantius, ſe præſtitiſſe gloriatur, dùm non ſuas pro Sponſo diurnas curas, ſed nocturnas dumtaxàt commemorat. Suſpecta namque virtus eſt, ſub ſole quærere Deum. Namque amor eximius, etiam in tenebris illum requirere novit. Facile boni ſumus, ubi poſſumus ab hominibus videri. Verùm dificile eſt, in tenebris, & in lectulo, ubi à ſolo Deo ſpectamur, à ſanctis operibus non ceſſare. Quis enim Deo tantùm ſpectatore contentus eſt? Una Sponſa inventa eſt, quæ operta tenebris, Deum requireret. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea.*

Falſa virtus ſimilis picturæ.

Cant. 31.

oratio ſecreta ſit.

Amor verus.

8 Probatio virtutis tenebræ ſunt. His aurum ab aurichalco diſtinguitur, vera virtus à falſa. Ita ſentit Eliu apud Jobum cap. 34. 25. ubi de improbis loquens, ait: *Novit* Deus *opera eorum; & ideò inducet noctem, & conterentur.* Cur noctem potiùs, quàm diem inducet ad exploranda impiorum opera? Numquid non eorum vanitas clariùs patêret ad ſolem? Et cur non comminuentur æquè benè dierum lumine, ac tenebris noctium? Quid ergo præ die nox peculiare habet; ut in ipſa potiùs,

Virtus probatur in tenebris.

Job. 34. 25.

Virtus occulta ſolidior.

Hypocriſis.

tiùs, quàm in illo impiorum opera conterantur? Nimirum, nox eſt, quæ veras virtutes diſcernit à falſis. Falſa virtus ſolùm in die ambulat, ſinè luce diſſipatur. Vera juſtitia etiam in noctibus perſeverat. Vix, dùm Sol ſplendet, Phariſęum ab Apoſtolo diſtingues. Jejunat Apoſtolus, ſimiliter & Phariſæus. Orat ille, orat & iſte. Eleemoſynas ille facit, erogat iſte nummos in pauperes. Verùm, quos dies confundit, nox certè diſtinguit: Phariſæus namquè, utpote vanæ gloriæ captator, his operibus vacat per diem, à quibus omnino abſtinet per noctem. Apoſtolus autem, ut potè ſoli Deo placere ſtudens, & die, & nocte, ſemper ſibi conſtans, operari juſtitiam non ceſſat. Sapientiſsimè itàque Dominus, cui nullum ſecretum latet, noctem ſuper impios induxit, ut tenebrarum examine probaret, nihil ſoliditatis eorum operibus ineſſe, quamquam ſub ſole poſita aliquid firmitatis præſeferre videbantur. *Novit opera eorum, & ideò inducet noctem, & conterentur.*

Falſa virtus ſinè luce non ambulat.

Non dies, ſed nox juſtum ab injuſto diſcernit.

9 Prodigium planè eſt, quod rerum occulta obſcurentur in lumine, & clareſcant in tenebris. Verùm hoc prodigium frequentius omnibus eſt. Adi hypocritarum aulas: Invenies huius prodigij artifices peritiſsimos. Invenies, inquàm, per diem Catones; ſed Nerones per noctes. Sub luce modeſtos; ſub tenebris luxuriantes. Coràm ſole abſtemios; coràm aſtris ebrios. Jejùnantes ab ortu ſolis uſque ad occaſum; ſed ventri deditos ab ocaſu ad ortum. Sua diſtribuentes miſericorditer per diem; ſed aliena rapientes impijſsimè per noctem. Orationi vacantes, dùm cæli lumen ſplendet; ſed ſomnio torpentes, dùm graſſantur umbræ. Vides, ut nox detegit, quos dies abſcondit? Non mirum proindè, ſi Deus tenebras advocavit, ut opera Hypocritarum diſcuteret.

Hypocritarum technæ.

10 Chriſti Domini jejunium ità Evangeliſta refert. *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Matth. 4. 2. Sed quid neceſſe fuit, noctes etiam deſcribere? Nam profectò nomine diei noctem quòque deſignari, ſatis aparet ex capite 1. Geneſeos, ubi numerantur dies, nulla noctium expreſsione facta; quamquam iam à creatione Solis, & Lunæ diviſio eſſet dies inter & noctes. Leges ibi factos dies; ſed non leges factas noctes: quoniàm ſub nomine dierum ſignificantur & noctes. Cur ergo Evangeliſta diebus jejunij Salvatoris noctes adjecit? Et nè putes, hanc expreſsionem vacare myſterio; non ſolùm Matthæus, quod ipſum erat ſatis, ſed etiàm Moyſes, de ſuo jejunio mentionem faciens, ſimiliter eſt loquutus. *Perſeveravi in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non manducans, & aquam non bibens.* Deutoron. 9. 9. Jiſdem verbis & Author libri Regum Eliæ jejunium ſcripſit. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. 8. Non itaque exiſtimare debemus fuiſſe otiosè poſitum, quòd in Sacra Pagina totiès repetitur.

Matth. 4. 2.

Cur noctes in Chriſti jejunio notantur. Nomine dierum noctes quoque ſignificantur.

Deuter. 9. 9.

3. Reg. 19. 8.

11 Quid ergo hic latet myſterij? Dicam, quod ſentio. Ideò in Chriſti jejunio noctes quòque fuiſſe commemoratas, ut doceremur, eum non Judæorum morè jejunaſſe, ſed perfectiore ritu. Judæi quippè nihil per diem cibi, potuſve ſumentes, noctu pro libitò veſcebantur; quod patet cùm ex alijs, tùm ex libro Judicum cap. 20. 26. ubi de univerſo Iſraelitarum populo jejunante dicitur: *Omnes filij Iſrael venerunt in domum Dei, & flentes ſedebant coràm Domino; jejunaveruntque die illo uſque ad veſperam.* Populus ergo eſt qui jejunat per diem; Chriſtus autem, & eximiæ ſanctitatis viri jejunant etiam per noctem. Illi dùm lux micat, & videri poſſunt. Iſti dùm tenebræ adſunt, & ſpectari nequeunt. Si diem conſide-

Judæorum jejunium quale.

Judic. 20. 26.

res;

res ; æqualis fuit vulgus Judeorum cum Chriſto , Moyſe , & Elia. Si verò noctes explores, invenies toto cælo diverſos. *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus , & quadraginta noctibus.*

Chriſtus non damnavit publica opera virtutum.

12 Dicat aliquis , videri à me damnari publica jejunia , publicam orationem , publicam eleemoſynam , atque in univerſum publica quæcumque opera. Si quis hac cogitatione premitur, reſpondeat , quęſo: Num Chriſtus publicam orationem abrogaverit ; cùm ad orandùm diſcipulos ſuos inſtruens , *cum oraveris* inquit , *intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito , & Pater tuus , qui videt in abſcondito , reddet tibi.* Matth. 6. 6. Dicat ; num publicam eleemoſynam damnarit , cùm dixit : *Te autem faciente eleemoſynam , neſciat ſiniſtra tua , quid faciat dextera tua.* Ibid. 3. Reſpondeat ; num publica jejunia reprobaverit , cum hoc monitum dedit : *Ne videaris hominibus jejunans , ſed Patri tuo , qui eſt in abſcondito : & Pater tuus , qui eſt in abſcondito , reddet tibi.* Ibid. 18. Num denique omnia prorſùs bona opera deleverit illo documento : *Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Ibid. 1. Haüd ergo Dominus publica virtutum exercitia reprehendit ; ſed tantùm monet , ut ex publicis factis , laudes hominum non quæramus ; ſicque opus fiat in publico , ut tamèn intentio ſoli Deo placendi maneat in oculto.

Matth6'. 6.

Ibid. 3.

Ibid. 18.

Ibid. 1.

Intentio occulta.

13 Verùm hoc opus , hic labòr eſt. Unuſquiſque noſtrum ſtudet humanis oculis juſtus videri , rarus divinis. Ideóque multi in publico boni , perpauci in occulto. Cui enim Deus ſolus Theatrum eſt ? Unus Tobias inventus eſt, qui clàm , poſt ſolis occaſum, occiſos ſepulturæ mandaret. Unus Eſdras , cujus ea vox : *Afligeremur coràm Domino Deo noſtro.* 1. Eſdr. 8. 21. Scilicet , perrarum eſt , & infrequens , non hominibus , ac gloriæ , ſed Deo tantùm noſtras mortificationes litare. Citó enim pallor in vaporem abijt. Corpuſque atteritur, ut mens turgeat. Stulti ; ut alijs placeamus , nobis ſumus moleſti. Pane non veſcimur ; ut aurâ veſcamur. Lupique eſſe deſinimus, ut in chamaleontes trasformemur. Diſpendioſæ ſanè nundinæ in queis triticum vento commutatur. O dementiam! Coram hominibus multi multa patiuntur; coràm Deo , vix eſt , qui leviſſima ſuſtineat. O male poſitos labores!

1. Eſd. 8. 21.

Mortificatio ob vanam gloriam.

14 Quàm diù pro Labano alſit , arſitque in agro Iacob? Narret ipſe labores ſuos. *Die noctuque æſtu urebar , & gelu , fugiebatque ſomnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua ſervivi tibi.* Gen. 31. 40. Et quid tandem pro ſummis moleſtijs , & ærumnis accepit mercedis ? Fraudes , & fraudes , iniurias , & injurias ; qualeſque ſocer avarus laborioſo generi conſuevit inferre. Sic eius patientiâ abuſus eſt Laban ; ut veluti mancipium potiùs, quàm ut ex ſorore nepotem , aut filiarum ſuarum maritum haberet. Benè ipſe de fraudolento ſocero conqueritur. *Immutaſti quòque mercedem meam decem vicibus. Niſi timor patris mei Abraham , & timor Iſaac affuiſſet mihi , forſitàm modò nudum me dimiſiſſes.* Ibid. 41. Quid porrò Deus ? Vix unâ nocte pro eo cubavit Jacob , & muneribus ſtatim, ſideribuſque ditavit. *Viditque in ſomnis ſcalam. Dilataveris ad orientem , & occidentem.* Gen. 28. 11. Vidè , quam vanus iuxta , & iniquus dominus ſit mundus ; qui pro illo laborantes, algentes,æſtuantes, luctantes nullô premio afficere dignetur , vacuoſque ac nudos dimittat ; cùm è contrà Deus militibus ſuis excubet , ſpecteturque viciſsim , & ſpectet , ut vel primum in arenam deſcenſum illis gratuletur , & coronet ?

Gen. 31. 40.

Servire mundo infelix.

Soceri avari generibus moleſti.

Ibid. 41.

Geneſ. 28. 11.

15 Et quid eſt , quòd toties à ſocero Jacob illuſſus , famulatum tamèn duriſsimum haüd ſubter-

Hominibus non velle placere arduum.

terfugere decrevit, donec illius vultum immutatum, ſibique minùs placidum ſubnotavit? *Animadvertit quòque faciem Laban, quòd non eſſet erga ſe, ſicùt heri & nudius tertius.* Geneſ. 31. 2. Quoque magis ſtupeas, id jam fuerat ipſi à Domino imperatum, ut nimirum, domo Labani relictâ, in Chananæorum regionem remearet ad ſuos. *Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam eroque tecum.* Itanè? Iuſſus à Domino ut diſcedat, Labani faciem attendit? *Animadvertit quòque faciem Laban.* Cur hominis faciem explorat, cùm Domini præceptum urget? Cùr non ſtatim poſt cæleſte monitum, maturat diſceſſum, fugamque arripit, oris Labanici geſtu penitùs neglecto? *Animadvertit quòque faciem Laban, quòd non eſſet erga ſe, ſicùt heri & nudius tertius.* Et hoc tandem commovetur Patriarcha Sanctiſsimus? Quid ſi ſoceri faciem non ſubiratam, ſed hilarem ſibi, quemadmodum priùs animadvertiſſet? Scimus potiſsimam cauſam diſceſſus Jacobi fuiſſe Domini præceptum. Id enim habemus expreſſum in Textu: maximè dicente ſibi Domino: *Revertere in terram patrum tuorum.* Sed & ſimiliter conſtat, ſoceri domum haùd deſeruiſſe eum, donèc illius vultus iniquitatem agnovit. Tanta, nimirum, eſt oculorum Tyrannis ſuprà hominum mentes; ut vix, niſi ab ipſis ſpreti, Domini imperium ſequantur vel juſti. Quandiù Labani oculis ſe Jacob placêre vidit, reditum in patriam diſtulit. Tunc verò feſtinavit iter, cùm inviſum Labano ſe cognovit. Uſque adeò violentiâ oculorum trahimur; ut neceſſe habeat Dominus ipſe, inviſos nos reddere mundo, ut hunc penitus deſpicientes, cæleſtem in patriam omni feſtinatione properemus. Ut Deum non ſequamur, oculis detinemur humanis. Caveamus ergo oculos ſpectantium, ut facilius promptiuſque uni Deo ſervire valeamus.

Geneſ. 31. 2.

Ibid. 3.

Vocatus à Deo nihil præter ipſum attendat.

Sanctam vocationem oculi retardant.

Tribulatio ducit ad Deum.

Ibid. 3.

Vix cælũ amamus niſi à mũdo ſpreti.

DISSERTATIO X.

QUALES OCULI tales, & pedes.

1 VIdere hoc licet in filiabus Sion, quarum hæc nota: *Nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Iſai. 3. 16. Vana vanis conſonant. Reſpondet inſolentia pedum procacitati oculorum. Quæ lumina prava geſtant, eædem improbos quòque greſſus habere dicuntur. Oculorum quippè mores, neſcio quo pondere, derivantur in pedes. Unde vix queunt iſti rectè incedere, ubi immodicus aſpectus eſt illis. Hinc ſummâ verborum proprietate, inceſſum, qui peculiaris pedibus eſſe noſcitur, oculis quòque frequenter tributum legimus: *Nutibus oculorum ibant*; quoniàm qualis eſt oculorum aſpectus, talis conſuevit eſſe tibiarum proceſſus.

Iſai. 3. 16.

Quales oculi tales pedes.

2 Verùm quid dicere volo? Haud obſcura eſt allegoria iſthæc. Evolvam tamèn. Per oculos deſignari Prælatos, & Superiores quoſque; per pedes autèm ſubditos, & inferiores, clarior intelligentia eſt, quàm ut multa luce indigeat. An non idæa Prælatorum oculi, qui in ſede nobiliſsimâ, & elevatiſsimâ corporis humani conſtituti, nocturnos, diuturnoſque noſtrorum negotiorum exploratores agunt, de longinquo noxia, & profutura ſpeculantes? An non figura Subditorum pedes, qui in infimo loco poſiti, totius corporis onera ſubire coguntur? Igitur quales oculi, tales pedes: quià qualis eſt Prælatorum vita, talis conſuevit eſſe Subditorum inceſſus. In promptu eſt illa Eccleſiaſti gnoma: *Secundum judicem populi,*

Oculi Prælatorum ſymbolum; pedes ſubditorum.

Superiorum exempla.

Eccli. 10. 2.

ſic & miniſtri ejus, & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. Eccli. 10. 2. Ad principis mores, & vitam, quaſi normam, & exemplum conformant ſe cives, & ſubditi. Vulgatiſsima eſt Claudiani ſententia, *Paneg.* de 4. conſ. *Honor.* Verſ. 299.

Claud.

——— ——— *Componitur orbis*
Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Verrin.

In eamdem ſententiam Michael Verrinus in Diſtic.

Si ſtudia & mores populi cognoſcere cupis,
Res facilis: vitam principis inſpicies.

Mala ſuperiorum exempla nocentiſsima.

3 Nulla ſanè jactura gravior, quam oculorum. Haud prorſus inutilis redditur homo, ex quo manu privetur, aut pede. Sed quùm luminibus contingit orbari, tunc corpus reliquum veluti mortuum jacet. Quod eclipſin patiantur ſtellæ, levidenſe malum: lumine quippè ſolis reparatur abundè. Dum verò luminare hoc majus deliquium ſuſtinet, totus hic noſter mundus ſplendoris ſubtracti detrimenta perſentit; utque cecinit ille:

Obruta cum tenebris nigreſcunt omnia circùm,
Squalentemque orbem mœror, & umbra tegit.

Privatorum caſus minùs nocent, & facilius corriguntur. Superiorum delicta magnam inferioribus perniciem trahunt. Audi Dominum tonantem. *Super hoc cælum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo.* Iſai. 13. 13. Ut cælum convolvitur, terra rotatur. Cæli confuſione turbata eſt terra. Cur? Superius illud, inferior iſta. Et prævaricante Superiore, mirâ facilitate ſubditi rotantur in vitijs.

Iſai. 13. 13.

Superiorum ſcandala.

4 Quid quòd terra non contenta ad cæli exemplum turbari, in longè pejorem commotionem ruit? Equidem turbatum novimus cælum, ſed aliena manu compulſum. *Super hoc cælum turbabo.* Tellurem verò ſponte ſua commotam: *Et movebitur terra de loco ſuo.* Nimirum, ſuperiorum exemplis nedùm deformantur ſubditi, ſed in deterius corrumpuntur. Vel dicamus; Poſt turbatum cælum nullâ alia violentia indigere terram, ut ipſa corruat, ſuamque ſtabilitatem amittat: ſat quippè ponderis habet ſuperioris exemplum, ut ſibi ſubjectos trahat in eamdem ſcænam impietatis. Ut rebeliavit Draco contrà Dominum, tertiam ſtellarum quòque partem ſecum traxit in ſacrilegam defectionem. Ubi conturbatus Balthaſſar, optimates ejus ſimiliter conturbati: timente Herode, tota Jeruſalem conterrita. Principum affectiones, & vitia citiſsimè illabuntur in ſubditos.

Mali Prælati pejores ſubditi.

5 Nihil certè nocentius, quàm peſsimum à præſtantioribus exhibitum exemplum: peccatis quippè dominantium totum reipublicæ corpus inficitur. Audi iterùm Iſaiam. 1. 5. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Extremam his verbis civium Jeroſolimæ morum perverſitatem Vates deſcribit. Sed ordine mirò. Prius enim depingit caput infirmum, tùm cor mœſtitiâ oppreſſum, mox totum corpus livore corruptum. Suo fonti reſpondent latices. E languido capite in viſcera, atque omnia corporis membra ſanies redundat. Scilicèt, Principe reipublicæ ſcelerum ægritudine languente, omnia membra tam nobilia, tùm plebeia illicò putore criminum contabeſcunt. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.*

Peccatis Superiorum totum reipublicæ corpus inficitur.

Iſai. 1. 5.

Peccatorum origo.

6 Porrò illud quòque notandum, quòd prius cum capite cor ægrotat, quam pedes. Præceſsit enim in capite languor, tùm cor laboravit mœſtitiâ, demùm pedes computruerunt tabo.

Peccatũ principis nobiliores prius inficit.

Omne

Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis. Quod magis diſtat a capite, ultimo loco perijt; nuſquàm eo morbo periturum, niſi prius altiora, & nobiliora membra ægrotarent cum capite. Ità à ſublimioribus deſcendit iniquitas. Corrumpuntur humiles animæ, quod optimates, qui cordis vicem obtinent, peccatorum lue tabeſcunt. Hi autem conputreſcunt in vitijs, quoniam reipublicæ caput ſcelerum ægritudine languet. His paſsibus currit iniquitas, totumque corpus inexpiabili morbo conficitur. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.*

Peccata nobilium plebem corrumpunt.

7 Profectò nulla eſt in corpore ſanitas, ubi caput ſanum non eſt. Nam qualis erit inferiorum ſalus, ſi Præſul peſtilentiâ laborat? Et quę maior peſtilentia, quàm prava Superiorum exempla? Hoc ſanè voluit David ſignificare, cùm dixit Pſal. 1. 1. *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Notaſtin? Cathedram peſtilentiæ dixit. Sed quæ cathedra poteſt fabricari ex peſtilentia? Ex lignis utique conficiuntur exedræ. Verùm quæ materia peſtis eſt, ut poſsit deſervire pro elaborandis ſubſellijs? Nùm & ægritudines excreſcunt in arbores? Nimirùm, cathedra ſedes eſt Prælatorum, quibus ex officio incumbit verbis, & moribus ſuos inſtruere, iuſtà illud Salvatoris: *Supra cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* Matth. 23. 2. Verùm hæc cathedra, quę pro animarum ſalute erecta eſt, tunc demum vertitur in cathedram peſtilentiæ, cùm improbus rector ſedet in ea: nulla quippè ſubditis pernitioſior peſtis, quàm ſceleroſa vita regentis. *In cathedra peſtilentiæ non ſedit.*

Mala vita Prælati ſubditorum peſtis.

Pſal. 1. 1.

Cathedra peſtilentiæ quæ.

Matth. 23. 2.

8 Quis univerſos Sichimitas fœdò vulnere cruentavit? Nonnè illorum Principes ultrò ſibimet plagam inferentes? Res ità ſe habuit. Ut Dignæ ſtuprum ulciſcerentur fratres, ſuaſere Sichemo, & Hemori, ut ſe unò circunſionis vulnere ſotiarent Hebræis. *In hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtris, & circumcidetur in vobis omne maſculini ſexûs.* Gen. 34. 15. Haùd abſurda viſa eſt Principibus poſtulatio, quamquam dura, & inſolens, & probroſa. Aſſenſère itáque; & in ſuam ſententiam nullo negotio pertraxêre univerſos cives. *Unum eſt, quo differtur tantum bonum: ſi circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis imitantes. Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus.* Ibid. 22. Quis non horum Principum eloquentiam ſtupeat? Paulus in Areopago diſſertiſsimè proloquutus, vix Dionyſium, ac Damarim, alioſque perpaucos à dira dæmonum ſervitute traducit ad ſuave Chriſti jugum; Hemor verò, & Sichem urbem univerſam pauciſsimis verbis à delicijs ad ſupplicia, ab epulis ad vulnera, à coronis ad cultros, quodque difficiliùs multo eſt, à patrijs Numinibus, Genijſque ad cruentam religionem tranſvexerunt. *Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus.*

Magiſtri ſcandaloſi.

Principum exempla porrentiſsima.

Genes. 34. 15.

Principum exempla pro lege.

Ibid. 2.

Vox operum eloquentiſsima.

Magis principum verbis movemur quàm Dei!

Jugum Chriſti ſuave duro mundi poſt habitum.

6 Quàm verò arduum eſſet, circumciſionis cultro ſubmittere Idololatras, liquidò patet ex illo Chriſti teſtimonio ad Scribas, & Phariſæos: *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum.* Matth. 23. 15. Jam, quàm malè audiret circumciſio apud Gentiles, ſatis eorum ſcripta declarant. Hoc nomine Horatius 1. *ſerm.* ſatyr. 5. Judæos irridens, apellavit *apellas*; hoc eſt, cute & pelle carentes,

Credat Judæus apella.

Itèm *Curtos* tamquàm eâ parte mutili; eod. *Serm. Sat.* 9.

——— *vin' tu*
Curtis Judæis oppedere?

Judaica Religio Gentilibus quàm invisa. Matth. 23. 15.

Judæi cur dicti *apellæ*?

Cur *curtis*?

Re-

Cur *recutit it*

Recutitos vocat Martialis, ob circumciſi pręputij notam, *lib.* 7. *epigram.* 29. in Cæliam:

Mart.

Nec recutitorum fugis inguina Judæorum.

Et Perſius ſatyr. 5.

Labra movet tacitus, recutitaque Sabbatha palles.

Adeò, nimirum, gens illa, ſola religionis veræ olim cultrix, reliquis omnibus contemptui, & deriſui fuit: tàm veris à Deo confirmata miraculis, quàm aliæ deluſę falſis malorum dęmonum ludibrijs. Tam inviſa Gentilibus cùm eſſet circumciſionis religio, valuit nihilominus brevis oratio Principis illi ſubdere totam civitatem. Cùm lex Moſis abundaret Scribis, Ducibus, imperio, & templo, in tanto honore ſapientię, ſacerdotij, & regni, vix unum ex toto penè orbe pertrahebat alumnum. Et Reguli oratio ità fuit pathetica, ut cives omnes in ſeipſos armaret. In ſe quiſque depoſcit cultrum, Parentes in filios ſæviunt. Natant pavimenta ſanguine. Undique clamor infantium reſonare cogitur, lamentantur matres, ſenes dolent, & nullus non jacet in lectulo vulneratus. *Aſſenſique ſunt omnes circumciſis cunctis maribus.* Quis tàm mira, tàm dura, tàm nova impetrare potuit ab idololatris? Primorum exemplum. *Si circumcidamus*, inquiunt Principes, *maſculos noſtros*; non verò, ſi circumcidatis. Habita eſt pro felicitate ſtrages, quâ involvendos quòque urbis Principes cognoverunt.

Ad exemplum regis mutatur religio.

10 Sanctius profectò exemplum in Abrahami ædibus eluxit, quando ignominioſo vulnere ſuam familiam cruentavit. Acceperat is à Deo duriſsimam circumciſionis legem, quâ ſuam gentem à cęteris diſcerneret. *Circumcidatur ex vobis omne maſculinum.* Gen. 17. 10. Aſſenſêre omnes, & nè vel unus ſaltèm in numeroſa familia ulcere ſe ſubduxit; non filius, non vernaculus, non emptitius, non denique alienigena cruentum imperium detrectavit. Et undè in tanta nationum, vernarumque multitudine (erant quippè facilè quadringenti) tàm prompta erga Deum obedientia? Scilicet, primum ſe vulneri Abraham obtulit, deindè filium. Et dominis circumciſis, nemo ſervorum plagam refugit. Namque qualis eſt Dominus, tales conſueverunt eſſe ſervi. Nullus non promptè obedivit Abrahamo, quòd ille abſque morâ obtemperavit Deo. *Eadem die circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius: & omnes viri domûs illius, tàm vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.* Ibid. 27. Excelſo excelſior eſt alius. Obediat Superior Deo ſibi imperanti, & habebit ſubditos prępcepta ſua celeriter exequentes.

Gen. 17. 10.

Exempla majorum bona.

Qualis herus, tales ſervi.

Obediat Deo Prælatus, ſi cupit ut ſibi obediant ſubditi.

Ibid. 27.

11 Verùm non diſſenſiſſe Abrahamo familiam, haùd ità mirum: quamvis enim & novam, & duram, & propudioſam rem imperaret, tamèn author præcepti Deus erat, cui obedire, glorioſum; reluctari, capitale. *Maſculus, cuius pręputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Ibid. 14. Quis verò tam fuiſſet ſtultus, ut perire mallet, quàm ſecari? Accedit, quòd non mutatio Religionis fuit illis indicta, ſed potiùs veri Numinis cultûs confirmatio, & ſtabilimentum. Reverentia ergo Divinitatis, atque inolitæ religionis amor facilè potuit inclinare Hebræos ad conſentiendum Patriarchæ; Sichimitas verò nulla religio vulneri ſubdidit; quin è contràniteba-tur avitus idolorum cultus, probroſum vulnus, dolor acerbus. Nihil tamèn morantur, ubi ſuos principes vident nihil moratos. Nullum tàm abſurdum facinus eſt, quod Principis exemplum non extorqueat à ſubditis.

Principibus terrenis faciliùs paremus, quàm Deo.

Ibid. 14.

12 Quid inſaniùs, & ſtoliditiùs, quam à vero Numine de-

deficere, nigrisque idolis se tradere? Sed ecce totum Israelis regnum coràm dæmonibus genuflexum, ex quo pessimus Roboam prostratus est antè illos. *Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel.* 2. Paral. 12. 1. Cadente Rege stare regnum vix potest. Similem dedit Sedecias tragœdiam. *Fecit Sedecias malum in oculis Domini Dei sui.* 2. Paral. 36. 12. Quid porrò indè? Sequitur statim: *Sed & universi Principes sacerdotum, & populus prævaricati sunt.* Ibid. 14. Ubi noster Lyranus peregregie: *Ad malitiam regis sequuta est malitia in omnibus alijs.* Quid iniquius rege Achaz? Non modò se ipsum perdidit, à vero Deo ad falsos resiliens; sed & totum populum prostituit idolis; utque viam salutis omnino præcluderet, fores templi Dei obstruere jussit. *Direptis omnibus vasis domûs Dei, atque confractis: clausit januas templi Dei.* 2. Paral. 28. 24. Ubi Principes veram pietatem deserunt, totus populus imitatur eorum iniquitatem: cum moribus namque regum corrumpitur conversatio subjectorum. Pudet esse bonos, ubi duces sunt improbi. Honestatur enim dedecus consortio superiorum: quæque execraremur, si carerent exemplo; ea honoris symbola reputamus, si transmittantur à principe. Assentatores vilissimi, cum improbis improbi sumus, cum stultis stulti. Non enim opera principum approbare putatur, nisi qui similiter hæc agit. Undè ne rex videatur offendi, quidquid in illo apparet, quamtumvis absonum, & ridiculum, student servi pro viribus imitari.

Rege cadente, omne regnum corruit.

2. Paral. 12. 1.

2. Paral. 36. 12. & 14.

Lyra.

2. Paral. 28. 24.

Pudor malus.

Assentatio vilis.

13 Nam quid tàm ridiculum, quàm quod narrat Q. Curtius in vita Alexandri, & Panormitanus in vita Alfonsi Aragonum regis, aulicos, nimirùm, utriusque torto collo incessisse, eò quod rex uterque obstipus esset, & torto collo incederet? Pudor erat Æthiopibus non claudicare pede, aut altero lumine privari, si quando contingebat, suum ipsorum regem, aut claudum esse, aut oculo læsum, ut Dyodorus Siculus refert *lib.* 4. *Biblith.* Scilicet, mores, ac vitia Principum imitari, genus obsequij reputatur à subditis. Undè nè ipsorum facta exprobare videantur, eorum mores toto nisu exprimere curant. Ità si Princeps ardore belli flammatur, subditi bellum spirant, nec nisi arma tractare noverunt: si sit pacis amans, omnes pacem colunt, dantque se literis, artibus, agriculturæ, quietaque negotia sectantur. Quod si orthodosus sit, & zelans pro fide, & hoc zelo incalescunt subditi. Si castitate floreat, nullus non eamdem profitetur, vel saltim fingere studet. Quòd si ex adverso hæreticus ille sit, incestus, intemperans, exlex, illico cives redduntur hæretici, luxuriosi, improbi exleges. Etenim nullus cometes, nulla vis fatalis sic afficit res mortalium, ut vita principis rapit, ac transformat mores, & animos subditorum.

Aulici adulatores ridiculi. Q. Curt. Panorm.

Dyodor.

Principum exempla ut imitantur subditi.

14 Hinc est, quòd David exclamat: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Psal. 39. 13. Atqui pauciſsima in sacris literis Davidis peccata numerantur. Quin, si unùm excipias contra Uriam, rectum invenies totiùs vitæ suæ cursum. Ità enim habet sacer Textus: *Eo quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinavit in omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.* 3. Reg. 15. 5. Et quamquam alij alia ei peccata tribuunt, ut puta, dùm ex superbia, ut volunt, numeravit populum; quod peccatum Deus punivit peste,

Psal. 39. 13.

Peccata Superiorum multiplicantur in subditis.

3. Reg. 15. 5.

& mille 70. millium hominum: dum voluit occidere Nabal, domesticos; dum Miphiboseth innocenti dimidium bonorum abstulit, quæ Sebæ iniquo criminatori dedit. Verum hæc omnia aut possunt excusari à peccato, aut certè gravitate deformia non fuerunt; & si talia fuissent, parvo sanè numero comprehenduntur. Cur ergò ipse innumerabilia dicit, atque super capillos capitis multiplicata fatetur? *Mala, quorum non est numerus: iniquitates meæ multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Meritò pro innumeris habet peccata sua rex pœnitens; quia quamvis re vera fuerint pauca, vel forte unicum, fuit tamen illud publicum, & vulgo notum: peccatum autem Regis publicum, & si unum illud sit in persona, multiplicatur in subditis, dùm peccantem regem subditi imitantur: quæque innumeri subditi malo dominantis exemplo committunt, in ipsius principis caput redundant: adeòque fit reus omnium scelerum, quæ ab uno eius crimine propagantur in regno.

Davidis peccata quopacto innumerabilia.

15 Huc quoque spectat illa eiusdem regis oratio: *Ab occultis meis munda me Domine; & ab alienis parce servo tuo.* Psal. 18. 13. Sapit certè rex pijssimus, dùm ab occultis criminibus petit mundari. In multis enim vel nescientes offendimus; & latent non raro peccata vel oculatissimum quemque: profundum quippè est cor hominis, & alto lumine indiget, ut collustretur. Verum cur alienorum à Deo veniam exorat? Num quia miserationis affectu aliena peccata, tamquam propria luget? Num quia paterna pietate filiorum infirmitatibus, quasi si sua forent, remedium quærere satagit? Namque ita Chananæam novimus clamasse, cum sibi misericordiam à Domino petijt ob infirmitatem filiæ. *Miserere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Matth. 15. 22. Sed aliò tendere visa est deprecatio davidica. Noverat enim se regem: noverat suo adulterio, & homicidio populos magis animatos in scelera, audatioresque in Deum factos; quod à Nathano didicerat: *Blasphemare fecisti inimicos Domini.* 2. Reg. 12. 14. Sapientèr itaque de alienis peccatis veniam sibi precatur: quoniam in causa fuit ipse, cur subditi liberiùs sceleribus se traderent. *Ab alienis parce servo tuo.*

Peccata inferiorũ propria Superiorum. Psal. 18. 13.

Peccata occulta ut timenda.

Animæ salus incerta.

2. Reg 12.14.

16 Subditus tantùm suo crimine peccat; sibi uni solo suò peccatò nocet; nullum, vel fere, exemplo corrumpit: panni quippè, & nominis vilitate obscurantur scelera. Principes verò plus exemplo, quàm peccato nocent: in loco enim sublimi constituti fœdari non possunt, quin ab infimis conspiciantur. Hinc peccata Magnatum nocentiora, gravioraque: quòd pravo exemplo fomitem peccandi populis submininistrant. Præclarè Cicero 3. de Legibus: *Non tantùm mali est peccare principes, quamquàm est magnum hoc per se malum, quantùm illud, quòd permulti etiam imitatores principum existunt.* Consonat ethnicus ethnico; Ciceroni Juvenalis Sat. 8.

Peccat a Magnatum nocentiora, quià latere non possunt.

Cicer.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

Juven.

17 Sanè una Principis actio, si sceleroſa sit, in multa peccata excrescit. Inferiorum crimina eò minus nocent, quò magis sunt infœcunda. Principum scelera nequeunt non esse perniciosissima, quoniam fœcundissima sunt. Vide notam, quà sceleſtissimum Antiochum sacra Pagina aspergit. *Exijt ex eis*, nempe ex ducibus Alexandri, *radix peccatrix, Anthiochus illustris.* 1. Mach. 1. 11. Non peccatorem vocat, sed radicem peccatricem, ut ostendat, non simpliciter iniquum fuisse eum, sed potiùs sce-

Peccata Inferiorum minus nocent.

1. Mach 1. 11.

Princeps malus radix peccatrix.

Cõpati lapsis.

Parentum in filios pietas. Matth. 15. 22.

ſcelerum parentem. Ex radice quippè arboris rami, frondes, flores, fructuſque germinant. Et vigilante verbo, ſceleſtus princeps dicitur radix peccatrix; quoniam ab uno rege improbo multa in tota republica ſcelera propagantur. *Exijt ex eis radix peccatrix, Antiochus illuſtris.*

Cain impio rũ patriarcha.

18 Hinc fit, ut, juſtâ Dei exigente vindictâ, radix quoque pœnę ſit, qui radix peccati erit. Audi rem planè mirabilem. Narrat Sapientiæ liber horrendum Caini facinus, quò, indignationibus, & furijs agitatus, & fraternum ſanguinem fudit; & ſibi infeliciorem mortem adſcivit. *Ab hac ut receſſit injuſtus in irâ ſuâ per iram homicidij fraterni deperijt.* Sap. 10. 3. Planum hoc. Sed ſcrupoſum valdè, quod ſubditur: *Propter quem, cum aqua deleret terram.* Ibid. 4. Quis nam eſt hic, propter quem terrarum orbis aquarum diluvio perijſſe narratur? Cain, ſcilicet. Sive *propter quem* legas, ut habent Biblia correctiora; ſivè, *propter quod*; ut non nullis placuiſſe video. Eodem quippè reddit utraque lectio; nam ſenſus eſt: Propter impium homicidam, imò fratricidam Cainum Deus totam terrarum molem immenſis aquarum voluminibus involvit. Cæterùm quanta hic difficultas? Cainus nè cauſa diluvij? Sanè diluvij fontem apertè Scriptura Geneſis deſignat; colluviem, nempè, flagitiorum, ac turpitudinum, quâ totius humani generis maſſa jam priùs erat immerſa. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominis eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecùs. Delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ.* Gen. 6. 5. 6. 7. Si ergo mundus ſcelerum eluvione perijt; quò jure Caino adſcribitur tantum malum? Jure optimo. Namque Cain, utpotè princeps illatæ mortis, & primus in hominibus fratricida, factus eſt omnium impiorum patriarcha, ſuoque exemplo poſteros ad idem facinus, cæteraque quælibet flagitia impulit. Ipſe ergo totum mundum perdidit, qui primaria cauſa fuit, ut periret. *Propter quem cum aqua deleret terram.*

Cain cur cauſa dilubij.

Sap. 10. 3.

Ibid. 4.

Peccata Parentum ruina filiorum.

19 Vide, in quantam mortalium ſtragem mali principes peccant. Corpora cæleſtia ſi vel paulum tumultuentur, aut rectò curſu divarient, non ſinè gravi rerum humanarum pernicie id faciunt: id quod palam videmus in defectibus ſolis ac lunæ. Ita ſummi Principes, ſi quid aberrent ab honeſto, aut ſi quid ambitione, ira, ſtultitiave peccent, id protinùs ingenti totius orbis malo faciunt. Hinc bella, ſeditiones, corruptæ mores, civitatum ruinę, regnorum clades, mundi totius everſio. Ideò ſeverius Deus animadvertit in Principes, & Superiores improbos; quoniam horum ſcelera in aliorum damnum, & perniciem redundant. Omnes olim Iſraëlitæ graviſsimè peccarunt, dùm Moabitarum pulcritudine allecti, in luxuriam, & idololatriam corruere. Nihilominus cenſura Numinis acriùs in Primates, quam in vulgus deſævijt. *Tolle*, inquit Deus ad Moyſen, *cunctos principes populi, & ſuſpende eos contrà ſolem in patibulis.* Num. 15. 4. Sunt qui principum honori conſulentes, dicant, illud *Tolle*, idem eſſe ac convoca, & congrega principes, ut illi quaſi judices, habitô priùs de fornicatoribus, idololatriſque judicio exacto, eos curent ſuſpendi contrà ſolem ad maiorem, magiſque cunctis patentem infamiam. Suſpendium quippè omnium habetur ignominioſiſsima, viliſsima, fœdiſsimaque pœna; nedùm nobilibus, ſed vel ipſis ſervis indecora, ut ſcribit Euripides in Helena.

Malus Princeps quàm pernicioſus.

Deus ſeveriùs animadvertit in Principes, quàm in ſubditos.

Num. 25. 4.

Pœna ſuſpendij ignominioſiſsima.

Tur-

Eurip. *Turpes quidem laquei ſublimes, Et ſervis indecorum exiſtimatur.*

Apud Deum non eſt perſonarũ acceptio.

Cæterùm apud Deum non eſt diſtinctio nobilis, & ignobilis, Domini, & ſervi; ſed juſti, & peccatoris; ut proinde mirum non ſit, ſi Principes populi ſuſpendiò ignominioſo juſſit interfici. Quæ quidem ſententia communior eſt apud Vetuſtiores: utque noſter Lyranus teſtatur, ità ſenſere generaliter Expoſitores Catholici. Quamquàm, ut nihil diſſimulem, non deſunt ſummi viri, qui in primo ſenſu hunc textum interpretantur.

Lyra.

Oleaſt.

2o Oleaſtrum, ut Principes à fœdo ſuſpendio liberet, hæc ratio movet: *Quoniam non eſt credibile*, inquit, *viros ad regimen populi electos, tale facinus perpetraſſe.* Sed hoc nihil eſt. Corruptiores namque interdum nobilium mores eſſe ſolent: & licentiores, ac proniores ad laſciviam, ij præſertim, qui opibus, potentiâ, gratiâ pollent, ſeque liberaliùs, ac molliùs tractant; Bacchoque, & Cereri, quibus numquam friget Venus, indulgent. Hæc peſtilens aura plus in domos ſuperbas graſſatur, quàm in pauperum tuguria. Promptum itaque eſt credere, ipſos quòque Principes in flagitium lapſos, atque ideò ſuſpendi juſſos. Sed quid eſt, quærit D. Petrus Damiani *lib. 4. epiſt. 5.* quòd populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpoſitos vindicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur? Scilicet alius eſt, qui peccat, alius ille qui vapulat? Atqui peccarunt etiam Principes? Sed num ſoli peccaverunt? An non etiàm omnis populus ſimiliter luxuriatus? Cur ergo in non diſpari crimine mitius in vulgus, quàm in Optimates Deus invenitur? Quia, videlicet, Principum libido præbuit vulgo animos ad ſcortandum, & quoniam Optimates adoraverunt idola, haud puduit plebeios coram eis genuflectere. Meritò proindè acriores, quàm vulgus, pœnas dare Principes coguntur: dignus quippè eſt, ut pro toto grege vapulet, qui ovibus præbuit occaſionem errandi. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contrà ſolem in patibulis.* Caveant itaque reipublicæ Oculi, nè ſint pedibus offendiculi; & meminerint, quod potentes potenter tormenta patientur; quòdque judicium duriſsimum his, qui præſunt, fiet. Tandèm auſcultent Claudiannum alloquentem Theodoſium:

Nobiliorum mores interdũ corruptiores.

Nobiliores præſertim luxuria inficit.

Formidoloſa conditio præſidentium.

Non tibi, quod liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Claud.

DISSERTATIO XI.

BONORUM PRÆLATORUM boni ſubditi.

1 HOc profectò docere nos voluit D. Gregorius, cùm in ſuo Paſtorali ſcripſit: *Caput ſubditorum ſunt cuncti qui præſunt. Et ut recta pedes valeant itinera capere, hic proculdubio caput ex alto providet, nè à provectu ſui itineris pes torqueat.* Eccè ubi per caput, ſivè oculum Prælati; per pedes vero ſubditi deſignantur. Tunc autèm recta itinera pedes capere perhibentur, cùm probè ex alto ab oculis diriguntur. Quià quòd ſubditi à virtutis tramite non deflectant, recta prælatorum gubernatio efficit. Hinc eleganter oculi ambulare dicuntur. *Natibus oculorum ibant*; quippe ſubditorum inceſſus plurimùm pendet à Prælatorum regimine.

D. Greg.

Bona prælatorũ gubernatio.

Prælati ſunt caput; ſubditi ſunt pedes.

2 Verùm quale regendi morem debent Præſides retinere, ut recto virtutis calle inferiores gradiantur? Num verbis agendum eſt illis? Num edictis? Num fuſtibus? Num miraculis? Haud re-

reprobo. Sed reſtat præſtantior methodus ; ſcilicet, bonæ vitæ exemplum. Hoc cunctis eſt efficacius: Hôc ſubditi fortiùs trahuntur. Vidimus loquentes oculos, vidimus & tangentes ; videmus nunc ambulantes. *Nutibus oculorum ibant. Facies eius erat iens.* Tantanè oculis munera ? Tanta. Totius quippè corporis regimen concreditum illis. Et quibus datum eſt præſidere alijs, non ſatis eſt, ſi aut eos ſolis verbis moneant, aùt pœnis coerceant, niſi etiam antè ipſos gradiantur. Oratio ergò tria hæc conabitur perſuadere : videlicet, exempla ſuperiorum potentiora eſſe verbis, ſupplicijs, miraculis.

Exempla Superiorum efficaciſsima.

Orationis partitio.

3 Colluſtremus ſingula. Et quidèm primum ſuadere, haùd res eſt magni laboris. Nemo quippe tàm vecordem eſſe puto, ut non agnoſcat, multò efficaciora ad movendos animos exempla eſſe, quàm verba. Audi Magos apud Matthæum 2. 2. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare Dominum.* Cùr non voce Angeli, ſed fulgore ſtellæ Reges invitantur ad quærendum Chriſtum ? Nimirùm, plus luce moventur homines, quàm linguâ ; faciliúſque Chriſto manus, mentemque ſubmittunt, luce excitante, quàm voce monente. Benè operari, lucere eſt, iuxta illud Salvatoris : *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Is ergo optimè perſuadet, qui vitæ fulget exemplô. Faciliùs ad Chriſti obſequium trahèntur ſubditi, cùm viderint præſulem operibus radiantem, quàm cum viderint ſermonibus perorantem. Verba quippè excipiuntur aure ; opera ſubijciuntur oculis : ſegniùs autèm irritant animos immiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis explorata.

Exempla validiora quam verba.

Matth. 2. 2.

Lux exmplorũ.

Matth. 5. 16.

4 Laudabile eſt, fateor, recta, & honeſta ſuperiorem præcipere. Verùm optimi prælati minima laus eſt, quòd ſanctè loqui non neſciat. *Et vox ſermonum eius, ut vox multitudinis.* Hoc tandèm de Angelo prædicavit Daniel, poſtquàm & illius candorem veſtimenti laudaverat, & cinguli pretioſitatem, & corporis claritudinem, & fulgorem vultus, & oculorum flammas, & reliqui corporis ardorem. Tunc poſtremô locô vocem commendavit. Non te pigeat picturam egregiam contemplari. *Ecce vir unus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo : & corpus eius quaſi chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius ut lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis : & vox ſermonum eius, ut vox multitudinis.* Dan. 10. 5. 6. Vides, ut ultimô tandèm locô vox Angeli collaudatur? Cùr porrò ità, niſi ut doceamur, Superiorum, qui per Angelos deſignantur, poſtremam omnium virtutum eſſe facundiam ? Linguæ volubilitas, atque verborum copia, ſanctéque loqui, ſceleratis, pijſque communia eſſe poſſunt. Candère autèm, fulgurare, emicare, ardère, Angelorum eſt. Quid ſit Angelus, magis quàm quid loquatur, Daniel attendit. Non proindè Superior multum de linguæ culturâ glorietur. Minima quippè laus eſt, infantem non eſſe.

Vox exemplorum.

Dan. 10. 5. 6.

Sanctè loqui vel impij poſſunt.

5 Quid quòd omnis laus linguę ab opere pendet ? Indè vox angelica commendatur à Prophetâ, quòd non exilis ea fuerit, & infirma, ſed plena & fortis, qualiſque à turbâ magnâ, ſeu exercitu, aùt à torrente, è loco præcipiti de lapſo, excitari ſolet. *Et vox ſermonum eius, ut vox multitudinis.* Nimirùm, adeò ſonanti voce prævalet, qui tot tantarumque virtutum fulget ornatu. Emicabat namque in eo caſtitatis byſſus, Charitatis aurum, pœni-

Linguæ virtus ab opere.

Minima virtutum vox eſt.

tentiæ chryſolitus, divini zeli fulgur, ſapientiæ lampas, æs fortitudinis. Et quæ non celeſtium virtutum? Hinc tanta in voce præſtantia. Scilicet, fortiſſimè loquitur, qui ſanctiſsimis moribus eſt præditus. Poſt tot vero enarratas virtutes linguæ robor a Propheta deſcribitur; ut noverint Superiores, totam vocis fortitudinem à virtutum ornamento generari. *Et vox ſermonum eius, ut vox multitudinis.*

Sancti viri lingua potentiſsima.

Iſai. 11. 4.

6 Quid voce Chriſti potentius? Solò labiorum afflatu impium, imo impietatem, exterminat. *Percutiet terram*, inquit Iſaias. 11. 4. *virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Sivè acriter objurget, ſivè blande pelliceat; labia tantùm moveat, impium extinguet. Atqui Deus ruptis fontibus byſsi magnę, cęlique cataractis apertis, alluvione centum dierum vix mundi impietatem abſterſit; namque ſtatim viſa eſt in Chamo repullulare. Atqui non ità valuit igne pluviò Sodomæ ſcelus purificare, ut turpitudo inceſtus ſtatim in Loth filiabus non apareret. Atqui horrendâ plagarum acerbitate, cæleſtiumque monſtrorum inſolentiâ cor Pharaonis emollire non potuit. Et evertet lenis aura impietatem, quæ ſupervixit diluvio, flammis, portentis? Ita. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Undè in labijs tanta potentia? Ex juſtitiâ, quâ erat præcinctus. Subdit Propheta: *Et erit juſtitia cingulum lumborum eius.* Indè animata labia, indè roborata lingua, indè vox omni gladio ancipiti penetrabilior. Si tu te juſtitiæ baltheo præcinxeris; ſi intra fines honeſti opera tua concluſeris, ſubditorum exceſſus verbo compeſces. Diſcincti verba, quamvis ignem ſpirare videantur, frigent. Præcincti vero labia, quamquàm rorem ſtillent, fulminant. Adeo nulla vis eſt linguæ, ubi bona opera abſunt.

Correctio blâda efficacior.

7 Hæc ſanè doctrina ipſis quòque Ethnicis nota, quibus orator non eſt, niſi *vir bonus dicendi peritus*, prout diſinivit Cato. Unde Plautus in Truculento, *Sinè virtute*, inquit, *argutum civem mihi habeam pro præfica.* Nam ut præficæ, quoniàm ſinè ullo interni doloris affectu lacrymas fundunt, non fletus, ſed riſus in auditoribus excitant; ità & qui de virtute ſinè virtute diſſerunt, omnium patent riſui; doctrinamque quàm prædicant, reddunt contemptibilem. *Apud Lacædemonios*, inquit D. Iſidorus Peluſiota epiſt. 232. *qui ſermones actionum umbras eſſe non immeritò definierunt: ei, qui turpiter vixiſſet, nè probam quidem ſententiam pronunciare licebat.* Timebant enim integerrimi judices, nè juſtam ſententiam improbi judicis labia macularent. Nam ut rectè Ovidius 6. *Faſtor.*

Orator quis.

Cato.

Plautus.

Concionator ſine operibus præfica.

Peluſiot.

Sermones actionum umbræ.

Malus judex bonam ſententiâ dehoneſtat.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum judex alios, quod monet, ipſe facit.

Ovid.

8 Hinc ſummæ foret audaciæ, alijs prædicare, quæ ipſe non facis. Tantos animos nec ipſe Gentium Apoſtolus habuit. Expende illius verba: *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Chriſtus.* Rom. 15. 18. Diſcant Eccleſiæ Prælati, diſcant verbi Dei Concionatores, diſcant quotquot curam animarum habent; diſcant, inquam, verecundiam ab Apoſtolo. Doctor Gentium, Vas electionis, gloriæ Dei currus, Sapientiæ Oceanus non audet prędicare populis, niſi eas virtutes dumtaxàt, quibus à Domino erat ornatus. Et audebit tenebrarum filius, ſpurcitiæ vas, impietatis hara, virtutes, quibus ipſe caret, ab auditoribus exigere? O inverecunda præſumptio! O ſine fronte audacia? *Loquitur, quis ea*, inquit Origines, *quæ*

Summâ audacia prædicare, quę non facias.

Rom. 15. 18.

per

Orig.

per ſe non effecit Chriſtus, ſi loquatur de continentiâ, & doceat, cùm ipſe continens non ſit; vel ſi loquatur de ſobrietate, vel de juſtitiâ, vel de largiendis opibus, & contemnendis facultatibus pro regno Dei, & ipſe qui docet hæc, nihil horum effecerit. Contrà hos effrontes Concionatores clamat idem Paulus Rom. 2. 22. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis?* Hinc tritum illud proverbium: *Medice, cura te ipſum.* Faciant, qui monent, & ſubditi minus erunt exleges.

Rom. 2. 22.

Luc. 4. 23.

9 Eliam in cælum aſcendentem his ſequebatur vocibus Eliſæus: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* 4. Reg. 2. 12. Notaſtin? Currum ſimul, & aurigam appellat. Atqui currus regitur, auriga regit. Currus portat onus, agitat currum auriga. Quæ quidem duo qualiter uni convenire valeant, haud capio. Quomodò ergo nuntiantur de Elia? Ut optimi Præſidis exponatur ideæ. Hic enim tunc ſui muneris partes implet, quum nedum regere novit, ſed & onus impoſitum libenter ſubire: qui quum exortando ſtimulat ſubditos, pondus ipſe legis ſuſtinere non refugit: qui, quum populum bonis admonitionibus agitat, graves ipſe tolerare labores non recuſat. Currus ergo & auriga, qui quod verbis agendum præcipit, ab humeris ſuis præ diſidiâ, & impatientiâ non excutit. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Sunt nonnulli, qui aurigas agere gaudent; ſed currus eſſe detrectant. Subditis tamquàm equis utuntur, aut mulis; ſed interim nulla ipſi onera ſubire patiuntur. Inferiores tùm loris, tùm fuſtibus, tùm ſtimulis, tùm clamoribus urgere ad curſum non ceſſant; ipſis interèa in ſellâ quieſcentibus, ludentibus, epulantibus. O probrum! O regimen duriſsimum! O pondus intolerabile ſubditis!

4. Reg. 2. 12.

Bonus Prælatus currus, & auriga.

Prælatus exemplo ſit.

Dignitas ad honorem.

Superior ſibi blandus; inferioribus durus.

10 Benè id Dominus ſignificavit, cùm Legiſperitorum hypocriſim taxans, dixit. *Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Luc. 11. 46. Verùm, ſi onera ſunt intolerabilia, quid quòd digitò ea Superiores non contingant? Nam quale adjumentum poſſet humeris conferre digitus, ad pondus intolerabile ſuſtinendum? Indè ſanè reprehenſione dignos judicarem Prælatos illos, quod graviſsima onera humeris ſubditorum imponerent. Hoc enim tyrannicum eſt, atque ab ipſâ humanitate alienum. Cæterùm immane pondus, ſicùt foret ſtultum, digiti unius contactu, præſumere ſublevare; ità videtur ridiculum, tangere ſinè fructu. Sed voluit Dominus nos docere, undè Superiorum decreta fiant ſubditis intolerabilia. Nempè, quod qui ea imponunt, nè vel unum quidem digitum curant ſarcinis admovere. Si enim Præſules unum dumtaxat digitum eis ſupponerent, non uſque adeò gravia onera, quamquàm graviſsima, ſubditis apparerent. Vel immane pondus ferendum eis foret, ſi vel leviſsimo articulo id ſuperiores attingere non refugerent. Et quidem non tantis Præſules viribus pollent, ut uno valeant digitulo graviſsimum pondus ſuſtinere: nihilo tamèn ſecius ſi vel minimùm adniti eos inferiores conſpexerint, in quævis onera audent, & nullo non ponderi humeros libenter ſubmittunt. Verùm dùm præcepta ſuprà ſe multiplicari audiunt; ſervari tamen à Conditoribus minimè vident; tum enim verò, ut iniqua horreſcunt, quę alioqui levia putabant. *Oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi unò digitò veſtrò non tangitis ſarcinas.* Nulli arduum videtur, quod factitatur à Præſule. Faciat ergo is quod imperat,

Luc. 11. 46.

Superiorum præcepta ſine exemplo, duriſsima.

Prælatorum tyrannis.

Leges undè intolerabiles.

Parvo Superiorum labore animantur ſubditi.

Superiores decreta condentes.

perat, & imperet vel duriſsima.

Pſal. 7. 7.

11 Clamat regius Pſaltes ad Dominum Pſal. 7. 7. *Exurge Domine Deus in præcepto quod mandaſti : & Synagoga populorum circumdabit te.* Quid, oro, eſt, Dominum ſurgere in præcepto ? Quale rurſus eſt illud præceptum, quod mandavit? Nimirum obedientiam, & humilitatem mandavit hominibus. Et ſupplicat David Sumum Legiſlatorem, ut humilis ipſe atque obediens inter homines appatere dignetur. In hunc modum exponit Remigius ibi : *Apparere & manifeſtare in præcepto, quod mandaſti primis parentibus, obedientiâ & humilitate.* Surge Domine Deus, &, te incarnato, videat mundus, eadem te agere, quæ præcipis agenda. Videat ergo, quòd ſi obedientiam imperaſti, tu *factus eſt obediens uſque ad mortem.* Philip. 2. 8. Si humilitatem indixiſti, ſciant mortales quòd tu mitis es & humilis corde. Si abſtinentiam, ſi orationem, ſi paupertatem, ſi denique virtutum omnium ſtudium præſcripſiſti ; ſpectet te mundus jejunantem, orantem, divitias contemnentem, & nullam non virtutem ad miraculum excolentem : tunc porrò fiet ad te concurſus populorum. *Synagoga populorum circumdabit te.* Amici, & hoſtes, fideles, & infideles, Judæi, atque Gentiles confluent ad te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.

Superiorum exempla, non dogmata tantùm.

Remig.

Chriſti incarnatio mundum ſubjugavit.

Philip. 2. 8.

12 Nè, obſecro, mireris Domine, quòd tàm pauci modò juſsis tuis obtemperant. In ſolio namque tuæ Divinitatis reſidens, mortalibus iura dicis; ſed tu quieſcis. Doces facienda; ſed quæ doces, non agis. Alijs præcepta condis, non tibi. Mala tolerare nos doces. Ad te nullum malum accedit. Pœnitentiam injungis : Tu te ipſo frueris, hoc eſt, incomprehenſibili gloria. Jejunia imponis, labores, penuriam, mortem ipſam. Quæ omnia immensùm à Divinitate diſtant. Deſcende itaque, Domine, in arenam. Luctatoris habitum ſumito, mortalitatem indue. Labora, jejuna, ſuda, ora, vigila : Crucem ſubi, mortem ſuſtine. Patere, quæ jubes. Utere exemplo, non imperio ſolum. Tunc videbis circumſtantes te Nationes, Græcam, Latinam, Barbaram, Judaicam; totumque mundum legibus tuis parentem. *Exurge Domine Deus in præcepto, quod mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Uſque adeò ad permutandas hominum mentes, alliciendaſque voluntates, nihil potentius exemplo eſt. Vel Deus ipſe plures permovit exemplo, quàm verbo.

Deus, homo factus, plures traxit exemplo, quam antea verbis.

13 Quid aio ? Multum detraho de authoritate, viribuſque exemplorum, ſi tantùm dico, ea eſſe verbis potiora. Etiàm ſupplicijs multò ſunt validiora. Imperavit Dominus Apoſtolis, ut qui careret gladio, tunicam venderet, & illum emeret. Ut autem accepit, duos præſtò eſſe gladios, hos ſatis eſſe reſpondit. *Domine, eccè duo gladij hic. At ille dixit eis : Satis eſt.* Luc. 22. 38. Atqui, ubi lucernas eos portare juſsit, ſingulis cuiuſque manibus ſuam præſcripſit lucernam. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. 35. Cùr duo tantum gladij, & non ſimiliter duæ tantum lucernæ ? Sufficiunt pro armandis duodecim Apoſtolis duo gladij: & pro ijſdem illuminandis non erunt ſatis duæ lucernæ ? Quid hic latet myſterij ? Nimirum, Apoſtolos ſuos Dominus plùs lucernarios voluit, quàm armatos. Per gladium quippè ſeveritas juſtitiæ ; per lucernam bona exempla deſignantur. Et qui populorum regimini præſunt, non tàm debent oſtentare gladios, quàm lucernas : quoniam ad demulcenda ſubditorum corda, plus momenti habent Superiorum exempla, quàm ſupplicia. *Eccè duo gladij hîc. Satis eſt. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.*

Exempla validiora, quàm ſupplicia.

Luc. 22. 38.

Luc. 12. 35.

Correptio mitis efficacior.

14 Quid

Prælatis lucerna potiùs, quàm enſis convenit.

14 Quid ad hæc dicent ignei illi Prælati, qui lucernam nullam gerentes in manibus, gladios minaces ubique jactant, oſtentant, vibrant? Totæ Apoſtolorum cohorti ſatis duo gladij fuere. Sed nulla non apoſtolica manus ſuâ fuit occupata lucernâ. Multò lucernarum uſu, perrarò verò gladiorum armantur à Chriſto viri apoſtolici. Videant cordati: utrùm inter Apoſtolos numerari debeant, qui plùs enſe delectantur, quàm lucernâ: plùſque ferire ſubditos gaudent, quàm illuminare exemplis. Mala ſanè ars hominibus capiendis.

Eccleſiaſti armati.

Iſai. 11. 14.

15 Iſaias de ijſdem Apoſtolis loquens, cap. 11. 14. ait: *Simul prædabuntur filios Orientis: Idumæa & Moab præceptum manûs eorum, & filij Amon obedientes erunt.* Deſcribitur hìc Gentium ad Chriſtum converſio, media Apoſtolorum prædicatione: quę quidèm eleganter dicitur prędatio. Namque miſeras animas è diaboli jugò ereptas Chriſto prędarunt, nobiliſque amoris catenâ ligarunt. Numquid non Thomas prædatus eſt Indiam, Bartholomęus Armeniam, Matthęus Æthiopiam, Jacobus Hiſpaniam, & reliqui reliquas orbis regiones? At quibus armis tantæ ſe prędę accinxêre? Non alijs certè, quàm præceptò manuum: *Præceptum manûs eorum.* Atqui prædonum manus gladijs armatas videmus, non documentis? Quò ergo ingeniò, ubi in capturam proſiliunt Apoſtoli, haud ferrò manus inſtruere curant, ſed præcepto? Sapientiſſimo. Namque ad deprędationem ſpiritalem, qualis eſt apoſtolica, nulla convenientior inſtructio, quàm exemplorum. Non enim capiuntur animæ ferrò, ſed exemplo. Manus ſunt, quæ in apoſtolicâ prædâ humanas mentes rapiunt. Sed manus præceptis ornatæ, non terroribus, & minis. Abjice gladios; manus operibus admove: & me hercule, vel barbaras mentes cicurabis, Chriſtique ſubjugabis imperio. *Simul prædabuntur filios Orientis: Idumæa præceptum manûs eorum, & filij Amon obedientes erunt.*

Prædatio ſpiritalis.

Apoſtoli Chriſti prędones.

Inſtructio apoſtolica.

Exempla, non ſeveritas.

Zelus animarum.

16 Quò id fiat perſuaſibiliùs, ſtatuamus, ſi placet, hinc Moſem in Setim, indè Eſdram Jeroſolymis. Ambo luxuriam oppugnant, invehuntur ambo in libidinem. Sed Moſes gladijs & cædibus; Eſdras oratione, & lacrymis. Vide, ut deſęvit Moyſes in adulteros. *Dixitque Moyſes ad Judices Iſrael: occidat unuſquiſque proximos ſuos.* Num. 25. 5. Vide, ut Eſdras ſe luctui, & mœrori tradit coram fornicarijs. *Scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens. Et ſciſſo palliò & tunicâ, curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.* 1. Eſdr. 9. 3. 5. Quæro; utri feliciùs ſucceſſit? Num Moyſi, fundenti mœchorum ſanguinem? An Eſdræ, proprias lacrymas emittenti? Illi nè, qui ſecuribus, telis, haſtis pugnavit in venerem. An iſti, qui convulſâ barbâ, paſſò, impexôque crine, diſciſſò palliò, & tunicâ, mœrore, & luctu in luxuriam dimicavit? Mirabile dictu! Eſdrę ceſſit libido: reluctatus eſt Moyſi pellicatus. Recitentur utrimque acta: *Sic ergò orante Eſdra, & implorante Deum, & flente, & jacente antè templum Dei, collectus eſt ad eum de Iſrael cœtus grandis nimis virorum, & mulierum, & puerorum: & flevit populus fletu multo. Et reſpondit Sechenias, & dixit Eſdrę: Nos prævaricati ſumus in Deum noſtrum. Et nunc, ſi eſt pœnitentia in Iſrael ſuper hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, & projiciamus univerſas uxores, & eos, qui de his nati ſunt juxta voluntatem Domini.* 1. Eſdr. 10. 1. Audiſti felicem Eſdræ conatum. Audi modò infortunatum laborem Moyſis.

Exempla potentiora, quam funera.

Num. 25. 5.

1. Eſdr. 9. 3. 5.

Lapſi eriguntur lacrymis Prælatorum.

Correptio mitis potior zelo, & ſeveritate.

1. Eſdr. 10. 1.

Luxuria nec ſupplicijs edomatur.

ſis. Dixitque Moyſes : *Occidat unuſquiſque proximos ſuos , qui initiati ſunt Beelphegor. Et ecce,* horrendum ! *Unus de filijs Iſrael intravit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem , vidente Moyſe , & omni turbâ filiorum Iſrael.* Num. 25. 5. 6.

Num. 25. 5. 6.

Habitus mali.

17 O portenta! Lugendo ab uxoribus prophanis viros ſejunxit Eſdras ; milites ab ſcortis nec gladio Moſes abduxit. Fax libidinis extinguitur lacrymis; ſanguine accenditur. Fletibus ſubmergitur Venus ; ſupernatat cruori. Valuit Eſdræ pallium diſcerptum luxuriæ torrentem cohibere , quem acervus cadaverum reprimere haùd valuit. Plus impudentia libidinis reverita eſt avulſos à comâ , barbâque Eſdræ pilos , quàm haſtas, ſecureſque Tribunorum paſsim capita Mœchorum reſecantes. Is ergo libidinem expugnavit , qui ſe affixit ; non is , qui ſceleſtos interfecit. Adeò exempla prevalent ſupplicijs.

Superior amore ducat.

Superior lugens peccata Inferiorum.

18 Verum quid miramur, exemplum prævalere ſupplicijs ? Etiàm portentis , ſignisque præcellit. Repurgatus à leprâ Naaman Syrus , conſilio Eliſæi, emerſerat è Jordane. Quo viſo miraculo , ſcire ſe faſſus eſt, verum eſſe Numen dumtaxat in Iſrael. *Verè ſcio , quòd non ſit alius Deus in univerſa terra niſi tantùm in Iſrael.* 4. Reg. 5. 15. Parvum certe obſequium pro tanto beneficio. Id ſcire ſe dixit , quod vel dæmones & credunt , & contremiſcunt. Jam id facilè ; mente fidem excipere. Ideò fides , quamquàm optima, ad ſalutem tamèn invalida , ſi ſola ſit : mortua quippè efferetur in ſepulcrum , niſi rebus benè geſtis animetur. Illud arduum prę omnibus , durumque, avitæ ſuperſtitioni remittere nuntium , & veræ religioni manus dare. Id quod & feciſſe Naaman , ſacra narrat hiſtoria ; ſed poſtquam obſervavit ſummam Eliſei paupertatem , contemptumque divitiarum. Nam cùm, grati animi causâ detuliſſet Naaman Prophetæ decem talenta argenti , & ſex millia aureos , & decem mutatoria veſtimentorum, videretque ab Eliſeo conſtantiſſimè recuſari ; tum enim verò ſpreto idolorum cultu , totum ſe divino obſequio mancipavit. *Vivit Dominus ante quem eſtò, quia non accipiam : Cumque vim faceret , penitùs non acquievit. Dixitque Naaman obſecro , concede mihi ſervo tuo , ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultrà ſervus tuus holocauſtum , aut victimam dijs alienis , niſi Domino.* Notaſtinè? Exterſus eſt in Jordane Naamanus. Haùd tamen ibi vel Deo credidiſſe narratur , vel dilaudaſſe. Ubi ad Prophetę tugurium acceſsit , intellectum quidem fidei ſubdidiſſe refertur ; non dùm verò cultui veri Numinis voluntatem tradidiſſe. Verùm ubi amorem egeſtatis & penurię in Prophetæ animo advertit , illicò in amorem Dei Iſraelis exarſit , & contemptum Idolorum. Uſque adeò in Syro & Principe majoris fuit momenti paupertatis ſtudium , quàm miraculi exhibitio. Scilicèt , major vis animis imprimitur exemplis , quàm miraculis.

Ibid. 16.

Paupertas miraculis potentior.

Exempla miraculis efficatiora.

4. Reg. 5. 15.

19 Hoc voluit Dominus Petro ſignificare , cum ei paſcendas oves ſuas tradens , ferendi ab illo ſupplicij mentionem induxit. *Dicit ei : Paſce oves meas. Amen , amen dico tibi : cùm eſſes junior , cingebas te , & ambulabas ubi volebas : cùm autèm ſenueris , alius te cinget , & ducet , quò tu non vis. Hoc autèm dixit , ſignificans , quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Joan. 21. 17. 18. 19. Quid , rogo , morti paſtoris cùm paſtu ovium? Num grex paſcendus cruore ? Jam ſi ovium rationalium cura demandatur ; numquid non miraculis potiùs , quàm ſanguine in ſalutifera paſcua ductarentur ? Minimè gentium. Mors indicitur Pe-

Superiorum exempla miraculis potiora.

Joan. 21. 17. 18. 19.

Bonus paſtor ſuo ſanguine paſcit oves.

Paupertatis vis ad infideles convertendos.

Petro, cum Chriſti gregi præficitur. Nulla de miraculis tunc mentio, quamquàm plurima patranda; una Crux illi prænuntiatur, una pœnarum congeries intimatur. Ut, nimirùm, à Summo Paſtore Vicarius diſceret, meliùs patientiâ, Cruce, & morte Chriſti oves fore paſcendas, quam miraculorum copiâ, & affluentiâ ſignorum.

Superior eget mortificatione.

20 Quid, quòd nulla plerumque ad ſuadendum miraculis vis ſubeſt; conſtantiæ vero, tolerantiæque potentiſſima ineſt energia? Inſigne miraculum claudi, à Joanne, & Petro erecti, univerſam Jeroſolymam mirifico ſtupore complevit. *Vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum... & impleti ſunt ſtupore, & extaſi, in eo quod contigerat illi.* Quòque tanto prodigio vis major accederet, ſumma eloquentiâ Petrus, ſummâque doctrinæ ubertate illud confirmare perrexit; validiſque argumentis Chriſti opus eſſe probavit. Quò fructu? Nullo. Nemo enim aut baptizari petjit, aut Chriſti virtutem confeſſus eſt. Obriguit multitudo ad ignita Petri verba. At non obriguit Scribarum farrago. Ad voces quippè Apoſtoli exarſit. Sed more ſuo, in rabiem, ſcilicèt. Quâ quidem ipſi furentes, comprehenſos Apoſtolos carceri manciparunt. *Loquentibus autèm illis ad populum, ſupervenerunt ſacerdotes, & Magiſtratus Templi, & Saducæi... & injecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam.* Act. 4. 1. 3. Quid porrò tùnc? Audi: *Multi autèm eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus numerus virorum quinque millia.* Ibid. 4. Ergo miraculi ſtupor, ſapientiæque fulgor nullum è plebe traxit ad Chriſtum, multos è ſenatu impellit in impium facinus. Vincula verò, carceriſque pœna plures audientium coëgerunt in fidem. Torpet multitudo, ubi exultat claudus. Currit ad Chriſtum, ubi vinciuntur Apoſtoli. Prævalent ergo exempla miraculis. Commota quippè eſt turba exemplò tolerantiæ, quę ad claudi erectionem perſtitit immota. *Injecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in carcerem. Multi autèm eorum, qui audierunt verbum, crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque millia.*

Apoſtolorum tolerantia miraculis potentior.

Act. 3. 9. 10.

Obſtinati indurātur ſermonibus, & prodigijs.

Act. 4. 1. 3.

Ibid. 4.

21 Sed quid attinet multis hoc propoſitum teſtimonijs fulcire, cùm præſtò ſit unum, cunctis, quæ adduci poſſent, nobiliſsimum, præſtantiſsimumque? Accipe illud ab ore Chriſti. *Et ego*, inquit, *ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Joan. 12. 32. Quid eſt: *Si exaltatus fuero à terra?* Exaltatus per reſurrectionem, & aſcenſionem, ait Chryſoſtomus. Sed meliùs alij paſsim: Si exaltatus fuero in Crucem, i. e. ſi in alta Cruce fuero ſuffixus. Id enim apertè Joannes ipſe explicans, ſubdit. *Hoc autèm dicebat, ſignificans quâ morte eſſet moriturus.* Ibidem. 33. Quis non hic potentiam Crucis demiretur! Quot extrà Crucem Dominus portenta edidit? Quantis ſeſe miraculis Omnipotentia explicuit? Infirmos curavit, cæcos illuminavit, claudos erexit, mundavit leproſos, dæmones abegit, mortuos ſuſcitavit. Nec tamen omnia ad ſe rapuit. Et quid dico omnia? Quinimò à pleriſque tum excludebatur, cùm emicabat portentis.

Vox exéplorū.

Joan. 12. 32.

Crux, & paſsio, exaltatio Chriſti.

Ibid. 33.

Crucis potentia maior, quàm miraculorum.

22 Duos dæmoniacos apud Geraſenos Salvator liberat, dæmonibus in porcos ingredi permittens; *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite.* Matth. 8. 31. Viſo autèm tanto miraculo, tantoque accepto beneficio, quid, putas, obſequij prę ſtitum à Geraſenis? Nimirùm, benefactorem præcantur, ut à ſuis finibus diſcedat. *Et ecce tota civitas exijt obviam Jeſu: & viſo eo, rogabant, ut à ſuis finibus diſcederet.* Ibid. 34. Minùs tædet ho-

Matth. 8. 31.

Ingratitudo.

Ibid. 34.

DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

homines ingratiſsimos familiaritatis dęmonum, quam Salvatoris præſentiæ. Sed Chriſto in Crucem ſublato vel Centuriones adhęrent, vel milites obſequuntur, vel latrones litant, vel omnis turba ſpectantium, dùm ſua pectora tundunt, confitetur. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quę fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* Luc. 23. 48. Et undè tàm mira rerum inverſio? Undè Dominus confidit, futurum, ut ad ſe omnia pertraheret, cùm fuiſſet actus in Crucem; qui pompâ miraculorum præfulgens, perpaucos attraxit, à multis fuit excluſus? Indè hominum corda ſe rapturum prædixit, undè maiùs virtutum exemplum mundo erat daturus. Id ſanè in Cruce præſtitit, ubi & pro hominbus pependit, & pro inimicis mortuus eſt, & pro crucifixoribus rogavit. Uſque adeò ad permulcenda corda mortalium, vel miracula Chriſti non tàm valida fuere, quàm exempla. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

Chriſti paſsi exemplum omnia ad ſe rapit.

Luc. 23. 48.

23 Illud quòque dignum conſideratione; quod non dixit: *Omnes traham*; quòd tamen S. Cyrillo, Chryſoſtomo, & Theophilato placuiſſe video; ſed *omnia*, quod magis ipſum emphaticum eſt. Nedum homines, verùm cælum quòque ac terram, angelos ità, & dæmones: efficiet namque, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Lapides tunc ſcindet, terram inſolitis motibus quatiet, monumenta aperiet, ſacrum Templi velum dirumpet, ſolem nigrabit, & ſiſtere coget. Tanta eſt optimi exempli potentia. Hinc conſequenter verbo ullo uſus eſt: *traham*: quod quamdam violentiam ſignificat. Virgilius. 2. *Æneid.*

— *Altaria ad ipſa trementem*
Traxit.

Chriſtus quomodò omnia traxit in Cruce.

Virgil.

Sanè Deus neminem cogit: nullius voluntati violentiam infert. Spontaneos ſervos vult nos, minimè invitos. Cæterùm Chriſti paſsi exemplo tanta efficacia ſub eſt, ut humanas voluntates, quaſi per vim raptas ad ſe trahat. *Omnia traham ad me ipſum.* Adeò eſt exemplorum, non eloquentiâ tantùm, verùm etiam miraculorum virtute, vis maior, energiorque. Linguis ergo hominum, & Angelorum loquatur Superior; Signis, & miraculis fulgeat; ſi tamèn caret exemplis, nihil, aut ferè, ſubditis proderit. Sit è contrario infantiſsimus ille, nulloque ſigno fulgeat; exemplis tamen virtutum emineat, cunctos inferiores celeriter ad ſe trahet, imò perducet ad Chriſtum. Tibi prius impera, ut alijs benè imperes.

Deus neminem cogit.

DISSERTATIO XII.

VANA GLORIA SPECTatore fovetur.

1 OPportunè Seneca lib. 14. epiſt. 95. propè finem: *Ubi teſtis, ac ſpeculator abceſsit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari, & conſpici, fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicuius ruſticę arboris umbra projectus, luxuriæ ſuæ ſolus pompam explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt: nec paucorum quidem, & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator, & conſcius. Nè concupiſcamus efficies, ſi, ut non oſtendamus, effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderant.* Quòt verba, tòt gemmæ. Conſilium erat, hic ſiſtere calamum: nè, videlicet, ſententias aureas meis cogitationibus

Vanæ gloriæ ſtudium, conſpici.

bus plumbeis deturparem. Sed, nè videar ſub humilitatis obtentu laborem velle refugere, operi inſiſtam.

Mulierũ luxus, & phaleræ.

2 Nimium Hebraicarum feminarum luxum graphicè Iſaias depingit loco ſæpè à nobis citato ex cap. 3. quem proinde repetere tædet. Putares, non mulieres à Propheta deſcribi; ſed officinas veſtiarias. Legere ibi licet extremæ vanitatis phaleras, exquiſitaſque femineę inſanię delicias: *Ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminariola, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamenta, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra.* Miraris tot, tamque peregrina nomina? Ingenia ſunt feminarum. Quorſum verò tot phaleræ? Spectari cupiebant. Ideo, ut notavit Propheta, *& nutibus oculorum ibant.* Nimirum, huc illuc convolvebant lumina, ſpectatores quærentes, quibus ornatùs ſui pompam oſtentarent. Ibant ergo oculis, non tàm ut ipſæ viderent, quàm ut viderentur: niſi enim ſpes foret inveniendi qui ſe aſpicerent, neque ſtuderent ornatui, neque in publicum prodirent. Quę enim femina pretioſam, quam nulli oſtenderet, induit veſtem? Quæ mundum muliebrem niſi ad theatra, hominumque frequentiam comparavit? Profectò nulla ſe comit, ut lateat: nulla ſuis tantùm oculis fulget.

Iſai. 3. 18.

Mulierum ornatus ad oſtentationem.

Mulier phalerata, ambulatrix.

3 Ideo etiam, quas vaniſsimè ornatas Propheta depingit, eaſdem deſcribit & vagas, & inquietas, & ambulatrices: *Ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Quater notavit diligentiſsimus Vates harum mulierum inceſſum; ut oſtenderet, feminas non ob aliud ornare ſeſe, niſi ut in pubicum prodeant. Femina examuſsim compta domi conſiſtere nequit. Pruriunt ipſi pedes, ut quærat admiratores ſui. Ergo, quòd luxum amant, quòd plateas obambulant, quòd theatra frequentant, quòd turbis ſe immiſcent; oculi ſpectantium, quibus impensè placere ſtudent, efficiunt. Tolle ſpectatores, & luxum feminarum tolles.

Ibid. 16.

Inceſſus feminarũ crepitans.

4 Hùc etiam pertinet compoſitus ille gradus à Propheta notatus: *Compoſito gradu incedebant.* Recole quæ diximus *num.* 19. *Expoſit. Liter.* feminas nempè, maximè divites, annulos quoſdam aureos, vel argenteos in cruribus; aut, veriùs margaritas in calceis, geſtare ſolitas, quorum coliſione modulatum quemdam ſonitum, & tinnitum edebant. Unde alij legunt: *Pedibus ſuis tinniebant.* Quo hic ſtrepitus? Haũd obſcurum eſt agnoſcere. Videri cupiebant pompoſæ feminæ: ideo in inceſſu cogebant ſonare gemmas, ut quaſi pulſato cymbalo turbam convocarent ad ſpectaculum ſui. *Pedibus ſuis tinniebant.*

Vanâ gloriâ omnes afflãtur.

5 Verùm haũd ſolius levitatis femineæ hoc vitium eſt; omnes hac aurâ feruntur. Filij vanitatis in eo ſunt toti, ut inſaniæ ſuæ habeant admiratores, & conſcios. Audi Zachariam: *Et vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium.* Obſcuri portenti declarationem quærens à Domino Vates, hoc reſponſum accepit: *Iſti ſunt quatuor venti.* Non me fugit ſolemnis Doctorum interpretatio, quę in his quatuor ventis agnoſcit quatuor celeberrima, & notiſsima Orbis Imperia, quorum & in ſacris literis frequens mentio: quæ & benè dicuntur venti; quoniam omnia, quæ cælo ſubſunt, nihil aliud profecto ſunt, quàm ventus, & vanitas.

Zach. 6. 1.

Quadrigæ vanitatis.

Ibid. 5.

6 Sed alia, humilior certè, cogitatio ſuccurrit ex ipſius equi

natura, & conditionibus deprompta. In equo enim & venuſtas ſplendet, & nobilitas pollet, & fortitudo viget, & divitiæ florent. De primo eſt illud ingenioſi Poetæ, quo dictus eſt equus *pulcritudo naturæ*. Secundum probat Ovidianum carmen Eleg. 3.

Equus terrenarum felicitatũ ſymbolum.

Claud.

Ovid. *Non ego nobilium venio ſpectator equorum.*

Tertium patet ex illo Lucretij lib. 4.

Lucret. *Quippe videbis equos fortes, cùm membra jacebunt.*

Quartum liquet ex eo, quòd pretioſiſsimi habentur, & ditiſsimè ornari conſueverunt. Undè illa irriſio Livij: *Equus tuus ſpecioſiùs inſtratus erit, quàm uxor tua?* Quatuor ergo mundi bona, & de quibus ſolent homines gloriari plurimùm, convenienter in quatuor illis quadrigis deſignantur: ob idque totidem erant colorum varietate diſtinctæ. *In quadriga prima equi rufi, & in quadriga ſecunda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.*

Ibid. 2.

6 Modò animadvertas velim quadrigarum ſemitam. Medios inter montes, ſed montes æneos, vidit Propheta currentes. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.* Quid hic latet myſteriorum? Siquid capio, ſiquid ſapio, videor mihi videre vaniſsimæ jactantiæ ſimulacrum. Pulcritudo, divitiæ, potentia, nobilitas, & ſiquæ aliæ ſunt ornamenta terrena, ſcenam deſiderant. Ideo loca ſublimiora percurrunt, unde pluribus ſe oſtentent. Nequit civitas abſcondi ſuper montem poſita. Et pompæ felicitatis humanæ, quò magis pateant omnium oculis, montes eligunt inceſſui. *Egredientes de medio duorum montium.*

Humanæ gloriæ oſtentatio.

Ibid. 1.

7 Inſuper notatu dignum, quòd montes illi haud erant terrei, nec ſaxei, ſed ærei. *Et montes, montes ærei.* O vanitatis portentum! Mundanæ gloriæ quadrigas piget per montes terreos, & vel per ſaxeos diſcurrere; ſolos æneos delectat terere, premere, quatere. Sonantiores montes amant: ſurdos negligunt, aut minùs ſtrepitantes. Quid ità? Quoniam inanis gloriolæ ſectatoribus illa maximè placent theatra, ubi maiorem fortunarum ſuarum ſtrepitum edere poſsint. Terrei montes facilè cedunt contactui: adeoque molliores ſunt, quàm ut vel duris ſonipedum unguliſ clarè reſpondeant. Montes lapidei, ut ſolidiores humo, ita vehementiùs ſtrident. Cæterùm ærei præcunctis ſunt clamoſiores. Unde Naſo 3. *Metam.* appellavit æs canorum.

Et ſtrepitus.

Quem bellicus ære canoro ſigna dedit tibicen. Ovid.

Et ſonorum Claudianus.

Non te progenitum Cybeleius ære ſonoro. Claud.

Stridens Virgilius. 8. *Æneid.*

Alij ſtridentia tingant æra lacu. Virgil.

Ergo ut vehementioti ſtrepitu turbas hominum excitent in admirationem ſui, montes æreos percurrunt mundanæ felicitatis quadrigę. *Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.*

8 Sed videamus tantæ ambitionis ſucceſſum. Certè ſpem ſeges mentitur: irriſiones quippè metit, undé ſperabat applauſus. Nam cùm ſpectator quærit: *Quid ſunt hæc?* Oppidò reſpondet Angelus: *Iſti ſunt quatuor venti.* Jam omnes noverunt, Angelo docente, mundanæ gloriæ quadrigas nihil eſſe aliud quam ventus, & ventus. Pulchritudo formæ, de quà maximè gloriantur feminę: quæque à viris etiam, pudor! haud parùm coli adſolet; quid tandem eſt niſi levis aura? *Iſti ſunt quatuor venti.* Divitiarum acervi; auri, & argenti affluentia *quid ſunt?* Ventorum flatus. *Iſti ſunt quator venti.* Corporis vires, bona valetudo, firma juventus *quid ſunt?* Aër, & aër. *Iſti ſunt*

Superborum pœna.

Ibid. 4.

Tota mundi gloria nil, niſi

ſunt quatuor venti. Denique ſplendor natalium, Titulorum decus, alta nomina *quid ſunt?* Eructationes ventoſę. *Iſti ſunt quatuor venti.* Ità pronuntiant Angeli in re felicitatis humanæ.

Mundi gloria carò emitur.

9 Surdeſcunt tamèn homines ad cæleſtia monita: & quaſi ad nil aliud nati fuiſſent, niſi ut uni gloriæ vanæ inſervirent; huic laborare non ceſſant: huic ſtudia ſua conſecrant: huic divitias omnes effundunt. Subdubitas? Mecum rem omnem conſidera. Quantum æris prodigit deformis femina, ut vitia corporis emendet, vænalique pulcritudine oculos ſpectantium illudat? Hinc aſcitæ comulæ, dentes conficti, faciei medicamina, gemmarum auxilium, totiuſque mundi muliebris lauta ſupellex. Jam, pro cute curanda quot homo facit impenſas? Nullis parcit ſumptibus ęger, ut perditam ſalutem recuperet. Mulier illa ſanguiniflua, cuius meminit Lucas, *in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam: nec ab ullo potuit curari.* Ità evenit plerumque: ſubſtantiæ erogantur in phyſicos, & infirmi non curantur. Arcæ vacuantur pecunijs; corpora non vacuantur moleſtijs. Ditantur medici; depauperantur ęgroti. Adeò ſtultè prodigi ſumus, quòd ſalutem corporis nimiùm amamus.

Pulcritudo ficta.

Salutem corporis impensè diligimus.

Luc. 8. 45.

Medicis parùm fidendum.

Divitiarum fames.

10 Age, & divitiarum hydropiſin perpende. Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogit? Cogit in rapinas, & cædes; cogit in diſcrimina maris; cogit in viſcera montium; cogit in novos orbes. Nimirum, ad oſtentationem nil tàm valet, quàm divitiæ: Obid que expetuntur, amantur, quęruntur per mare, per terras, perque omnia climata mundi. Quid de ambitu nobilitatis dicemus? Quantum auri effunditur pro luteis cunis deaurandis? Quanta divitiarum congeries pro illuſtranda obſcuritate ſanguinis? Quot exhauriuntur theſauri pro comparando altiore nobilitatis ſymbolo? Quorſum verò tàm immodica pecuniarum prodigentia? Videlicet, ut illò ſigno honoris in admirationem traducatur Vulgus: habeatque quo paſcat oculos novo ambitionis inventu. Abſit malignus Interpres. Non damno Inſignia nobilitatis, & honoris: quæ quidem cenſeo digniſsima laude: ſunt enim virtutis & calcar, & pręmium. Jactantiam odi in eo, qui geſtat; in eo qui non habet, ambitionem. Ergo nullis ſumptibus parcitur, ut colluſtrentur umbræ natalium: nihilque mortales non agunt, ut ex filijs terræ in filios æris recudantur. *Iſti ſunt quatuor venti.*

Nobilitatis jactantia.

Titulorum ambitio, & faſtus.

11 Hinc, quaſi ex quodam vanitatis pelago, reliquarum etiam pomparum ſæcularium flumina derivantur. Hinc bigarum, & quadrigarum inſana multiplicatio. Hinc copioſi greges ſervorum, & ancillarum. Hinc ędificiorum ſuperbia, & conviviorum luxus. Hęc omnia excogitavit non neceſsitas, non utilitas; ſed pruritus vanę gloriæ. Percurramus ſingula. De Abſalone refert ſacra Pagina, quod *fecit ſibi currus.* Sibi? Atqui uno homini una rheda ſufficit. Quis enim plures ſimul occupare valet? Ad quid ergo multiplicatio curruum? Nimirum, unus ad uſum, & commodum; reliqui ad pompam. Salomon inter ſuæ vanitatis deliria connumerat ſervorum, & ancillarum examina. *Poſſedi ſervos, & ancillas, multamque familiam habui, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.* Villalpandus ex alijs Scripturæ locis benè colligit, familiam Salomonis quadraginta octomillia hominum ſuperaſſe. Principum vaniſsimus; ſicut omnes antecelluit faſtu; ita & ſervorum apparatur præivit.

2. Reg. 15. 1.

Currus ad pompam.

Servi ad pompam.

Eccle. 2. 7.

12 Deinde, ſuperbæ ædificiorum moles, quid aliud ſunt quàm inanis gloriæ laborioſi conatus? Audi ſuperborum hominum conſilium: *Faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen*

Ædificia ad pompam.

men pertingat ad cœlum. Præclarum cogitatum! Invenerunt desertæ orbis Incolæ, quibus & cæli moleſtias arcere, & alterius diluvij furorem eludere poſſent. Fallimur. Non enim cogitabant ipſi civitatem, aut turrim incolere, quarum meditabantur extructionem. Imo in votis habebant diſceſſum, poſtquàm hæc opera conſumaſſent; quod patet ex verbis illis: *Antequam dividamur in univerſas terras.* Quonam igitur ſtudio immaniſſima ædificia aggrediuntur, quæ ipſi habituri non ſunt? Ambitione vanæ gloriæ. Ipſi ſe explicant: *Et celebremus nomen noſtrum antequàm dividamur in univerſas terras.* Ergo quòd excitatur Babylon; quòd turris in cœlum erigitur; quòd filij hominum ſidera ſcandere ædificiorum mole præſumunt; haud humanæ commoditatis amor eſt; ſed inſanus ardor celebrandi nominis.

Ibid.

Gloriæ vanæ ſtudium.

O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane!

13 Sed utinam ſolus campus Senaar fuiſſet tantæ dementiæ teſtis. Huic vanitati totus mundus theatrum eſt. Gemit orbis immanium ædificiorum pondere. Conſtruuntur paſsim domus ampliſsimæ, palatia magnificentiſsima, turres in cœlum minantes: idque non à Principibus tantùm, quibus multa licent; ſed à publicanis, & mercatoribus, & popularibus, & terræ filijs. Nemo, ſi modo dives ſit, non ventoſas domos meditatur, aereaſque turres; non quidem ad humanos uſus commodiores; ſed opportuniores ad famæ propagationem. *Faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum antequam dividamur in univerſas terras.*

Ædificiorum luxus.

14 Denique luxum conviviorum attende. Nullus eſt menſarum modus: quippè multò plura præparantur ad pompam, quàm ad voluptatem. Audi Dominum: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.* Quot ſunt hi multi? Tres duntaxat fuere vocati: ille, qui villam emerat; alius, qui uxorem duxerat; tertius, qui juga boum quinque mercatus fuerat. *Villam emi. Uxorem duxi. Juga boum emi quinque.* O prodigioſam divitum ingluviem! Ubi lucupletes homines invitantur ad menſam, tres ſunt multi: & quaſi multis paratur convivium: quia, nimirum, homines nati conſumere fruges, multi ſemper ſunt ad devorandum, quamvis pauci cenſeantur ad numerum. *Fecit cœnam magnam, & vocavit multos.*

Convivia ad pompam.

Luc. 14. 16.

Ibid. 20.

Divitum ingluvies.

15 Hoc quàm ſit verum, ex eadem parabola liquidò patet. Nam ubi Paterfamilias deluſum ſe ab illis tribus divitibus agnovit, protinus ablegavit ſervos, qui omnium pauperum greges ex plateis, viciſque civitatis collectos, traheret ad cœnam. *Exi citò in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introdùc hùc.* Quòdque ſtupendum magis, poſt tantorum pauperum confluentiam, pluribus adhùc reſtabat locus: unde iterum amandatur ſervus in vias, & ſepes, ut inde quoque pauperes pertrahat in cœnam. *Ait ſervus: Domine, factum eſt, ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo: Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare.* Mirum! Cœna illa, cui abſumendæ non fuerunt ſatis innumerabilium pauperum farragines, tribus duntaxat divitibus parata fuerat. O ventres capaciſsimos! O ſtomachos inexplebiles! Tres tantùm illas valent epulas devorare, quas totius civitatis rabidi ventres abſumere non potuerunt. *Adhuc locus eſt.*

Vocatio Dei ſpreta quærit alios, qui ſibi obediant.

Ibid. 21.

Plus dives unus edit, quàm multi pauperes.

Ibid. 22.

16 Verùm, quamquàm hinc ſatis divitum ingluvies appareat; incredibile tamèn eſt, tres tantùm homines potuiſſe illud epulum obligurire, quod ab immenſa ferè pauperum frequentia non valuit abſumi. Quid ergo tribus paratur

Conviviorum luxus in oculorum paſtum.

ratur convivium, integræ cohorti non parcum? Conſpicuum eſt, cœnam illam non tàm in amicorum gratiam fuiſſe inſtructam, quàm in gloriam Invitatoris. Equidem qui plura appoſuit fercula, quàm quæ poſſent edere hoſpites, ſatis oſtendit, magis ſe illorum oculos paſcere voluiſſe, quàm ventres: atque admiratores quæſiſſe veriùs, quàm epulones. Ideo ex cœna faciens ſcenam, multo plura paravit ſpectanda, quàm edenda. *Adhuc locus eſt.* Sic paſsim aguntur convivia apud ſectatores vanitatis.

Divites ſeſe excuſantes à danda eleemoſyna.

17 Dicant modò, ut ſæpè dicunt, ſacrificuli mundanæ gloriæ, ſe ob inopiam dare eleemoſynam non poſſe. Excuſatio ſæpè vera; ſemper tamèn frigida. Inopia, quam multi patiuntur, à nimiâ copia ortum habet. Summa prodigentia mater eſt ſummæ indigentiæ. In Ægypto poſt boves pingues apparent macerrimæ, ſpicaſque gravidas ſequuntur ſteriles. Abſcindantur ſuperflui conviviorum ſumptus, & me hercule non deerit, quod pauperibus erogetur. Ecce ut ex uno convivio tribus tantùm divitibus preparato, habuit Paterfamilias quo totius civitatis pauperes largè cibaret. Quoniam ab fuerunt divites, quorum paſceret oculos, non defuerunt eſcæ, quibus egenorum viſcera recrearet. Si tres illi viri affuiſſent convivio, tota pauperum turba pernoctaſſet incœnis. Satura obdormivit, quòd tres noluerunt venire. Ergo non deerunt eſcæ ad refectionem pauperum, ſi modò convivia non inſtruantur ad pompam.

Prodigétia mater indigentiæ.

Eleemoſynarũ penuria ex cõviviorum luxu.

Ad eleemoſynã multitudo ſervorũ ablegãda.

18 Abſcindantur etiam immodicæ ſervorum, pediſequarum, & ancillarum copiæ, quibus pompatico ſęculo hoc noſtro, nedum Principum domus, verùm & medioximorum hominum abundare conſpicimus; & tunc ſupererunt facultates ad pauperes ſublevandos. Frequenter apud Martham, & ſororem eius Mariam Dominus cum diſcipulis ſuis hoſpitabatur. Quæret aliquis; unde feminis, non quidem pauperibus, ſed nec præditibus, tanta rerum abundantia; ut turbam hominum ſatis numeroſam (ſunt qui ſupra nonaginta protrahant) extemporaneis convivijs alere poſſent? In promptu eſt quid illi reſpondeatur. Scilicet, ſervam nullam habuiſſe leguntur: idque inde benè colligitur, quòd Martha cum Domino conqueſta eſt de otio ſororis, quo ipſa cogebatur miniſtrare ſola. *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium: quę ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* In illa ergo domo, ſi altera ſõrorum vacabat otio, altera laborabat ſola. Ancilla nulla erat, qui levaret onus. Sola Martha totum negotium miniſtrandi ſuſtinet, ubi à Maria non juvatur. Ergo ſibi ipſis præclaræ illæ feminę ſufficiebant: nec dedignabantur humiliora domûs miniſteria ſuis manibus exercere. Ideo ancillarum devitato famulitio, habuerunt cumulate, quo Chriſtum D. eiuſque numeroſam gregem ſæpè alerent.

Luc. 10. 40.

Marthæ, & Mariæ humilitas.

Nobiles feminæ non dedignentur ſervilia munera exercere.

19 Sed efficacius exemplum præbet Tobias, inſpecta fortunarum ſuarum diſpare conditione. In captivitate namque conſtitutus vir nobilis, quamvis non omni prorſus facultate carebat; ſatis tamèn ærumnoſam vitam agere cogebatur. Unde aiebat ipſe: *Pauperem quidem vitam gerimus.* Mirandum tamen eſt, quod de ipſo narrat ſacra Pagina: *Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſolicitus exibebat.* Quomodo vir tenuis fortunæ tot tantaque præſtitit miſericordiæ opera, quanta vix ſperari poſsint à potentioribus ævi noſtri? Ille inter anguſtias captivitatis habuit quo paſsim nudos operiret, quo eſurientes reficeret, quò funeraret, concaptivorum ca-

S. Tobiæ eleemoſynæ, unde.

Tob. 4. 23.

Ibid. 1. 20.

davera. Quis vel ampliſsimæ fortunæ vir pauperes ſic veſtit, famelicos alit, mortuos ſepelit? Non poſſunt. Et cur opulentiores non poſſunt, quod potuit pauper? An quia eleemoſyna parit divitias; inhumanitas extinguit? An ideo, quia, quamvis eſſet vir nobilitate inſignis, non dedignatus eſt ſuis ipſe manibus laborare: nec putavit dedecus, uxorem ſuam inſervire textrino, ut victum quæreret? *Ana uxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum, quem conſequi poterat, deferebat.* Ecce eleemoſynarum perennem ſcaturiginem. Longè à Tobiæ domo apparatus ſervorum, & ancillarum; longè veſtimentorum pompæ; longè oſtentatio curruum, & equorum; longè conviviorum luxus; longè denique faſtus omnis, & vana gloria. Potuit ſanè Tobias, potuit uxor honoris prætextu his lautitijs gloriam captare. Cur enim non poſſent Principum more ſe gerere in luxu, qui eleemoſynarum profuſione Principum magnificentiam exæquabant? Sed quia nihil dederunt faſtui; ideo habuerunt copioſiſsimè, quòd pauperibus donarent. *Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, & mortuis atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat.*

Eleemoſyna divitias parit: inhumanitas extinguit.

Ibi. 2. 19.

Eleemoſynarũ fons luxus devitatus.

20 Agite nunc divites pompoſi, plorate ululantes in confuſione veſtra, quæ adveniet vobis. Aderit quippè dies, quâ oculos hominum, quibus modò impensè nimis placere ſtudetis, effugere conemini, nec valeatis. Aderit, inquam, inquam, judicij dies, quo faſtum inanem, de quo nunc maximoperè gloriamini, abſcondere cupiatis, nec licebit. Audi Evangelicum Vatem. *Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? Ubi derelinquetis gloriam veſtram?* Diem extremum heic deſignari clariùs eſſe puto, quàm ut confirmari petat. Sed quanta eſt illa minitatio: *Ubi derelinquetis gloriam veſtram?* Quid quod non derelinquant? O plenum dolore nuntium! Ducent, ducent humanæ gloriæ ſectatores in illud orbis theatrum omnium pomparum ſuarum luxum: tantoque rubore ducent, quanta cum voluptate nunc oſtentant. Apparebunt ibi ſæculi potentes cum pompa rhedarum, equorum, & ſervorum. Apparebunt & feminæ cum gemmis, unguentis, criſpaturis, pompoſis veſtibus, omnibuſque vanitatis inventionibus. Apparebunt & homines diſacutuli, & comptuli; quorumque gloria eſt, videri feminas, cum lenocijs veneris, & illecebris vitiorum. Apparebit denique quiſque cum ſuæ vanitatis teſſerâ. O infeliciſsimi hominum! *Ubi derelinquetis gloriam veſtram?* Adſtabitis turpiter glorioſi coram ignominia Crucis, humilitate Chriſti, Apoſtolorum paupertate, Martyrum tormentis, Confeſſorum cilicijs, Pœnitentium lacrymis. O quàm vobis pudendam tunc ſcenam dabitis, cùm apparebitis pompoſi, ubi Chriſti opprobrium triumphum aget! Tormentum erit aſpici, quod modò voluptas. Erubeſcetis oculos, quos ſtultè deperitis.

Judicij dies rũbore cõfundet ſęculare pompam.

Iſai 10. 3.

COM-

JESUS, MARIA, Y JOSEPH.

COMMUTATIO OCTAVA.

AURES VIDENTES.

AUDIVIT DEUS. PSALM. 77. 59.

EXPOSITIO LITERALIS.

1 SEcundus ſenſus, auditus eſt, qui percipit ſonum auribus, per ſpiritum infuſum. Omnium ſenſuum nobiliſsimus, ſi unum oculum excipias. Cujus tamen eſt æmulator adeo non infelix; ut non facilè dixeris, utriûs privatio maximè lugenda ſit. Quantùm quippè humanus oculus ad fruendum mirâ omnium rerum pulcritudine, quantùm ad vitæ dulcedinem neceſſarius eſt; tantumdèm ad cunctarum rerum cognitionem, ad artes, diſciplinas, ſcientiaſque adipiſcendas auditus noſter valet. Ariſtoteles humanam aurem ſenſum diſciplinæ appellavit, oculum inventionis. Hunc potrò ad hominum convictum eſſe utiliorem, experimentiâ diſcimus. Rectum itaque ordinem ſervamus, cùm poſt diſcuſſas Commutationes, quæ ad oculos pertinere ſunt viſæ, eas, quas concernere aures notavimus, illuſtrandas aggredimur. Organum viſûs tot particulis, muſculis, tu-

Sénſus auditûs nobiliſsimus poſt viſum.

Auris ſenſus diſciplinarum.

Ordo in Commutationibus.

tunicis, humoribus, nervis, arterijs, & venis, ſupra quam mortalium ratio comprehendere valeat, concinatum eſt; ſed non minùs ſtupendo artificio auditus in tot labyrinthis, cochleis, feneſtellis, timpanis, aquæductibus, & oſsiculis fabrefactus. Vocantur autem latinè *aures*, *eo quòd voces hauriant*. Hinc Virgilius 3. Æneid.

Aurium ethimologia.

Virgil.

Vocemque his auribus hauſi.

2 Hę porrò aures, cùm in id ſint deſtinatæ, ut ſonum excipiant, qui & ſui natura ſurſum fertur; ideò ſublimem locum obtinent; à latere, videlicet, oculorum, quibuſque in eodem gradu aſsident. Foris patulæ ſunt, intùs flexuoſæ, & tortuoſæ, ut per anfractus hujuſmodi, paulatim ſonos recipiant; nè ſoni magnitudine ſenſus lędatur. Hinc apud famoſiſsimum Hippocratem aures bipartiuntur in exteriorem, & internam: quarum illa propriè *auricula* nominatur. Hujus figura ſemicircularis eſt, incavata ad quamdam ſimilitudinem antri; ut, ſcilicet, aerem ſonantem concipere poſsit. Undè frequenter manum cavam applicamus auri, ut recollecto majore ſpiritu, meliùs audire valeamus. Ob id Adrianus Imperator, quòd gravioris eſſet auditûs, concavam manum auribus admovêre ſolitus fuit, ut, antro capaciore formato, auram copioſiorem imbiberet. Id quòque animalia docent, qui aures arrigunt, cùm meliùs ſonum haurire deſiderant, ut Galenus obſervavit *lib.* 11. *de Uſu part. cap.* 12. Qui etiam docet, eis, quibus aures detruncatæ fuerint, verba loquentium non ſecùs audiri, ac prętерlabentium aquarum ſuſurrum, aut cicadarum ſtrepentium querelam. Hinc per *arrectas auriculas cervi* accerrimum auditum ſignificare conſuetum; contrà verò pro ſurditate *eaſdem demiſſas* pingere: quia cervi, cùm arrexére aures, acutiſsimi ſunt auditûs; cùm remiſsêre, vix primum excipiunt ſonum. *Pier. Valer.* lib. 7.

Auris interna, & externa.

Auris externæ figura.

Auris arrepta meliùs audit.

Galen.

Aures ſurrectæ, demiſſæ, cuius ſymbolum.

3 Auris interior, aut verò organum auditûs, poſitum, & fundatum in oſſe petroſo, ijs oſsibus vicina eſt, quæ in ſimilitudinem mamillarum eriguntur: os autem hoc portionem oſsis jugalis efformat. Galenus lib. 8. *de uſu part.* Oppoſitum foramini eſſe os petroſum tradit, & anfractus conſtitutos, nè aër directè receptus, refri-

Auris internæ deſcriptio.

Galen.

frigeret cerebrum, nevè indè ſurditas accedat. Et rurſum in oſſe petroſo eſſe meatum auditûs docet, *lib. de Oſsib. ad Tyron.* cuius meatus via ſi obturetur, fit ſurditas: potiſsimùm ſi ſubeat materia vilioſa. Hippocrates 4. *Aphoriſ. aphor.* 26. Et ibi Galenus. Exemplo poteſt inſervire etiam, quod aeris ingreſsione, & inflatione venarum reſtringatur auditus, & hebeſcat oſcitatione. Dùm enim oſcitamus, audiendi facultas tollitur: ſpiritus enim, ut in os, ita in aures irrumpens, membranam expellit, ac prohibet, quo minùs aer ingrediatur. Ariſtoteles *lib. Problem. ſect.* 32. *quæſt.* 12. ſic melius audimus, cùm ſpiritum retinemus: quia, nimirùm, per reſpirationem, & cùm reddimus ſpiritum, ſanguis aſcendit, & obſtruit meatus; cùm verò retinemus, attrahimus, & externus aer recipitur. Idem Ariſtoteles *Problem.* ſect. 11. quęſt. 41. Item, quod reſpiratio non nihil movet ſtrepitus, quibus impeditur auditus. Quatuor porrò meatus, qui auri huic internæ eſſentiam præbere dicuntur, Anotomici diligentiores obſervarunt. Primus eſt ille, qui neminem latet, eo quòd ſempet apertus ſit, & patens, omniumque oculis expoſitus. Secundus eſt, quem *Limacem*, aut *Catinum* Ariſtoteles appellat. Tertium dicunt *Labyrinthum*; Quartum denique *Cochleam*. Quorum naturas, utilitates, & officia, ſi quis ſcire aveat, legat, quæ ſcripſit Vir Doctiſsimus Andreas Laurentius. Nos ea ſola damus, quæ noſtro inſtituto non incongruè deſervire poſſe arbitramur.

Hippoc.

Oſcitatio cur impedit auditum.

Ariſtot.

Andr. Laur.

4 Quâ vero ratione auditus, vel auſcultatio fiat, ut quæſtio curioſa eſt; ita & implicatiſsima. Id quod Philoſophos in diverſas opiniones diſperſit. Alcmeon ait, nos audire inani, inteſtinâque aurium parte, & hoc eſſe, quod ſpiritu irrumpente perſonent: omnia namque cava ſonitum edere ſolent. Diogenes putat, in cerebro aerem contineri, atque hunc feriri voce. Sunt, qui dixêre, ipſum adeò cerebrum de concavitatibus ſuis ſonum repercutere: quod tamèn ejus naturæ repugnare videtur, quæ humida eſt; humida verò ſonum non edunt. Galenus autèm, aures & ſonum recipere, & edere aliquem dixit *lib.* 11. *de Uſu part. cap.* 12. quod certè quis facile probabit, ſi manûs volam, vel aliud cavum auribus admo-

Quomodo fiat auditus.

Diverſa Philoſophorum placita.

Alcmen.

Diogen.

Galen.

Plato. veat. Sic & Plato in *Timæo*. Omnino igitur, inquit, vocem ponamus pulſationem quamdam ab aere per aures, cerebrumque & ſanguinem uſque ad animam penetrantem : natamque ex ea motionem incipientem à capite, & in ſedem jecoris deſinentem, auditum vocemus. Zeno audire nos ait, cum is, qui inter loquentem, & audientem eſt aer, verberatur orbiculariter, deindè agitatus auribus influit. Alij alia ſentiunt apud Plutarchum *de Placit. philoſoph. lib. 4. cap. 16.* Moderni ajunt, antiquos organum auditûs ignoraſſe, inter quos ipſum adeo Hippocratem, & Galenum numerant: de eorumque ſcriptis documenta vera, exactamque doctrinam ſuper hoc trahi poſſe negant.

Zeno.

Plutarch.

Ariſtot. 5 Tria autem, nempè, objectum, medium, & inſtrumentum ad operationem ſenſûs, & ſenſibilis requiri, in confeſſo eſt apud omnes cum Philoſophorum Principe 2. *de Anim.* Objectum auditûs ſonus; quemadmodum viſûs eſt color, ſeu lucidum coloratum, ut diximus *tom. 1. Commut. 1. num. 17.* Medium auditûs eſt aer exterior : id quod Ariſtotelem fecit ambigere; an vox in aquis audiri poſſet : quamvis jam experientia docuerit, piſces ſub aquas diſtinctiſsime audire. Inſtrumentum porrò auditûs auris potiùs interior eſt, quàm exterior, quæque in quaternis cavitatibus, alijſque inſuper particulis, ab antiquis ignoratis, conſiſtit. Hinc probabiliſsimum apparet, auditum hoc formari modo: Exterior aer per corpora dura, & ſolida percuſſus, vicinum ſibi aerem afficit; hic rurſum ſibi proximiorem, hic immediatum, iſte alium, & ſic deinceps, donec ad auriculam perveniat. Non ſecùs ac in puteo videre licet, quo injectus lapis circulum ſuper circulum excitat; undáque undam propagat, uſque dum terminos ſuos attigerit. Pari modo & illa aeris undulatio fit, donèc conquieſcit in aure. Eleganter Avicena hanc ipſam aeris continuam percuſsionem *undam vocalem appellat.* Hæc autem propagatio non unô fit momentô, ſed temporis ſucceſſu. Videmus enim, quod, ſi procul à nobis percuſsio fiat, ipſa quidem cernitur ſtatim, ſonus autem tardiùs auditur. Et hæc de auditu & ſono, phi-

Objectum, medium, & inſtrumentum auditûs.

Soni propagatio

Avicena.

Unda vocalis.

lo-

ſoſophicè tractata pro ſolidiori fundamento Expoſitionis literalis.

6 Ergo ad Commutationem : *Audivit Deus*, inquit Regius Vates. Pſal. 77. 59. Quid audivit ? Poſt enarrata ingentia beneficia, à Domino genti Hebræorum collata, deſcribit Propheta ingratiſsimorum hominum pravitatem, qui paſsim contrà propitium ſibi Numen rebellantes, in id quòque dementiæ proruere ; ut dæmonibus templa erigere, nefandumque thus adolere non ſint veriti. *Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelſum : & teſtimonia ejus non cuſtodierunt. Et averterunt ſe, & non ſervaverunt pactum : quemadmodum patres eorum, converſi ſunt in arcum pravum. In iram concitaverunt eum in collibus ſuis: & in ſcultilibus ſuis ad æmulationem eum provocaverunt. Audivit Deus.* Ibid. à *Verſ.* 56. Vide quid Dominus dicatur audiſſe : *Idololatriam*, videlicet. Sed quale commercium habet idololatria cum auribus ? Nùm coràm idolis procumbere, manus tendere, adolere Thura, pecudes immolare, mactare filios, & cętera hujuſmodi, ad aurium juriſdictionem pertinent ullo pacto ? Sanè iſthęc omnia videri quidèm poſſunt ; audiri verò nullatenùs. Videri quidem poſſunt ; quoniam induta coloribus. Audiri verò non poſſunt ; quippè nullo ſonô prædita: porrò ubi non eſt ſonus, jus nullum habet auditiva potentia. Objectum auditûs ſonus eſt dumtaxàt ; quemadmodum viſûs ſolùm eſt color. Ex quo neceſſario fit, ut ſicut viſus non niſi ad colorata ſe valeat extendere ; ità nequeat auditus niſi ſonantia percipere. Vide quæ diximus *tom.* 1. *Commut.* 2. num. 16. Neque enim æqua ratio permittit, bis eadem, quamvis aliâs opportùna, reproducere. Quônam igitur pacto, Deus dicitur audiſſe Idololatriam, cujus opera videntur carere voce ? En nodoſam Commutationem, cui ſatis explicandæ haùd quævis diligentia ſufficiat.

Senſus loci. Pſal. 77. 59.

Ibid. 56.

Idololatria cur dicatur audita?

Ratio dubitandi.

7 R. Kimhi ità exponit, ut verbum *audivit* referat non ad opera, ſed ad verba idololatrarum ; nempe, blaſphemias, quas in verum Numen ructabant. Idololatrę enim hoc ipſo, quod pro Deo colunt idola, nedùm re ipſâ Deum blaſphemant ; verùm & verbis, ac hymnis celebrantes idola ſua, Deum verbalitèr laceſſunt blaſphemijs.

1. Expoſitio.

Idololatræ re ipſâ & verbis blaſphemi.

mijs. Undè apud Iſaiam 1. 4. defectio à Deo blaſphemiæ conjungitur. *Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael.* Et quidem Hebræos acuiſſe vipereas linguas in Deum, ejuſque Omnipotentię allatraſſe, apertè idem Regius Vates laudato Pſalmo prædixerat illis verbis: *Et malè locuti ſunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Numquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?* Pſal. 77. 19. 20. Planiſſima igitur erit interpretatio, ſi dicamus, Deum aut blaſphemias, aut murmurationes Hebræorum audiviſſe. Cæterùm hæc expoſitio difficultatem fugere videtur, non ſolvere. Neque enim, ut ex contextu apparet, ſolas Idololatrarum voces Numen audiſſe narratur, verùm & impijſsima, nefandàque eorum opera: Ingratiſsimus namque populus, ut luxit Magalianus.

Iſai. 1. 4.

Pſal. 77. 19. 20.

Magalian.

Quòd dilectus erat, pingueſcere cæpit, & inſtàr
Luxuriare feri plena ad præſepia tauri,
Calcibus inſultans, diſtento abdomine pinguis,
Auctorem vitæ Dominum, patrémque reliquit:
Poſt habitôque Deo muta ad animalia receſsit.

8 Ergo hâc expoſitione, utpotè abjectâ, pauloque frigidiore, poſt habita, placet ſublimior, quæ tantam aures inter & oculos familiaritatem agnoſcit; ut ſæpè proindè ab altero ſenſu ad alium elegantem fieri translationem affirmet: Undè, ſicut *Videre* interdùm ſignificat *Audire*; ità non rarò *Audire* ponitur pro *Videre*. Primam locutionis formulam abundè illuſtravimus tom. 1. Commut. 2. *per tot. Oculi audientes.* Alteram, cuius explicationi in præſenti laboramus, non unum, aut alterum teſtimonium confirmat, ſed plura, eaque clariſsima. Pſal. 38. 13. *Auribus percipe lacrymas meas.* i. e. oculis contemplare, & vide. Iſai. 5. 9. *In auribus meis ſunt hæc.* Atqui de operibus iniquis, quę ad oculos pertinent, ibi eſt ſermo. Num. 24. 4. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Sed quid auditor ad viſionem? Num ſurdi videre nequeunt? Jerem. 48. 29. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè: Sublimitatem eius, & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius.* Quid hic vocis eſt, ut auditi queat? Iſai. 33. 15.

2. Expoſitio.

Audire pro videre.

Pſal. 38. 13.

Iſai. 5. 9.

Num. 24. 4.

Jerem. 48. 29.

Qui

Qui obturat aures ſuas, nè audiat ſanguinem. Atqui ſanguis viſibilis eſt, non audibilis. Ergô, ut abſurditas locutionis vitetur, ita exponendę videntur ſententiæ iſtæ, ut verbum *Audio* intelligamus uſurpatum pro *Video.* Iſai. 33. 15.

9 Nequè hoc peregrinum eſt hæbraicę linguæ, in quâ verbum *Caſab* tàm audire, quàm attendere, ſeù aſpicere ſignificat, ut tradit Vocabularium Complutenſe, fol. 144. Apponit exempla: 1. Reg. 15. 22. *Et auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Num. 1. 11. *Fiat auris tua attendens ad orationem ſervi tui.* Pſal. 9. ſecundum Hebræos 10. Verſ. 17. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Pſal. 16. 1. *Intende deprecationem meam.* Pſal. 65. 19. *Attendit voci deprecationis meæ.* Iſai. 42. 23. *Attendat & auſcultet procul.* Jerem. 8. 6. *Attendi, & auſcultavi.* Prover. 1. 24. *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret i. e. qui attenderet.* In his omnibus idem verbum eſt, quod ab Interprete modò ponitur pro *audire*, modò pro *aſpicere.* Tanta eſt horum ſenſuum cognatio. Inde fit *Caſeb*, ſivè *Ceſeb*, i. e. attentio, vel intuitus, aut auſcultatio. 4. Reg. 4. 31. *Non erat vox neque ſenſus.* Pro quo Hebræi legunt: *Non erat vox, neque auſcultatio, vel attentio.* i. e. Non erat qui attenderet, vel auſcultaret. Iſai. 21. 7. *Et contemplatus eſt diligenter multo intuitu.* Quod legimus in Geneſ. 42. 1. *Audiens Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto*; Hebraice eſt, & *vidit.* Act. cap. 2. 33. de Spiritu Sancto effuſo Petrus loquens, ait: *Quem vos vidiſtis, & audiſtis.* Quod quamquam Gloſſa interlinealis exponat primum de mente, ſecundum de ſermone in varijs linguis; ſimplicior ſententia eſt, ut de ſolo ſermone utrumque accipiamus, ut ſynonima ſint *audire*, & *videre*, ut doctis. Lorinus exponit. Qui etiam in epiſtolam B. Jacobi. *cap.* 5. 11. notat, D. Auguſtinum exponere *& audiſtis, & vidiſtis*, tamquam ſynonima per verbum; *noviſtis*: Favet etiam huic expoſitioni, quòd interdum, ubi ab Interprete noſtro ponitur *audire*, aliæ editiones habent *videre*, ut in eodem volumine cap. 12. 13. *Pulſante autem eo*, Petro, *oſtium, proceſsit puella ad audiendum.* Alia Biblia: *ad videndum.* Ergo exponamus ita: *Deus audivit* idololatriam, i. e. Deus *vidit. Auribus percipe lacry-*

Verbum hebraicũ *Caſab*, ſignificat Auſcultare.

Attendere.

Audire.

Aſpicere.

Vox *Caſeb* ſignificat Auſcultationẽ.

Intuitum.

Act. 2. 33.

Audire, & videre interdum ſynonima.

Lorin.

D. Auguſt.

Ibid. 12. 13.

mas meas. Reſpice lacrimas meas. Et ſimilimi modo in reliquis.

Conſonantia viſûs, & auditûs.

10 Quòd ſi huius tranſlationis, ſeu Commutationis rationem petis ſecretiorem; ab utriuſque ſenſûs conſonantiâ arbitror fore quærendam. Mirè enim ambo concordant, ut ſummam hominis perfectionem abſolvant. Hi duo præ cæteris ſpiritualiora ſunt, & præſtantiſsima diſciplinarum organa; atque nobiliſsimi voluntatis, & intellectus miniſtri. Unde R. Levi citatus à Cornelio Comment. in Proverb. cap. 20. 12. *Hi duo ſenſus*, ait, *viſus ſcilicet, & auditus peculiarem præ cæteris operam præſtant, ut vir quoad mores, & animi ſenſa abſolutius, veraxque evadat.* Hinc ex utriûſque fabricâ laus æqua Creatori reſultat. *Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque*, Salomon inquit Ibid. Quod Septuaginta vertunt: *Auris audivit, & oculus vidit, & Dominus fecit utraque; vel utrumque eſt opus Domini*, ut vertit Author *Caten. Græc.* Præclarè R. Salomon: *Divinum opus ſunt aures & oculi mortalium.* Utrumque David conjunxit Pſalm. 93. 9. *Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Et Iſaias 6. 10. ut perditiſsimi populi mores notaret, utroque hoc ſenſu privatum deſcripſit. *Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude: nè fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat.* Quam ſententiam Dominus dignatus fuit exponere apud Matthęum 13. 14. *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt; nè quando videant oculis, & auribus audiant & corde intelligant.* Cum igitur tanta viſum inter & auditum ſit in operando concordia, atque in perficiendo hominem æmulatio; non mirùm ſi in prædicatis tam familiariter communicent; quæque propria alterius ſunt, de altero paſsim enuntientur.

Summa hominis perfectio ex viſu, & auditu.

R. Levi. Proverb. 20. 12.

Septuag.

Aures, & oculi opus divinum. Pſal. 93. 9. Iſai. 6. 10.

Matth. 13. 14.

Aures cæcę.

11 Neque apud Authores ſacros duntaxat metaphora hæc viget. Uſurpatur quoque haûd infrequenter ab alijs. Tertullianus *lib. de Anim. cap.* 4. *Sed & perſonant cudices, nè in tenebris quidem aurium cæci.* Joann. Ovvenus,

Tertull.

au-

Videntes. Ovven.

author aliâs damnatus, *lib. 2. Epigram. 183. de Cęco, & Surdo.*

Cur oculis pollet magis hic, magis auribus ille?
Hic oculis audit, auribus ille videt.

Inter Proverbia ad Eraſmo collecta, illud quoque circumfertur; quo homo planè ſtupidus denotatur: *Cæcus auribus, ac mente.* Integrum verſum à eodem è Græco in Latinum tranſlatum, ſic latinè ſonat: Eraſm. Homo ſtupidus. auribus, & mente cæcus.

Tu ſimul & aure, & mente, & oculis cæcus eſt.

Statius *in Achilleid. lib.* 4. Vigiles appellavit. Vigiles. Stat.

Aſpicit intentum, vigilique hæc aure trahentem.

Hâc eâdem figuratâ locutione dicuntur etiam aperiri, & claudi, quod magis proprium eſt oculorum, quibus palpebræ ſunt loco oſtium; cùm tamèn aures ſemper ſint patentes. Eccli. 28. 28. *Ori tuo facito oſtia, & ſeras*, Janſenius, & alij addunt, *auribus tuis.* Job. 33. 16. *Tunc aperit aures virorum.* Iſai. 48. 8. *Neque ex tunc aperta eſt auris tua.* Ruth. 4. 4. *Audire te volui.* Septuaginta iuxta Hebræum: *Diſcooperiam aurem tuam.* 1. Reg. 20. 2. *Neque enim faciet pater meus quidquam, niſi prius indicaverit mihi.* Septuag. *Et non revelabit auriculam meam.* Et in eodem 13. *Revelabo aurem tuam.* Et cap. 9. 15. *Dominus revelaverat auriculam Samuelis.* 2. Reg. 7. 27. *Revelaſti aurem ſervi tui.* Apud prophanos item obvia hæc metaphora. Lucianus de non temerè credendo ſic habet: *Quid faciet vir prudens in re ambigua? Sanè opinor quod Homerus in Sirenum fabulâ docet: pernitioſas talium ſermonum delicias navigio prætereat: obturet aures ſuas, nè aperiat affectui alicui obnoxio: ſed janitore ſedulô, ac fidô adhibitô, ratione, videlicet, ac judicio animi, recta dicentis recluſis foribus excipiat; innutiles nugas obditô peſſulô arceat; ridiculum namqae eſt, domi janitores conſtituere, aures verò patentes exhibere.* Subſcribit Joannes Teretzes Chil. Chriſt. 21. *Benè foratas adhibens aures tuas, audi ſermones meos.* Horatius in Epod. lib. 2. ſerm. *Quid obſeratis auribus fundis preces?* Ex ſummâ itáque inter hos ſenſus principes affinitate, munerumque concordiâ elegans metaphora eſt orta, quâ & *aures* dicuntur *videntes*, ſicùt & oculi audientes. Eraſm. Aperte, & clauſe. Eccli 28. 29. Job. 33. 16. Iſai. 48. 8. Rut. 4. 4. 1. Reg. 20. 2. & 13. & cap. 9. 15. & 2. 7. 27. Lucian. Cautè audiendum. Teretz. Teretz.

12 Tertiò: *Audivit Deus*, id eſt, *Cognovit* id quod modò 3. Expoſitio.

modò narratum eſt, ipſos colere Idola. Expoſitio planiſſima, & genuina, adeóque cunctis celebrior. Explicat D. Auguſtinus : *Advertit*. Haymo : *Intellexit*. Bruno : *Animadvertit*. Remigius : *Conſideravit*. Beda : *Cognovit*. Verbum enim *Samaa*, ſive *Sciamahh*, quod audire ſignificat, redditur interdum *Intelligere*. Sic in Geneſ. 42. 23. *Neſciebant, quod intelligeret Joſeph, eo quòd per interpretem loqueretur ad eos*. Hebraicè, & Chaldaicè : *Quoniam audiens*, nempè, erat : Græcè : *Quoniam audit*. 4. Reg. 18. 26. & Iſai. 36. 11. *Precamur, ut loquaris nobis ſervis tuis Syriacè, ſiquidem intelligimus hanc linguam*. Hebraicè : *Qui audientes*, vel, *audimus*. Deuter. 28 49. *Cuius linguam intelligere non poſſis*. Pro verbo intelligendi Græcum, & Hebræum eſt, *audire*. Chaldæum, *percipere*. Jerem. 5. 15. *Gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur*. Hebraicè, & Chaldaicè : *Non audies*. Pſal. 80. 6. *Linguam, quam non noverat, audivit*. Chaldaicè in prima perſona, (in qua eſt etiam Hebraicè) *didici, & audivi*. D. Auguſtinus in locutionibus notat, id quod ait Scriptura ; *cuius non audies vocem*, poni pro eo quod eſt, *cuius linguam non intelliges*. Citat Villalpandus Tom. 2. in Ezech. p. 2. lib. 3. cap. 10. ex Regio Codice verſionem textûs Hebræi *audiam, intelligam, percipiam*. In hac etiam ſignificatione uſurpatur à Virgilio 1. Æneid.

Progeniem ſed enim Troyano à ſanguine duci. —— *Audierat.*

13 D. Hieronymus exponens caput proximum Iſaiæ, ponit diſcrimen inter *audire*, & *auribus percipere* ; ità ut plus eſſe dicat audire, quàm auribus percipere, quando conjunguntur, ut ibi ; ut primum referatur ad cor, ſivè intellectum, iuxtà illud Matthæi. 23. 43. *Qui habet aures audiendi audiat*. Et Joel. 1. 2. *Audite hoc omnes ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ*. Verba eius ſunt: *Hoc notandum, quod cælis dicatur, audite : terræ auribus percipe ; ea enim, quæ excelſa ſunt, maiorem habent intelligentiam : quæ humiliora, terrenis ſenſibus includuntur*. Et in Joelem : *Auribus percipere ad exteriorem ſenſum pertinere ; audire autèm ad interiorem auditum*. Ridet hoc Rufinus in Joelem, quoniam Pſalmo quadrageſimo octavo dicitur : *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem*.

Sed

Audire pro intelligere.

Audiendi verbũ.

Geneſ. 42. 23.

4. Reg. 18. 26.

Deut. 28 49.

Linguam non intelligere eſt non audire.

Pſal. 80. 6.

D. Auguſt.

Villalp.

Audire, & auribus percipere, nùm differant.

D. Hieron.

Rufin.

Sed non eſt ridendus ſpiritalis hic ſenſus doctoris Maximi ; & illum Rupertus etiam , Joelem interpretans , ſecutus eſt : verum tamèn eſt , quod in ſenſu literali hanc differentiam reliqui Expoſitores non agnoſcunt. Profectò verbis illis cantici Debboræ & Baruc , quod liber Judicum habet cap. 5. 3. *Audite reges , auribus percipite principes,* haûd exteriorem auditum pręſtolari , ſed interiorem dumtaxat , liquido apparet : quod & ipſum omninò dicendum in illa deprecatione Davidica Pſal. 5. 2. *Verba mea auribus percipe Domine* : ſtatim enim exponit , quid velit , ſubjungens: *Intellige clamorem meum.* Per ſe itáque diſcrimen nullum eſt inter audire , & auribus percipere. Utrumque enim ad aures cordis æquè valet referri. Porrò Galenus & Anatomici geminas in corde collocant aures ; *eò quòd* , ille inquit 6. de Uſu part. c. 15. , *ſicut capiti , corde adjacent utrimque.*

Jud. 5. 3.

Cor habet geminam aurem. Galen.

14 Illud autèm certum debet eſſe , & conſtans, *audire* , nimirùm , non ſimplicem auditionem importare, ſed attentam , profundam , & rationalem. Non enim omnes qui habent aures , audire ſunt dicendi ; ſed illi dumtaxat , qui habent quas ſæpè Dominus vocat aures audiendi. Matth. 11. 15. *Qui habet aures audiendi , audiat.* Marc. 4. 9. *Qui habet aures audiendi , audiat.* Luc. 8. 9. & Joannes Apocal. 2. crebrò repetit eamdem phraſin. Auditio autèm ſimplex , oſcitans , & parùm attenta nomen auditionis non meretur. Ideò Dominus Matth. 8. 18. *Aures habentes , non auditis.* Et cap. 13. 13. *Videntes non vident, & audientes non audiunt.* Iſaias etiam 6. 9. *Audite audientes, & nolite intelligere.* Etenim non percipere , nec tenere rectè , quæ audis , perinde eſt , ac ſi non audires : ſicut obſcurè , indiſtinctéque cernere , videre non eſt. Unde Salomon non contentus dicere , Dominum fabricaſſe aurem , & oculum , addidit , audientem , & videntem : *Aurem audientem , & oculum videntem Dominus fecit utrumque.* Proverb. 20. 12. Hoc eſt , perfectè audientem , & perfectè videntem. Hic quippè modus loquendi non nudam potentiam indicat , ſed actionem completivam eius , importatque modum , quo fieri ſolet : & quoniam viſio fit media luce , & auditio excipiendo , & tenendo verbum ; in-

Aures audiendi, quæ.

Matth. 11. 15.

Marc. 4. 9.

Auris perfectæ, quæ.

Provérb. 20. 12.

dè oculus videns eſt, qui dilucidè cernit, & auris audiens, quæ rectè percipit, & tenet audita. Hinc quod perfunctoriè auſcultamus, quodque illibenter, & cum aurium faſtidiô audimus, *ſummis auribus inſidere* ſpecie proverbiali dicimus. Sic Philo Judęus *lib. De vit. Theoric.* inquit: *Quę non primoribus auribus inſidet, ſed per aures in animum penetrat, & firmiter immoratur.* Conſimilimodò dixit Seneca, *Summo animo inhærere*, pro perfunctoriè, & leviter, ut explicat Manutius in *Adag.* pag. 1933.

Summis auribus audire, quid.

15 Cur autèm per verbum *audire* denotetur *intelligere*, ſivè *cognoſcere*, opere pretium eſt, ut exponamus radicitùs. Potiſſima ratio eſt, quam tradit Ariſtoteles *de ſenſ. & ſenſat.* & nos jam inſinuavimus; quia, nimirùm, *Auditus in homine eſt via ad diſciplinam.* Per auditionem namque rerum promovetur earundem notitia; ex notitia portò naſcitur intelligentia. Locutio eſt metaleptica. Undè quia ſolus homo habet conceptus diſtinctos in mente, & voces articulatas in lingua; ideo & eaſdem ſolus percipit, habetque in auribus, ac per eas diſciplinas omnes imbibit. Hinc monitum illud Filij Sirach: *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris audire, ſapiens eris.* Eccli. 6. 34. Græca inverterunt verborum ordinem; ſed ad eamdem faciem loquuntur: *Si dilexeris audire, recipies intellectum, & ſi inclinaveris aurem tuam, ſapiens eris.* Tigurina: *Si audieris libenter, ſcientiam percipies. & ſi aurem tuam admoveris, adipiſceris ſapientiam.* Salomon in Proverbijs 1. 5. *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* Jacobus epiſt. 1. 19. *Sit autèm omnis homo velox ad audiendum.* Pueri Samuelis fuit vox 1. Reg. 3. 10.: *Loquere Dominè, quia audit ſervus tuus.* D. Bernardus *ſerm.* 22. in Cant. *Auris ad audiendum præparari debet.* In hunc ſenſum inquit Oratius *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *verſ.* 39.

Per auditũ cur ſignificatur intellectus.

Auditus ſenſus diſciplinæ.

Metalepſis.

Ecci. 6. 34.

Græc.

Tigurin.

Proverb. 1. 5.

Jacob. 1. 19.

1. Reg. 3. 10.

D. Bern.

Orat.

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Aures purgatæ.

Ad hanc formam idem in eadem Epiſt. v. 7. *purgatas aures* dixit pro animo attento, atque intellectu perſpicaci.

Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem.

Plautus itèm in *Milit.*

Plaut.

Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.

Per-

Perſius etiam 5. Satyr.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto, Perſ.

Etenim ſordes in auribus collectæ auditum hebetant; exemptæ reddunt actiorem. Martialis noſter judicandi peritiam auribus tribuit *lib. 6. Epigram. 1.* Auris diligens.

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi chare Martialis:
Quem ſi terſeris aure diligenti,
Audebit minùs anxius, tremenſque,
Magnas Cæſaris in manus venire.

Aure diligenti, id eſt, diligenti cenſurâ, ut Domitius exponit. Hoc ſenſu Itali, Hiſpanique *Judices* vocamus *Auditores*, ut obſervavit Balthaſar Paez ſuper *Deuter.* cap. 32. 1. Judices cur Auditores vocamus.

16 E contrà verò ut agreſtis, indociliſque ingenij hominem idem Valerius ſignificaret, *aurem Batavam* habere dixit eodem *lib. Epigram. 82.* Auris Batava pro ingenio agreſti.

Tu nè es, tu nè, ait, ille Martialis,
Cuius nequitias, jocoſque novit,
Aurem qui modò non habet Batavam? Mart.

Sic enim legit Domitius Calderinus, quamquàm nonnulli mutarunt, pro Batavam, ſeveram. Batavam autèm dixit agreſtem, inelegantem, tetricam. Quemadmodum Græci dicunt *Bæoticam aurem* pro pingui, craſſoque judicio. Sunt qui ſcribant, hanc fuiſſe primam originem adagij: olim Anaxoram recitantem apud Thebanos librum Thebaidos, cum vidiſſet attentum neminem, clauſo codice dixiſſe: iure vocamini Bæoti, qui quidem aures habetis boum: videlicet, alludens ad etymologiam nominis: *Bûs* enim bos, *ôta* aures, atquè ex his Bæotorum nomen videtur compoſitum. Quin Homerus *Iliad.* 5. Bæotorum gentem pinguem appellat. Verſus Eraſmus fecit latinos in Adagijs. Domit. Auris Bæotica pro pingui judicio. Bæoti ſtupidiſſimi.

——— ——— ——— ——— ——— *ſed rura tenebant*
Proxima Bæoti, quorum craſſiſsima gens eſt.

Notavit & Horatius Bæotorum tarditatem in Epiſtola ad Octavium Auguſtum. verſ. 241. ——— *Quod ſi*
Judicium ſubtile videndis artibus illud
Ad libros & adhęc Muſarum dona vocares;
Bæotum in craſſo iurares aêre natum.

Miris

Miris certè modis Bęotos, ut ſtupidos cæteri Græci exagitarunt. *Omnes Bęoti magis firmati corporis, quàm ingenij acumini inſerviunt*, inquit Cornelius Nepos, ſeu Æmilius Probus de Alcibiadis morum varietate loquens. *Aurem ſupinam* negligenti auditori Martialis adſcripſit. lib. 6. Epigram. 42.

Cornel. Prob.

Aures ſupinæ.

Non attendis, & aure me ſupinâ
Jam dudum quaſi negligenter audis.

Sed præ cunctis elegantiùs hac metaphorâ uſi Authores ſacri. Proto-Martir D. Srephanus indociles, ac rebelles Judæorum animos hoc fulmine exagitavit: *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Act. 7. 51. Eâdem phraſi Jeremias quòque 6. 10. nominat *aures incircumciſas*: Id eſt non audientes, & incapaces diſciplinę. *Cui loquar? Aut cui conteſtabor, ut audiat? Ecce incircunciſæ aures eorum, & audire non poſſunt.* Alij *graves* dicunt, ſive *aggravatas*. Iſai. 6. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava.* Zach. 7. 11. *Aures ſuas aggravaverunt, ne audirent.* Et *obturatas*, & quidem in morem aſpidis ſurdę. Pſal 57. 5. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quę non audivit vocem incantantis ſapienter*: ut ad propoſitum notat Auguſtinus *ſerm. 94. de Diver.* Aut *induratas*, & non inclinatas ad audiendum. Jerem. 7. 26. *Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed induraverunt cervicem ſuam.* Surdas denique, Michæ. 7. 16. *Ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt.* Ex iſtis autèm epithetis aurium tertia hęc interpretatio mirificè confirmatur, nimirum, *audire* uſurpari pro *intelligere*, ſeu *cognoſcere*. Igitur, *audivit Deus* Judęorum ſcelera; optime expones: *Cognovit.*

Incircumciſæ.

Act. 7. 51.

Jerem. 6. 10.

Aggravatæ.

Iſai. 6. 10.

Obturatæ.

Pſal. 57. 5.

D. Auguſt.

Induratæ.

Jerem. 7. 26.

Surdæ.

Michæ. 7. 16.

17. Sed placet etiam Euthimi annotatio; propriè hîc dici ſcelera Judæorum *audita*, quòd enormia peccata in cælum clamare dicuntur. Cur ergo non ſit auditus, ubi clamor eſt? Agnoſce *proſopopœiam*, quâ clamare res etiam inanimatæ, mutæque dicuntur: cuius figuræ vim Quintilianus noſter 6. *de Inſtit. cap.* 1. & *lib.* 11. *cap.* 1. magnam tradit eſſe; quando aut cum rebus illis loquimur, aut illas loqui fingimus. Frequens in Scripturis loquendi formula. Clamat parricidium. Geneſ. 4. 10: *Vox ſanguinis fra-*

4. Expoſitio.

Deus audit peccata, quoniam ipſa loquuntur.

Proſopopœia.

Peccata clamantia in cælum.

fratris tui clamat ad me de terra. Clamat peccatum nefandum. Geneſ. 18. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhę multiplicatus eſt nimis.* Clamat merces operariorum defraudata. Jacob. 5. 4. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Clamat oppreſsio viduarum, pupillorum, & pauperum. Exod. 2. 23. *Aſcendit clamor eorum ad Deum ab operibus.* Hæc quatuor illa graviſsima peccata ſunt, quæ iuxtà doctorum ſententiam fortius in Deum clamant, & vindictam flagitant: quæque hoc diſticho comprehenduntur:

Geneſ. 4. 10.
Ibid. 18. 20.
Jacob. 5. 4.
Exod. 2. 23.

Clamitat in cælum vox ſanguinis, & Sodomorum,
Vox exemplorum, merces negata laborum.

Cùm ergo dicit Pſalmiſta, Deum audiviſſe populi peccata, oſtendit, uſque adeo fuiſſe enormia; ut in aures Domini clamor eorum aſcenderit. Prophani etiam niſi ingentia facinora haûd putaverunt deorum auribus digna. Undè Horatius de egregibus factis:

Ingētia facta deorū auribus digna.

——— *Et Jovis auribus iſta* ——— *Servas.*

Solemne erat antiquis illud dictum: *Auribus deorum illud eſſe ſervandum.* Hùc facit proverbium: *Ad deorum aures pervenit.* Sic enim imaginantur Poêtæ, quæ rectè, ſecùſve gerantur in terris, ea per Mercurium explorata referri Jovi. Eſt illud etiam nunc celebre in Principum, & Pontificum literis: *Ad noſtras aures pervenit.* Eodem ſenſu paſtor ille Virgilianus, 7. *Æglo.*

Mercurius deorū nuntius.

Et quoties & quæ novis Galatea locuta eſt,
Partem aliquam venti divûm referatis ad aures.

Virgil.

Cùm itáque tàm fuiſſent clamoſa Judæorum peccata, nihil mirum, quod à Deo dicantur audita. *Audivit Dominus* Idololatriam.

18 Quinta Expoſitio: *Audivit Dominus* immaniſſima populi ſcelera; id eſt, *vindicavit, punivit.* Ità exponit Gloſſa: *Audivit Deus*; id eſt, *Advertit peccata iſtorum*; *& vindicavit.* Opportuniſsima ſunt verba celeberrimi Incogniti: *Sciendum eſt, quòd quamvis Deus ſemper omnia videat, & audiat: tamèn quo ad nos tùnc videre dicitur mala noſtra, cùm ipſa punit, & non videre, cùm ipſa ad tempus impunita dimittit. Similiter audire mala noſtra, cùm per effe-*

5. Expoſitio.

Deum audire peccata noſtra, eſt illa punire. Gloſſ.

Incogn.

ctum ipſa punit ; & non audire , cùm non punit. Sic & in propoſito , audire Deum peccata noſtra eſt illa percipiendo punire. Itáque videre , & audire Dei voces ſunt ferè practicæ , quæque non ſolùm ſimplicem viſionem , & auditionem denotant ; ſed plerumque ad actiones etiam , & externum opus ſignificandum extenduntur. Undè ferè quoties Deus dicitur audire peccata noſtra , toties ea vindicare narratur. Hoc eodem loci : *Audivit Dominus , & ſprevit , & ad nihilum redegit valdè Iſrael* : & cætera horribilia quæ ſequuntur. Iſai. 5. 9. *In auribus meis ſunt hæc , dicit Dominus Exercituum : Niſi domus multæ deſertæ fuerint, grandes , & pulcræ abſque habitatore.* Numer. 11. 1. *Quod cum audiſſet Dominus iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam caſtrorum partem.* Caini fratricidium ut audivit Dominus , formidandâ maledictione mulctavit. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram.* Gen. 4. 10. Peccata Sodomorum , ut exaudivit , igne pluviô vindicavit. *Delebimus locum iſtum , eo quòd increverit clamor eorum coràm Domino.* Geneſ. 19. 13.

Videre , & audire Dei voces practicæ.

Pſal. 77. 59.

Iſai. 5. 9.

Numer. 11. 1.

Geneſ. 4. 10.

Geneſ. 19. 13.

19 In bonam etiam partem *Audire* Dei ſumitur pro *benefacere.* Pſal. 19. 1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob.* Pſal. 29. 11. *Audivit Dominus , & miſertus eſt mei : Dominus factus eſt adjutor meus.* Egregiè pro more Gregorius lib. 35. Moral. cap. 3. *Audire noſtrum eſt , aliundè veniente ſono aurem accomodare. At contrà , Deo cui nihil eſt extra , audire propriè eſt , ſub ſemetipſo ſurgentia deſideria noſtra percipere. Ad Dominum ergo , qui & tacentium corda agnoſcit , loqui noſtrum eſt : non vocibus gutturis id quod ſentimus prodere , ſed proprijs ad eum deſiderijs inhiare : Undè ſcriptum eſt Pſal. 16. 7. Ego clamavi , quoniam exaudiſti me. Non enim ait quoniam clamavi , tu exaudiſti me ; ſed , clamavi , quoniam exaudiſti me. Qui enim loquens exauditus fuerat , votis proficientibus exauditus clamabat.* Audire itáque Dei eſt miſericorditer vota noſtra percipere. Quod ipſum verbis illis David innuit : *& miſertus eſt mei* Quid enim eſt miſereri oranti , niſi ipſum exaudire ? Et ſimiliter illis : *Dominus factus eſt protector meus.* Nam quid aliud eſt Dominum adjuvare orantem , niſi

Audire Dei pro benefacere.

D. Greg.

Audire noſtrum, & audire Dei quomodo differant.

Miſereri oranti, eſt ipſũ exaudire.

eius

eius votis annuere? Huc ſpectant omnes illæ phraſes, quibus dicitur clamor introire in aures Domini. Pſal. 23. 10. Et oratio introire in conſpectu eius. *Pſalm.* 87. 3. Et deprecatio appropinquare in conſpectu eiuſdem. *Pſalm.* 118. 169. Et clamor in conſpectu eius introire in aures eius. *Pſalm.* 17. 7. Et poſtulatio introiens in conſpectu illius. *Pſalm.* 118. 170. Et gemitus compeditorum, ſimiliter. *Pſalm.* 78. 11. Et clamor aſcendere ad Deum. *Exod.* 23. 7. Seu venire. *Geneſ.* 12. 21. Seu creſcere coràm ipſo. *Ibid.* 19. 13. Seu à Deo exaudiri. *Exod.* 3. 7. Et Deus ponere lacrymas in conſpectu ſuo. Pſalm. 35. Omnia hęc unicâ ſententiâ comprehendit Auguſtinus in Pſalm. 83. *Ingreſſus orationis*, (de clamore idem judicium) *acceptatio eius eſt.*

Ingreſſus orationis acceptatio ejus eſt.
Pſal. 23. 10.
Pſal. 87. 3.
Et 118. 169.
Et 17. 7.
Et 118. 170.
Et 78. 11.
Exod. 23. 7.
Gen. 12. 21. & 19. 13.
Exod. 3. 7.
Pſalm. 35. 9.
D. Auguſt.

20 Hinc verbum *Aana* hebraicum ſignificat exaudire, id eſt, reſpondêre deprecanti, ut docet Vocabularium Complutenſe. 3. Reg. 18. 26. *Baal exaudi nos.* Pſalm. 19. 7. *Exaudiet illum de cęlo ſancto ſuo.* Pſal. 117. 5. *Exaudivit me in latitudine Dominus.* Iſai. 49. 8. *In tempore placito exaudivi te.* His & ſimilibus locis, quę paſsim occurrunt, ſubeſt locutio metaleptica: quippè verbum *exaudio* non pro eo, quod propriè ſignificat, uſurpatur; ſed pro eo, quod indè conſequitur. Inſignis eſt ille apud Oſeam. 2. 21. *Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Jezrael.* Id eſt, correſpondebunt neceſsarijs, ut idem Vocabularium exponit. Deus itáque reſpondet cælis in ſiccitate pluviam tacitè petentibus, quâ terram ſubjectam irrigent: & viciſsim cæli reſpondent terræ ſiccienti, & petenti pluviam, illam in eam effundendo. Terra reſpondet tritico, & vino, & oleo, horum copiam producendo. Hæc denique reſpondent Jezrahel, dando ſe illi in meſſem & cibum. Ex reſponſione intelligitur auditio: ex auditione poſtulatio: hanc enim illa conſequi ſolet; nemo enim reſpondet, niſi rogatus.

Exaudire, eſt reſpôdere deprecâti.
Metalepſis quid.
Oſe. 2. 21.
Exaudire eſt correſpondere neceſsarijs.

21 Ad hunc ſenſum non *exuadire* eſt inexorabilem, & durum ſe præbere, opem nullam ferre, nihilum precibus ſupplicantium commoveri. Job 29. 20. *Clamo ad te, & non exaudis.* Id eſt, nullam opem tribuis. Idem 35. 12.

Non exaudire, idem ac non favere.
Job. 29. 20.

Ibi

Et 35. 12. *Ibi clamabunt, & non exaudies, propter ſuperbiam malorum.*

Habac. 1. 2. Habac. 1. 2. *Uſquequò Domine clamabo, & non exaudies?* Quod ipſe immediate exponens, ſubjungit: *Vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis.* Idem ergo omninò eſt ibi, non exaudire, ac, non ſalvare. Proverb. 21. 13. *Qui*

Proverb. 21. 13. *obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Eccè in eâdem gnome duplicem Metalepſin. *Obturare aurem ſuam*, inquit Janſenius, metaphoricè poſitum eſt pro nolle audire, & ſe gerere, quaſi non audiat alicuius clamorem; imò declarare, ſibi alterius clamorem eſſe moleſtum. Et benè non dicit *ad precem*, ſed ad *clamorem*; ut quorundam inclementiam deſignet, qui non ſolùm egenorum precibus non excitantur; ſed eorum clamoribus offenduntur. Proindè juſtâ menſurâ remetientur à Domino: clamabunt quippè, & non exaudientur, juſta illud Pſalmi 17. 42. *Clamaverunt, nec erat, qui ſalvum faceret, ad Dominum: nec exaudivit eos.* Undè Chaldæus vertit: *Vocabit quòque Deum, & non exaudietur.* S. Cyprianus de Opere, & Eleemoſyna: *Et ipſe invocabit Deum, & non erit qui exaudiat.* Syrus: *Deum invocabit, & non reſpondebit.* Appoſitè S. Auguſtinus Homil. 25. de *Verb. Dom.* ſecundum Lucam, agens de divite, & Lazaro: *Ideo*, ait, *rogans dives non exauditur in tormentis; quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.* Sixti Pythagoræi fuit ſententia 20. 8. *Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenum non exaudit.* Extant tom. 5. Bibliot. VV. PP. huius Sixti ſententiæ ſapientes, & penè Chriſtianę. Similis illa Philonis apud Maximum ſerm. 7. *Tu te ſervis & miſeris præſta, qualem Deum in te eſſe velles: ut enim audivimus, ſic à Deo audiemur.*

Obturare aurem, eſt audire nolle.

Janſen. Inclementes Deus non exaudiet.

Pſal. 17. 42.

Chald.

S. Cypr.

Syr.

S. Auguſt.

Bibliot. VV. PP.

22 Hinc puriſsimę Latinitatis Magiſtri, ut hominem immitem, difficilem, implacabilemque ſignificarent, *ſurdum* dixerunt. Undè nata proverbia: *Surdo canis; ſurdo fabulam narras*, in eos dicta, qui fruſtrà rogantur, quibuſque inaniter ſuadere conaris. Livius. 2. ab Urbe: *Leges rem ſurdam inexorabilem eſſe.* Alluſit hûc Naſo *Amor.* lib. 3.

Surdus pro inexorabili.

Quid juvat ad ſurdas ſi cantet Phemius aures?
Quid miſerum Thamiram picta tabella juvat?

Vir-

Virgilius in *Bucol.*

Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſylvæ. Virg.

Horatius —— *Narrare putaret aſello* —— *Fabellam ſurdo.*

Terentius in Hêutontimorumeno Terent.

Nę ille haûd ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.

Æſchylus.

An audiſti, an non audiſti? An ſurdo loquor? Æſchyl.

Eumdem ſenſum habet : *Littori loqueris* : quod, ut inquit Eraſmus, refertur à Grecis adagiorum collectoribus ; dictumque in eos exponit, qui fruſtrà vel ſuadent, vel orant : perindè quaſi ſurdo loquantur. Nam littora propter aſiduum fluctuum fragorem ſurda dicuntur. Ovidius: Littori loqueris. de quibus dictum.

Surdior ille freto clamantem nomen Oreſtis,
Traxit inornatis in ſua tecta comis. Littora ſurda, cur ita dicta.

Undè & *mare ſurdum* vocatur, magno fragore reſonans; propterea quòd ob ſtrepitum undarum nihil exaudire liceat. Et *ſurdior Toronæo portu* ille dicitur, qui non audit. Quadrat & in homines moroſos, & difficiles illud alterum: *Mortuo ad aurem verba facis.* Etenim nihilo pluris exorabis, durum hoc genus hominum rogando, quàm ſi ad ſepulcrum mortuo preces fundas: ut inquit illa apud Æſchylum in *Agamen.* Mortuo verba facere, quid.

Fruſtrà ad ſepulcrum vivâ ploro mortui.

Id ipſum explicatiùs proverbiali quòque ſpecie dicimus Hiſpani : *No hay peor ſordo, que el que no quiere oir.* Nullus peior ſurdus, quàm qui audire renuit. *Audire* itáque vox eſt practica, & ambigua : in bonamque, aut malam partem uſurpatur : ſcelera namque audire, punire eſt : ea non audire, impunita relinquere. E contrà, preces audire, idem eſt ac opem ferre : eas non audire, deſpicere; omneque auxilium oranti denegare. In textu ergo noſtræ Commutationis *Auditus* Deo adſcribitur; ut commotum illum ad vindictam ſignificet. Surdus peſsimus qui audire non vult.

23 Captata profectò hæc formula eſt ab ipſa conditione aurium. Sicut enim, ut plurìes alibi me dixiſſe, atque abundè confirmaſſe memini, oculus eſt index, & ſpeculum animæ; eò quòd pro varietate objectorum vel deprimitur, vel attollitur, vel hilareſcit, vel triſtatur; ità horum affectionum, ſeu paſsionum præcipua cauſa 6. Expoſitio. Cauſa pro effectu. Animi motus in aure.

non minus eſt auris noſtra : pari namque modò cor ſolet noſtrum commoveri, ſiniſtris vel proſperis nuntijs allatis. Cauſa igitur ponitur pro effectu : & eſto Expoſitio ſexta. Hinc axioma illud iam ſupra allatum : *Animus habitat in auribus.* Veteres animo ſedem in oculis dedêre, plerique in cordè. At Herodotus in Polymia, iuxtà vulgi ſermonem, ut videtur, docet animum habitare in auribus; quòd qui benè audiunt, voluptate afficiantur, qui ſecus, exacerbentur. Eius verba ſubſcribemus : *Et nunc illud ſanè diſcito, quòd in auribus hominum habitet animus : qui cùm bona audierit, voluptate corpus implet : cùm his diverſa, moleſtiâ afficit.* Profectò ità evenit ; ut ex his quæ audimus, maximè placetur, aut irritetur animus. Nam hâc potiſsimum iter eſt ad animum hominis. Cupis ut & id quòque tibi ſacris exemplis comprobemus? Innumera extemplò poſſem adducere. Nobiliora ſeligam. Proverb. 12. 25. *Mœror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur.* Septuaginta vertunt : *Terribilis ſermo turbat cor viri : nuntiatio autèm bona lætificat eum.* Chaldæus : *Verbum timoris in corde viri timorem gignit.* Syrus. *Formidoloſi ſermo cor viri perturbat.* Undè perdoctè Theodorus de Curand. Græcor. affect. iuquit : *Verborum affectus, ut accidit in theriacis, verbis curantur : & quæ ſermo attulit damna, ſermo redimit.* Ibidem cap. 15. 1. *Reſponſio mollis frangit iram : ſermo durus excitat furorem.* Pulcerrimè S. Chryſoſtomus de Davide, & Saule Homil. 3. ſententiam Salomonis explanat: *Sicut ſi inſles in ſcintillam ignis, excitas incendium ; ſi inſpuis, extinguis : idem fit in inimicitiâ proximi : ſi inflatos, ac vercordes ingeras ſermones, excitas ignem ; ſi mites ac moderatos, iram omninò extinxeris.* Præclarè admodum S. Gregorius Nazianzenus in carmine adverſus iram, blanditijs verborum frangendam docet : occurrenſque objectionibus inquit:

At læſit hic me? Tu cave hunc lędas itèm:
At reprimetur? forſitàm hinc creſcet furor.
At cœpit ille? protinùs verbis tuis
Frangatur, atque moribus blandiſsimis,
Solutus inſtar fluctuum ad terram illico:
Aut ut procella, cum nihil renititur.

Animus habitat in auribus.

Herodot.

Proverb. 12. 25.

Septuag.

Theodor.

Verba verbis curantur, quomodo.

Greg. Naz.

Et

Et poſt nonnulla —— *Irâ torridum jocis petas:*
Adverſus iram nam jocô nihil fortius.
Quid rebus cunctis extat mitius? Deus.

Ira frangenda jocis.

Ideò à Solomone deſcribitur auris Dei zelo, irâ, & indignatione concitata adverſus murmuratores impios. *In cogitationibus impij interrogatio erit: ſermonum autèm illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur.* Sap. 10. 9. 10. Auris zeli eſt acerrima, & acutiſsima ad audiendum: & indignabunda in loquentes ingrata ſibi: illius enim, qui zelo tangitur, attentiſsimę ſolent eſſe aures ad ſingula verba, quæ proferuntur ab eo, qui ipſum ad æmulationem provocat. Meritò proindè ſacra Pagina, quò iratum Dominum in impios oſtenderet, eorum ſcelera audiviſſe narravit. Ad commovendos quippè animos ſive in voluptatem, ſive in iram nullus ſanè ſenſus potentior auditu. Ergô *Audivit Deus* idololatriam; expone: In vindictam exarſit, punivit.

Ira in auribus.

Sap. 10. 9. 10.

Auris zeli acutiſsima.

24 Valet etiam in hac locutione non abſurde intelligi ſignum pro ſignato. Non quòd aures hominum propriè ſigna ſint latentis animi; ſed quoniam in animantibus talia ſunt. Plinius lib. 8. cap. 16. *Leonum*, inquit, *animi index cauda, ſicut & equorum aures.* Et lib. 11. cap. 37. *In equis & omni jumentorum genere inditia animi præſeferunt aures; feſsis marcidæ, micantes pavidis, ſubrectæ furentibus, reſolutę ægris.* Soliûs ergo hominis aures putantur immobiles; ſumptâ tamèn ab animantibus tranſlatione, ipſi quòque & attigere, & demittere, & ſubrigere aures dicuntur; cùm vel metus eos dejicit, vel ſpes erigit, vel furor inflammat. Horatius lib. 1. *ſatyr.* 9. *verſ.* 20.

7. Expoſitio.

Signum pro ſignato.

Plin.

Aures animantiũ index animi.

Aures hominis cur dicuntur arrigi, demitti, curvari, acui. &c.

Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus,
Cùm gravius dorſo ſubit onus.

Horat.

Nam evertere, &, ſiquâ ratione queat, excutere velit ſarcinas, quas moleſtè ſe ferre aurium demiſsione oſtendit aſellus. Undè ab Horatio ſumpta metaphora, ut garrulum hominem moleſtè admodùm ſe ferre ſignificaret, auriculas in morem aſelli demiſiſſe dixit. Vidè doctiſsimum Antiſtitem Lævinum Torrentium ad hunc locum.

Torrent.

Ad

Sidon. Ad hanc formam Sidonius: *Erectis ſenſibus, auribus curvatis ambiebamus.* Angelus Politianus:

Politian. *Demirans aures tacitus tendebat acutas.*

Idem: *Doctores plerique pronis auribus acceperunt.* Quæ quidem abſurdè fuiſſent dicta, ni locum haberet tranſlatio ab auribus animantium ad humanas. Sed numquid ſermoni divino peregrina hęc metaphora? Imò familiaris, & amica. *Aurem inclinare*, frequentiſsima locutio. Jerem. 7. 24. *Nec inclinaverunt aurem ſuam.* Baruch. 2. 46. *Inclina aurem tuam & exaudi nos.* Et ſepiſsimè alias. Erigere *aures* dixit Nehemias Author libri 2. Eſdr. 8. 3. *Et aures omnis populi erant erectæ ad Librum.* Iſai. 50. 4. *Dominus manè erigit mihi aurem.* His ergo locutionibus, quas ſi propriè accipere velis, immotis hominum auribus minimè adaptare valeas, optimè affectus humani cordis denotantur, factâ, nempè, tranſlatione ab irrationali ad rationale; ſolemni equidem apud Rethores figura.

Jerem. 7. 24. Bar. 2. 16. 2. Eſdr. 8. 3. Iſai. 50. 4.

8. Expoſitio. 25 Octava expoſitio: *Aures* dicuntur *videre*, ut ſenſûs auditûs certitudo innuatur, quæ quidem tanta illi ſubeſt; ut nec viſui, atque adeò nec ulli ſenſuum externorum in hac parte facilè cedat; quin ſuperare omnes bonô jure contendit. Hoc pactô res certè auditæ viſibilibus quàm frequentiſsimè annumerantur: tàm clarè quippè vocis ſonitu, qui loquitur, agnoſcitur, ut meritò videri putetur, cùm auditur. Hùc pertinet illa formula, qua *oculi* dicuntur *audientes*, ubi vox clarè, & diſtinctè ſonare contingit. De quâ ſatis abundè egimus. *Tom.* 1. *Commut.* 2. n. 22. quæ hîc retractare pudet, quamquàm huic etiam propoſito haûd minùs convenientia quàm illi, ob ſenſuum affinitatem. Verùm accipe opportuniora præſenti Commutationi. Percelebris eſt ſententia illa Socratis, quam refert Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt. *Qualis homo eſt, talis etiam eius erit oratio; orationi autèm facta ſimillima, factis vita.* Conſonat Ariſtoteles lib. 4. Moral. *Qualis unuſquiſque eſt, talia dicit, & talia operatur.* Iſdem penè verbis Seneca epiſt. 40. *Qualis vir, talis oratio.* Et Cenopidas apud Maximum *ſerm.* 15. *Qualis cuiuſque eſſet natura, talem eſſe dicebat ſermonem.* Et Demenax apud eumdem Ibid. ſolitus eſt dicere, orationem, ac ſermonem hominis quaſi figu-

Auditus ob ſuam certitudinem videre dictus.

Qualis vita hominis, talis oratio. Cicer.

Senec. Maxim.

lum

lum animi ſententiam effingere, & profferre. Hinc ſermonem appellavit Democritus vitæ ſimulacrum, quamdamque velut umbram, ut habet Laêrcius. Ex quibus ſententijs patet hominem nullo ſenſu meliùs cognoſci, quàm auditu. Nam nullo in ſpeculo meliùs expreſiúſque relucet figura corporis, quàm imago pectoris in ſermone repreſentatur. Undè mirum Diogeni viſum, quod cùm ollam, at operculum non emerent homines, niſi pulſu, aut tinnitu exploratum; in emendo hominem ſolô viſu eſſent contenti. Ut igitur, ajebat, qui vas fictile teruncio parant emere, digitô pulſant, atque ex tinnitu reddito dignoſcunt, ſit nè integrum, probæ argillæ, ac benè coctum: ita prius quàm mnis aliquot emant hominem, oportet ad dicendum provocare, atque ex oratione deprehendere qualis ſit. Quadrat quàm maxime, quod de Iſocrate narrat eraſmus *lib.* 3. *Apoph. ex Apul.* Cum enim dives quidam filium adoleſcentem ad Socratem miſiſſet, ut indolem illius inſpiceret: ac pedagogus diceret: Pater ad te, ò Socrates, miſit filium, ut eum videres; tùm Socrates ad puerum: *Loquere igitur*, inquit, *adoleſcens, ut te videam.* Quô dictô ſignificavit, ingenium hominis non tàm in vultu relucêre, quàm in oratione; quòd hoc ſit certiſsimum, minimeque fallax animi ſpeculum. Quid pulcriùs ad rem noſtram?

Sermo vitæ ſimulacrum.

Democrit.

Auditu melius, quam viſu dignoſcitur homo.

Homo ſonitu probandus, ut vaſa figulina.

Eraſm.

Loquere, ut te videam, quomodo dictum.

26 Præmiſsi humaniores litteras, ut viam ſternerem ſacratioribus. Audi, ut conſonant eidem veritati. Salomon in Proverb. 12. 8. *Doctrinâ ſuâ noſcitur vir: qui autèm vanus, & excors eſt, patebit contemptui.* Septuaginta: *Os intelligentis laudatur à viro: ſocors autèm ſubſannatur.* In ſermone itáque ſtatim prudentia, vel imprudentia viri cognoſcitur. Eccli. 4. 29. *In linguâ ſapientia dignoſcitur: & ſenſus, & ſcientia, & doctrina in verbo ſenſati.* Græca habent: *Ex ſermone ſapientia cognoſcitur, & è verbis linguæ eruditio.* Syrus: *Ne abſcondas ſapientiam tuam, quia in ſermone cognoſcitur ſapientia, & intelligentia in confabulatione.* Arabicus: *Quoniam ſcientia ex eloquio cognoſcitur, & intelligentiam peccare facit lingua.* Idem cap. 27. 8. *Antè ſermonem nè laudes virum: hæc enim tentatio* (probatio, exploratio) *eſt hominis.* Id eſt, ante quàm quem loquentem audieris, noli de eo, ciuſque indole judicium ferre. Vide ut optima ratio

Sermone agnoſcitur homo.

Prover. 12. 8.

Septuag.

Eccli. 4. 29.

Græc.

Syr.

Arab.

Eccli. 27. 8.

Tentatio quid.

tio explorandi mentem, ingenium, & indolem hominis ſit loquela. Ideò apud Hebræos idem verbum *Japhach* loqui, & apparêre ſignificat, ut docet Vocabularium Complutenſe: affertque exemplum ex Propheta Habacuc 2. 3. *Et apparebit in finem & non mentietur.* Et Pſalm. 26. 12. *Quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Hebræi legunt: *Et loquens mendatium.* B. Hieronymus in pſalterio iuxta hebraicam veritatem tranſtulit: *Et apertum mendatium.* Facit & illud Pſalm. 59. 8. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo.* i. e. apparuit, ut exponit Druſius, author aliàs damnatus. Patet ex tàm multis teſtimonijs, quòd nullo alio ſigno mens hominum diſtinctiùs valet agnoſci, quàm ſermone. Vultus enim ſæpè oculis imponit: nec minùs fallax ſtatura, & habitus corporis. Multi enim quos vultus, proceritas & forma decorant, ingenio ſunt obtuſo, judicio exiguo, mente depreſſâ. Ex adverſo, multi ſtaturam habet exiguam, vultum obſcurum, formam deformem, qui tamèn magnis animis ſunt præditi, ingenio acerrimo, prudentia eximia; qualem fuiſſe Socratem narrat Laercius. Sermo autèn animi certiſsimus eſt index: os enim cordis eſt fibula, imò janua: cor enim per os ſuos affectus enuntiat, prodit, & pandit. Neque vacat myſteriô ille titulus *Samech*, quo David octonarium decimum quintum Pſalmi 118. prænotavit. Nam, interprete D. Ambroſio ibidem, duo ſignificat: *Auditum, & Firmamentum.* Firmitas ergo cognitionis ab auditu; ac proindè ſenſus digniſsimus ille, cui viſus perſpicatia tribuatur. *Audivit Deus* idololatriam. Id eſt, tam certè cognovit, quaſi vidiſſet.

Loqui idem quod apparere.

Habac. 2. 3.

Pſal. 26. 12.

D. Hieron.

Pſal. 59. 8.

Druſ.

Auditus certior viſu.

Auditus firmamẽtum cognitionis.

D. Ambroſ.

27 Sed numquid Deus more noſtro audit, & videt; ut quemadmodum hi ſenſus ſua in nobis officia dividunt; ita & in Deo ſimili differentiâ laborent? Apagè ſtultiſsimam cogitationem. Illa quippè ſpiritalis Subſtantia, quæ nullis corporeis membris diſtinguitur; & quæ audit, videt, & quæ videt, audit. Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 9: *Aurem Dei non membrum corporeum, ſed potentiam eſſe, quæ exaudit, debemus accipere.* Et lib. un. de Eſentia Divinitatis. Tom. 8. *Oculos habere Deus dicitur; eò quòd omnia videt, & nihil eum latet. Aures habere dicitur, propter quòd omnia audit, & nil illi ſub ſilentio latet.* Et Lib. 83. quæſtionum quæſtion.

Auris Dei non membrum corporeum, ſed potentiam audiendi ſignificat.

D. Auguſt.

Oculi Dei.

52.

52. generalem regulam ſtatuit pro his, & ſimilibus locutionibus; dicens: *Divinę Scripturæ à terreno, & humano ſenſu ad divinum & cæleſtem nos erigentes uſque ad ea verba deſcenderunt, quibus inter ſe ſtultiſſimorum etiam utitur conſuetudo. Itâque earum affectionum nomina, quas animus noſter patitur, quaſque longiſſimè à Deo eſſe ſejunctas, jam qui meliùs ſapit, intelligit; non dubitaverunt viri illi, per quos locutus eſt Spiritus ſanctus opportuniſſimè in libris ponere. Ut verbi gratia, quoniam difficillimum eſt, ut homo aliquid vindicet ſinè irâ, vindictam Dei, quæ omnino ſinè perturbatione fit, iram tamèn vocandam judicaverunt. Itèm quia conjugis caſtitatem zelando viri cuſtodire conſueverunt, illam Dei providentiam, per quam præcipitur, atque agitur, nè anima corrumpatur, & deos alienos ſequens quodam modo meretricetur, zelum Dei appellaverunt. Sic & manum Dei vim, quâ operatur, & pedes Dei vim, quâ in omnia cuſtodienda, & guberuanda pertendit: & aures Dei, vel oculos Dei vim, quâ omnia percipit, atque intelligit: & faciem Dei vim, quâ ſe manifeſtat, atque dignoſcitur; & cętera in hunc modum, propterea ſcilicet quia nos, ad quos ſermo fit, & manibus ſolemus operari, & pedibus incedere, & quò fert animus, pervenire, & auribus atque oculis, cæteriſque ſenſibus corporis corporalia percipere, & facie innoteſcere, & ſiquid aliud ad hanc tamquam regulam pertinet.* Longa verba: omnia tamèn eâ mente exſcribere volui, nè videlicet ſępè iſta repetere moleſtus ſcriptor compellar. Porrò hęc locutio vocatur *Antropopatos*; quià Deo, qui puriſsimus eſt ſpiritus, actiones, paſsiones, membraque adſcribit humana.

Affectiones humanæ, cùm Deo tribuntur, quid ſignificent.

D. Auguſt.

Manus Dei.

28 Denique Audire, obedire eſt. Quę quidem Expoſitio, quamvis minimè quadret principi noſtro textui, ubi Deus dicitur audiſſe idololatriam; congruit tamèn illi altero, ubi beatificatur homo, *Qui obturat aures ſuas, nè audiat ſanguinem.* Iſai. 33. 16. Id eſt, nè carnis concupiſcentię obediat, ut Sanchez interpretatur. Quæ priùs fuit Mag. Gregorij ſententia 23. Moral. 17. cuius hæc verba ſunt: *Quid eſt obturare aures ſuas, nè audiat ſanguinem, niſi peccatis ſuadentibus, quę de carne, & ſanguine naſcuntur, non prębere conſenſum?* In hunc ſenſum cęleſtis Sponſus dilectam ſuam ad obedientiam hortatus, *Audi*, inquit, *filia.* Pſalm. 44. 11. Itèm Deuter. 18. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Ibid. 28. 15. *Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias, & facias omnia mandata eius.* Matth.

9. Expoſitio. Audire pro obedire.

Iſai. 33. 16.

Sanct.

Sanguinem non audire, quid. D. Gregor.

Deut. 18. 15.

17.

Matth. 17. 5. 17. 15. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: Ipſum audite.* Joan. 8. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Sed quî rei clariſsimæ lucem aſpergo? Equidem verbô audiendi ſæpè obedientiam intelligi, ambigi nequit,

Caro, & ſanguis quam clamoſi; 29 Illud autèm non tàm perſpicuum: cur, nempè, ſanguis, id eſt, concupiſcentia carnis, audiri queat, cum muta illa ſit, miniméque vocalis. Tu nè mutam dicis concupiſcentiam carnis? Ego verò puto nil ea inveniri clamoſius. Audi Auguſtinum lib. 9. Confeſſ. cap. 11. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ; & ſuccutibant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant: Dimittis nos? Et à momento non erimus tecum in æternum? Quas ſordes ſuggerebant, quæ dedecora? Et audiebam eas, veluti à dorſo muſsitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantem, ut reſpicerem; retardabant tamèn me cunctantem arripere, atque excutere ab eis, & tranſilire quò vocabar, cùm diceret mihi conſuetudo violenta: Putas nè ſinè iſtis poteris? Et erubeſcebam nimis, quòd illarum nugarum mearum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rurſus illa*, continentia, *quaſi diceret: obmuteſce adverſus illa membra tua ſuper terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex Domini Dei tui.*

D. Auguſt.

Voces carnalium voluptatum.

Lingua carnis, & ſanguinis. Habet ergo caro, & ſanguis linguam ſuam. Suadet, allicit, invitat in ſui amorem; & contrà ſibi repugnantes obmurmurat, vociferatur, allatrat. Undè gloriatur Apoſtolus, quòd carnis, & ſanguinis conſilijs non acqueverit; ut Chriſto vocanti velocior per obedientiam reſponderet. *Continuò non acquievi carni, & ſanguini.* Galat. 1. 16. Facilior tamèn erit ſententia, ſi nomine, carnis, & ſanguinis non preciſsè corruptibiles voluptates intelligas; ſed ipſos homines carne, & ſanguine conſtantes. Ità quippè ſolet Scriptura homines carnalia ſapientes appellare; & Deo, aut divina ſapientibus opponere. Salvator apud Matthæum 16. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona: quià caro, & ſanguis non revelavit tibi; ſed pater meus qui in cælis eſt*: Joannes 1. 13. *Qui non ex voluntate Carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Paulus 1. Corinth. 15. 50. *Caro, & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt.* Ità etiam ſapientia, & prudentia carnis appellatur, *Roman.* 8. 6. 7. Audire igitur carnem, & ſanguinem, eſt falſis eius perſuaſionibus obedire; ſivè homines intelligas, carnalia conſulentes; ſivè voluptates terrenas humana corda incantantes.

Galat. 1. 16.

Caro, & ſanguis aliquando homines carnales ſignificat.

Matth. 16. 17.

Joan. 1. 13.

Cor. 15. 50.

Roman. 8. 6. 7.

30 Sed & in genere per aurem deſignari obedientiam, clarè docet ritus ille Moſaicæ Legis, quô ſervo, qui poſtpoſita libertate, divelli à Domino nollet, auris ſubulâ perfodi jubebatur. Exod. 21. 6. *Applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque auriculam eius ſubula: eritque ſervus in ſæculum*: quod idem habetur *Deuter.* 15. 17. Theodoretus quæſtione 45. in Exodum docet; ideo auditûs organo illud ſignum appoſitum, ut intelligat huiuſmodi ſervus, omnem obedientiam præſtare debere: quod priùs dixerat Cyrillus Alexandrinus in Cate. Grec.: & rationem optimam adducit; quià, nimirùm, ipſe ſervus, eam partem, quam natura voci per viam fecit, quodammodò impediri voluerit. *Ut non naturali auditûs foramine recipiat unquam ſermonem de libertate; ſed ſervus maneat ſemper, qui præſentia amavit.* Eumdem hunc ritum alluſiſſe Davidem in Pſalmo 39. 7. probabile eſt; *ſacrificium, & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi*; quem locum de Chriſto citat Apoſtolus Hebræ 10. 5. in hunc modum: *Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi.* Porrò locum illum Pſalmi tranſtulerunt alij: *Aures fodiſti, incidiſti, perforaſti*, ut videre eſt apud Lorinum. De Chriſti obedientia exponunt ferè uno calamo Interpretes. Sat fuerit unum Incognitum audire: *Quid eſt, aures autem perfeciſti mihi? Sunt verba Chriſti* i. e. *me feciſti ad perfectè obediendum tibi: quod fuit, quando factus eſt obediens uſque ad mortem.* Et hæc ſufficiant pro literali ennarratione. Modò miſticos ſenſus perſcrutemur.

Auris ſervo perforata obedientiæ ſymbolum. Exod. 21. 6.

Cyril. Alex.

Pſal. 39. 7.

Hebr. 10. 5.

Incogn.

VARIETAS LECTIONUM.

Vulg.	*Audivit Deus.*	*Advertit.*	Auguſt. Haym.
Chald.	*Auditum eſt coram Deo.*	*Intellexit.*	
Pſ. R.	*Audivit Dominus.*	*Animadvertit.*	Brun.
Remig.	*Conſideravit.*	*Cognovit.*	Bed.

CONCORDIA VERSIONUM VACAT; quoniam nulla diſcordia.

DISSERTATIONUM ABACUS.

1. Peccatorem ſua crimina apud Deum accuſant.
2. Qualis vir, talis oratio.
3. Deus peccata mortalium ſic videt, quaſi audiat; homines verò ſic audiunt, quaſi videant.
4. Sancti Ludovici Regis lucidiſsimæ aures.
5. Judex auritus rectiùs videt, quàm oculatus.
6. Obedientia perfectiſsima, cæca.
7. Sancti Parentis Franciſci egregia in Deum confidentia: quia cæca.
8. Obcæcati terrenâ felicitate, ſurdeſcimus ad æterna.
9. Ut benè audias, benè videas.
10. Prętſtat audire Chriſtum; quàm videre.
11. Deum qui audit, videre dignus.
12. Reprehenſio, quæ auditur tantùm non auditur.

DISSERTATIO I.

PECCATOREM SUA *crimina apud Deum accuſant.*

1 QUàm eſt inops conſilij peccator, quàmque ignarus ſortis ſuæ! Securum ſe putat, dùm clanculùm peccat. Judicem non veretur, ubi teſtis non adeſt. Nil exiſtimat vocale, niſi verbum. Undè à factis ſuis prodi non timet, quibus nulla vox ſuſpicatur ineſſe. Sed planè mentita eſt iniquitas ſibi. Habent, habent ſanè facinora linguam ſuam. In ſilentio peccamus. Verùm ſemel admiſſa tacere neſcit iniquitas. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, de peccatore id Pſaltes Regius affirmat. Pſal. 7. 15. Hic dolor non quemvis cruciatum; ſed ſignanter peccatum denotat: quod quidem benè dolor dicitur, quòd ipſum cauſa ſit omnis doloris. Undè Sapientia 10. 9. *hos qui ſe obſervant, à doloribus liberavit.* i. à peccatis, metonymicè.. Scelus ergò concipitur, & paritur: quoniam quamvis clanculùm inſidebatur in pectus, tandem multò clamore erumpit in lucem. Non eſt, cur ſperes iniquitatem tuam, quâvis poſſe ſimulatione contegi. Fœtus eſt, qui ſilenter concipitur; ſed qui contineri in alvo diù non patiatur, nec tacere diſcat in ortu. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.*

Peccata latere non poſſunt.

Peccata vocalia ſunt.

Pſal. 7. 15.

Dolor pro peccato.

Sapient. 10. 9.

2 Quantis egit David artibus, nè conceptum cum Bethſabea ſcelus detegeretur? Verùm, quò diligentiùs thalamum obumbrabat cortinis, eò violentiùs diſſipatis adulterium prodebatur. Uriam aſcivit ex prælio Martis; ut in pugna veneris, nempè bonus miles, defenderet ducem: & more inſolito, ubi Imperator vicerat, triumphum ageret ſtipendiarius. Aſt in certamine veneris haùd infrequens hic triumphus. Multorum nomine ille riſit apud facetiſsimum Ovvenum lib. 1. Epigram. 38.

S. David.

Luxuria latère non poteſt.

Filij ſuppoſititij.

Hos ego filiolos feci, tulit alter honores.
Sic vos, non vobis, nidificatis aves.

Ovven.

Porrò non ſic Davidi ſucceſsit. Aſtum quippè adulteri Regis eluſit militis continentia: detectumque eſt adulterium, quòd dormire cum uxore Urias abnuit. Nec magis convoluta libido cædè mariti. Cruore quippè luxuria non deletur, ſed coloratur. Concupiſcentia ergo, ubi ſanguine fuerit infecta, potius crimen oſtentat, quàm occulit. Hùc Domini minitatio: *Tu enim feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael.* 2. Reg. 12. 12.

2. Reg. 12. 12.

3 Age. Quis Rubeni flagitioſum inceſtum parenti nuntiavit? *Abijt Ruben, & dormivit cùm Bala concubina patris ſui: quod illum minimè latuit.* Geneſ. 35. 22. Undè vulgatum crimen? Nùm Ruben palam in amplexum irruit, ut Abſalom? Nùm Balæ uterus intumuit, ut Thamaris? Quomodo ergo occultiſsimum filij crimen ad patris aures pervenit? Nimirùm, ſcelus ipſum vocaliſsimum eſt. Suimet præco, tibicenque clamoſus, ſe ipſum evulgat, proditque. Quòd latentius crimen, quàm nequiſsimus Onani cum Thamare concubitus? Abditiſsimi tamèn flagitij fœtor per cuncta ſæcula ſpargitur. *Percuſsit eum Dominus, eo quòd rem deteſtabilem faceret.* Geneſ. 38. 10. Caveamus ergo luxuriam, ſi bonum nomen amamus. Nulla enim evitandæ, in hoc vitio præſertim, ſpes eſt infamiæ. Vapor eſt, quem tàm occultè ſol è ſterquilinio ebibit, ut à nullo vilis rapina deprehendatur. Verum coactâ in nubem præda, imbribus, fulgoribus, tonitruiſque raptorem, furtumque prodit.

Geneſ. 35. 22.

Caſtitatis cura.

Geneſ. 38. 10.

Famæ cura.

dit. Subſilit clandeſtinus vapor in cęlum nullo ſonitu. Verùm ut ibi conſcenderit, degenerem ſolis curam ingenti ſtrepitu enuntiat. Ità profectò ſcelus, mutum quantumvis ſit, cùm admittitur; tandem non voce, ſed tonitru evulgatur.

4 Verùm enim verò, minùs peccatorum lingua foret pertimeſcenda, ſi ad humanas tantùm aures perſtreperet. Altiùs multò intonare conſuevit. It clamor in aſtra, cælum petit, imò & aures Numinis impetit. *Audivit Deus*, inquit Regius Vates Pſalm. 77. 59. Quid porrò audivit, ſi nulla ibi verborum mentio? Verborum quidem nulla; ſed criminum multa. Quieſcebant linguæ; delicta verò haùd ceſſabant. Et ubi peccata ebulliunt, Deus perhibetur audire: ſcelera quippè tàm potènter ſtrepunt; ut vel Dei aures ſuo clamore feriant. Paſsim contrà Numen, ſummè propitiùm, revellare; dæmonibus templa erigere; coram ipſis procumbere; nefandum thus adolere; pecudes immolare; mactare filios; hæc, inquam, non verba, ſed facta ſunt. Audita tamèn dicuntur à Deo: quoniam, ut authorem ſuum funditùs crimina perdant, immani clamore vindictam à Deo expoſcunt. *Audivit Deus.*

5 Nonnè hoc habetur clariſſimè in Geneſi? 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, inquit Dominus ad Cainum. En ſanguinem clamantem, & clamantem de terra, & ad Deum clamantem. Potentiſſima autèm neceſſum eſt, ut vox illa ſit, quam de terra vociferantem Deus audivit in cælo. Cur verò clamat? Ut Cainum accuſet, inquit S. Ambroſius lib. 2. de Cain. cap. 9. *Vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti.* Ut celerem à Deo, & atrocem vindictam expoſcat, S. Hieronymus ait in Ezechiel. cap. 27. Vę homicidis! Non eſt, quod hoſti, quem interficis, vocem eripias: ipſum quem effundis ſanguinem, facis contrà te vocalem. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

6 Quid, quòd non clamavit ille ſanguis, qui reſiderat in corpore Abelis, ſed is qui limo fuerat inſperſus? Non quippè ait: *ſanguis clamat* de corpore, ſed de *terra*. Cur ſanguis de terra, & non de corpore? An quia ignobilior ille ob terræ contactum, conſortiumque luti; nobilior iſte, puriorque, ut potè ab omni terrena labe ſecretus? Vero haùd abſimilis ratio. Nulli enim vindictę cupidiores, quàm qui viliſsima conditione obſcurantur: Nulli verò clementiores in reos, quàm quos nobilior illuſtrat origo. Tacet puriſsimus corporis cruor. Vociferatur ſanguis limò plenus, & cœnoſus. Accuſat iſte: ille parcit. Nimirum, animus generoſus facilè iujuriam condonat; ignobilis vero & abjectus paſcitur delationibus, & vindictâ. *Vox ſanguinis fratris Abel clamat ad me de terra.* I modò, & occulto ſceleri fide. Nullum habebis contra te clamoſiorem, promptiorem ve teſtem.

7 Hôc monitu voluit Dominus eumdem Cainum à prȩconcepto abſterrere flagitio, cùm dixit: *Nonnè ſi benè egeris, recipies: ſin autèm malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Geneſ. 4. 7. Mirum ſane! Non minas, non exilium, non compedes, non ipſam mortem nuntiavit: monuit tantùm à ſuo iri peccato accuſatum. An magis timenda vox flagitij, quàm ſuppliciorum acerbitas? Crediderim, ità Dominum fuiſſe loquutum, quòd ſperaret, iratum hominem melius fore frænandum infamiæ metu, quàm quòvis pœnarum genere. Suppliciorum namque acerbitate poſſet quis ſpoliari vitâ: clamore autèm flagitij diſpendium boni nominis pateretur. Et longè durius eſt, notâ infami maculari, quàm dulciſsimâ vitâ privari.

Pſalm. 77. 59. — Vox peccatorũ altiſsima. — Peccata vindictam de authore à Deo expoſcunt. — Geneſ. 4. 10. — S. Ambroſ. — S. Hieron. — Homicidia clamant ad Deũ. — Malorum conſortium. — Clementia proprior nobiliũ, Vindicta ignobilium. — Delatores. — Geneſ. 4. 7. — Famæ cura. — Fama quàm vita charior.

Peccata diu latêre nequeunt.

ri. Præterea. Non cunctatur ſcelus, non vel minimam nectit morulam; ſed confeſtim peſtrepit in foribus, ut ſui authorem evulget. *Statim in foribus peccatum aderit.* Tardam nimis hanc ſequacem pœnam Horatius meditabatur, cùm eam claudo pede gradientem depinxit *lib.* 3. *Carmin. Od.* 3.

Pœna peccati celerrima.

Horat.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pœna pede claudo.

Non enim pede claudo, ſed rectò, ſed veloci, ſed celerrimo hæc pœna flagitioſum perſequitur. *Statim in foribus peccatum adsrit.* Deinde non in angulis peccatum ſubmurmurat, non ad aures familiarium, vel amicorum ſuſurrat; ſed præ foribus clamitat, inque plateis dat vocem ſuam. Quid patentius foribus? In his tamèn clamitat ſcelus: ut author ſuus nulli non innoteſcat tranſeunti. In ſecreto ille peccavit; ſed peccati infamia momentò per totam urbem ſpargitur. *Statim peccatum in foribus aderit.*

Infamia peccati latiſsimè patet.

8 Poſtremò. Formidabilior erit ſententia, ſi fores iſtas non domunculę ipſius pecatoris; ſed aulæ regiæ Dei Omnipotentis eſſe interpretemur: quod placere video P. Benedicto Fernandio, nobili Geneſeos Expoſitori. Valdè ergo timenda peccatori ſua iniquitas: quæ ſtatim avolat uſque ad fores aulę Dei. Per fores quidem locus judicij apertè deſignatur. In his enim ſolebant Hebræi judicia exercere, & reos condemnare: qui mos illis teſtimonijs convincitur: *Non facias violentiam pauperi: nèque conteras egenum in porta.* Proverb. 22. 22. *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum Senatoribus terre.* Ibid. 31. 23. In terra ergo peccas: ſed ſtatim peccatum adeſt in foribus aulæ Dei: antè Supremi Judicis tribunal ſe ſiſtit. Ibi præſtrepit, ibi altum clamat, ibi inconditis vociferationibus Deum obteſtatur vindicem; poſcitque à Deo ſupplicium in peccantem. *Sin autem malè, ſtatim peccatum in foribus aderit.*

Peccatum clamitat ad fores aulæ Dei.

Fernand.

9 Quàm verò importunè adverſus impium clamitet ſcelus, indè conjectare licet, quòd ſuis clamoribus quaſi ab invito Numine vindictam extorquet. *Nonne, ſi benè egeris, recipies: ſin autèm malè ſtatim in foribus peccatum aderit.* Nota ordinem ſententiarum. *Si benè egeris, recipies: ſin autèm malè*; quid dicendum ſperabas, niſi punieris? Nam cur promptior aderit merces boni operis, quàm mali ſupplicium? Quia, nimirùm, ſuper exaltat miſericordia judicium. Sanè Dominus ibi loquitur, & de boni operis prętnio, & de mali punitione: diverſò tamèn ordine. De mercede namque loquens, à ſe ultrò præſtandam declaravit: nihil interdum bene operante loquènte: de ſuplicio autem verba faciens, obteſtantis pèccati commeminit. Quo ſatis indicavit Miſericors Dominus, paratiſsimum ſe eſſe bona opera retribuere: ut vero mala puniat, importuno clamore iniquitatis adſtringi. Silet bonum opus; & juſtus glorificatur: impius verò non, niſi peccato in aures Dei clamitante, punitur. *Si benè egeris recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.*

Judicia apud Hebræos in portis.

Prover. 22. 22.

Ibi 31. 23.

10 Conſonat Iudici præco, Apoſtolus Deo. Audi Jacobum acri orarione adverſus crudeles divites inſurgentem. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſerijs veſtris, quę advenient vobis.* cap. 4. 1. Quę porro miſeriæ? Terrenas præſentiſque vitæ intelligit Hugo, Thomas Anglicus, Lyranus, Salmeron, & alij. Nonnulli exponi quoque poſſe putant permodum prophetię miſerias, quæ adventurę eſſent per Romanos pro culpa, quam commiſerant, Dominum crucifigentes. Sed placet magis expoſitio doctiſsimi Claudi Guilladi Belliocenſis de judicio Dei, ipſâque damnatione ſempiterna: quę

Peccatoris punitio ob clamorē peccati.

Dei miſericordia.

Deus ad mercedem promptus; ad pœnam tardus.

Avaritiæ clamore provocatur ira Dei. Jacob. 4. 1.

Divitum miſerię.

Avaros æterna pœna manet.

interpretatio magis apparet conformis Apoſtolo, qui poſt enumerata divitum ſcelera, protinus ſubdit: *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſsimis diebus.* v. 3. Verùm, ſi crudeles divites horrenda infelicitas manet, operæ precium eſt inquirere; undè extremam Dei iram adverſus ſe provocaverint? Audi immediatè ſubjecta: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* V. 4.

Ibid. v. 4.

Merces detenta clamat ad Deum.

11 Mirum! Plurimis graviſmiſque flagitijs illi homines tenebantur aſtricti. Primò, Chriſtianam religionem neglexerant. Deindè toti lucro inhiabant, & quæſtui. Tùm, epulis, & luxurijs nimis lautè, & volupè vivebant. Ad hęc, in purpurâ, pompâque veſtimentorum ſuperbè gloriantes pannoſos homines habebant deſpectui. Subindè, omni humanitate exuti, maluerunt ſuperflua ſua ſitu, & ſqualore perire, quàm pauperibus & indigentibus erogare. Hæc omnia in eadem Epiſtola habentur. Tantâ nihilominùs iniquitatum mole quaſi immota deſcribitur ira Dei; ubi verò fraudata merces operariorum clamare narratur, tum Numinis vindicta perhibetur accenſa. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſsimis diebus.* Cur? *Eccè merces operarariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Ità ne? Ita profectò. Nullò enim ſcelere divinus furor magis concitatur, quàm devitæ mercedis denegatione. Non tàm Deus ſtomachatur divitibus, quòd non benignè indigentibus faveant: quòd facultates ſuas corrumpi malint, quàm in pios uſus converti: quòd pompoſi incedant: quòd ſplendidè epulentur: quòd luxurijs ſe ſe ingurgitent: quòd *philargyriâ*, & *pleoxeniâ*, id eſt avaritia, & cupiditate plus habendi, acquirendique inexplicabiliter exæſtuent; quàm quòd pro sè laborantibus operarijs debitam mercedem aut penitus negant, aut non juſtè numerant, aut iniquè differunt. Tolerabit Deus patienter illa peccata; hanc verò impietatem ſempiternâ damnatione multabit. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſsimis diebus. Eccè merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.*

Avarorum peccata.

Debitæ mercedis fraudatio maximè Deum irritat.

Pauperum oppreſſores.

12 Verùm magis convenienter propoſito: Tùm in avaros furor Dei deſcribitur concitatior, cùm merces colonum ludificata narratur. Multis ſanè criminibus infelices illæ animę fœtebant: quorumque quodlibet æternâ erat quidem punitione dignum. Cur ergo formidanda hæc pœna fraudatæ mercedis iniquitati adſcribitur potiùs, quàm alijs flagitijs? Quia, nimirùm, ſolùm detentæ mercedis peccatum clamaſſe fertur ad Dominum. Reliqua muta fuere; hoc unum vocaliſsimum. Et tum ira Numinis acerrimè deſęvit in impios, cum peccatorum clamore illius aures feriuntur. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſsimis diebus. Eccè merces operariorum clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit.* Dum peccata ſilent: dùm ſcelera tacent; ſpes eſt, ut aliquando Dei miſericordiâ adjutus, convaleſcat peccator; deplorata verò ſalus illorum eſt, quorum ſcelera clamitant in cælum. Perijt Cainus. At contrà eum clamavit fraternus ſanguis effuſus. Perierunt Ægyptij. Sed illorum tyrannis audita prius in cælo. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audivi propter duritiam eorum, qui præſunt operibus.* Exod. 3. 7. Periere Sodomorum cives. Sed quorum inominabile facinus inconditis clamoribus penetraveratcęlos. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhę multiplicatus eſt: & peccatum eorum*

Clamoré peccatorum certa pœna ſequitur.

Peccata inclamatia pro vindicta.

Sanguinis effuſio.

Oppreſſio pauperum.

Exod. 3. 7.

Peccatum néandum.

Merces detenta.

eorum aggravatum eſt nimis. Geneſ. 18. 20. Perierunt crudeles iſti divites. At eorum impietas in cælum clamavit pro vindictâ. *Ecce merces operariorum clamat.* Vide, ut peccatorum clamorem ubique pœna ſequatur. Semper ac legimus flagitia in cælum clamaſſe, iram quoque Dei in impios deſæviſſe comperimus. Igitur haud tàm formidanda peccata videntur, quàm eorum clamor: nam quod tamdem ſceleſtus perijt, magis in cauſa eſt peccatorum clamor, quàm eorumdem admiſsio.

Minùs timenda peccata, quam eorum clamor.

Deum audire peccata, punire eſt. Pſal. 77. 59. Iſai. 5. 9.

13 Hoc illis teſtimonijs convincitur, quibus Deus audire ſcelera noſtra dicitur, cùm per effectum ipſa punit. Pſal. 77. 59. *Audivit Dominus, & ſprevit: & ad nihilum redegit valdè Iſrael.* Iſai. 5. 9. *In auribus meis ſunt hæc.* Quid inde porro? *Niſi domus multæ deſertæ fuerint, grandes, & pulcræ abſque habitatore.*

Jerem. 48. 29. & 31.

Jerem. 48. 29. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde.* Vide ſequelam: *Ideò ſuper Moab ejulabo, & ad Moab univerſam clamabo.* Verſ. 31. Adi Expoſit. liter. n. 18. Igitur ad phraſim Paginæ Sanctæ idem eſt Deum audire ſcelera noſtra, ac vindicem illorum ſe præbere. Cur vero ita? Quià, nempè, peccata, quæ Deus audit, ſunt peccata cùm clamore: hæc autèm tùm intelliguntur puniri, cùm nuntiantur audita: quoniam id, quò tandem Numinis ira recrudeſcit in impios, non tàm ipſa ſcelera ſunt, quàm eorum clamor, qui continuè ſupplicium poſcat à Deo in peccantes. Sanè quàm licet omnium peccatorum ultor ſit Deus; quià nihil inultum remanebit: ſunt tamen innumera, quæ Deus non reſervat ad vindictam noviſsimam; ſed illa pietate ſuâ dimittit, iuxta illud Pſal. 129. 3. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit.* Ex flagitijs verò clamantibus, quæque Deus exaudiſſe perhibetur, nullo non extremo affectum ſupplicio legimus. Ideò Numinis vindicta per eius auditionem denotatur: quoniam tantus clamorem inter peccatorum & pœnam intercedit connexus, ut ubi illorum clamor auditur, nùmquam non pœna infligatur. *Audivit Dominus, & ſprevit: & ad nihilum redegit valde Iſraèl.*

Pſal. 129. 3.

Peccatorum fraus.

14 I modo, & peccatis fide. Blandi amici tibi videntur: aſpectu hilari tuis ſe ſe præſentant obtutibus. Verùm latet anguis in herba. Alliciunt ut enecent, invitant, ut perdant: & ſub falſâ gratulantis ſpecie, tuam perniciem meditantur. Infantia ſe tibi mentiuntur, & muta: ut nihil appareat, quod tuo capiti ab elinguis timeas. Cave autem clamoſiſsimos proditores: Nam ſi ſemel admiſſeris, clamare contra te non ceſſabunt, donec miſerrimè perdant. Audi. *Stultè, hâc nocte animam tuam repetunt à te.* Luc. 12. 20. Formidabilis ſententia, quâ ipſe Deus avaro diviti præſentiſsimam mortem, æternamque damnationem minatur. Sed cur tertiâ perſonâ utitur, non verò prima? Cur *repetunt* inquit, non autem, repeto? Sanè id repetimus, quod donavimus. Nemo enim niſi quod ſuum eſt, jure repoſcere valet. Jam quis animarum ſator, quis vitæ conditor, niſi ſolus Deus? Cùr itaque non dicit, ſtulti hominis animam ſe repetiturum, ſed quòd alij repetent? Nam qui eſſent illi alij? Thophylus Angelos intelligit, qui quaſi exactores Dei ab indignis peccatoribus animam infelicem extorquent. Sed magis placet modò, intelligere peccata: hæc quippè rectè dicuntur, animam à ſceleſto repetere: ipſa namque veriſimè peccatorem occidunt; cùm adverſus impium clamantes immodicè, Summum Judicem impellunt, ut tamdem capitalem ſententiam pronuntiet in eum. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te.*

Luc. 12. 20.

Clamor peccatorum occidit peccantes.

Angeli exactores Dei.

Nota

Peccatum accusator violentissimus.

15 Nota insuper vim clamoris. *Animam tuam repetunt à te.* Cur presenti utitur tempore *repetunt*, potiùs quàm futuro, quod magis convenire videbatur, cùm res adhuc, de qua agebatur, futura esset? Si ventura nocte dives erat occidendus: cur illa tragedia quasi præsens denuntiatur? *Hac nocte*, inquit, *repetunt.* Nimirùm, cùm scelus peccantem accusat, tàm certa illi mors, tamque de proximo imminet; ut præsens potiùs jam esse videatur, quàm futura. *Stultè, hac nocte animam tuam repetent à te.* Excute ergo protinùs è sinu tuo lethalem viperam. Socium vita, qui clamore suo improbo te in gehennam trudere conatur.

DISSERTATIO II.

QUALIS VIR, TALIS Oratio.

Senec.

1 SENECÆ sententia est *epistola* 40. Præclarè dictum. Imago namque animi sermo est. Æra tinnitu dignoscimus: vasa fictilia sono, & percussu exploramus. Qui hominem noscere cupit, eius sermonem attendat. Unde Socrates ad Juvenem quemdam, *loquere*, inquit, *ut te videam.* Rectè quidem: quippè sono vocis distinctè persona loquens cognoscitur. Hinc aures illa, quę tantùm visibilia sunt, etiam percipere dicuntur: *Audivit Deus* idololatriam. Psal. 77. 59. Sanè opus idololatriæ visibile quid est, non audibile. Verùm, ut intelligatur visum, describitur auditum: quoniam tàm clarè res auditu cognoscitur, quàm visu. Audire igitur, videre est: quippè haùd magis homines innotescunt ex facie, linguâ tacente, quam ex vocis sonitu, facie non inspecta. Vis ergo loquentem agnoscere? Ipsum ausculta.

Sermo imago mentis.

Socrat.

Audire cur videre est.

2 Sanè ambiens Philippus Christi Patrem videre, enixè petit, ut sibi, suisque Condiscipulis Dominus dignetur ostendere. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Joan. 14. 8. Quid ad hoc Salvator? Philippi orationem subridet: non quià improba, sed quià superflua: rem quippè notam petebat manifestari. Præmiserat namque Dominus de Patre loquens: *Amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.* Ibid. 7. Sed Christi sententia ingentem dificultatem nobis creat. Quęro: ubi Pater Apostolis innotuit? Planè me nescire fateor, nisi fortè in Thaboris vertice. Sed enim ibi non faciem explicuit, quâ posset videri; sed dumtaxat vocem emisit, quâ audiri valuit. *Et ecce vox de cælo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli.* Matth. 17. 5. Si ergo audierunt tantùm, quô pactô Christus asseruit etiam vidisse? Quoniam vocis sonitu clarè, qui loquitur, agnoscitur. Æternus Pater non tantum audiri perhibetur, dùm loqnitur; verùm & oculis cerni: tâm clare quippe is, qui loquitur apparet in voce, ut visus tàm dici mereatur, quâm auditus. *Amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Audierunt discipuli.*

Joan. 14. 8.

Ibid. 7.

Pater cœlestis sua voce agnitus.

Matth. 17. 5.

3 Ex quo autem magis quàm ex voce Divinitas innotescceret? Sciscitanti Jacobo luctatoris viri nomen, ut indè personam resciret, haùd is nomen suum aperit, sed largas benedictiones impartitur. *Dic mihi, quô appellaris nomine? Respondit, cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.* Genes. 32. 29. Se à proferendo nomine excusat, sed faustis vocibus hominem benedicit. Parcit suorum gloriæ titulorum, qui nimimè parcum se ostendit in beneficijs largiendis. Sed cur suum nomen Sancto Patriarchæ oculit? Cur nominis loco benedictionem sustituit? Meritò abstinet Deus à manifestatione sui nominis, cùm lin-

Genes. 32. 29.

Beneficia clam conferenda.

Gloriæ vanæ odium.

Bona lingua Deum declarat.

linguam benedictionibus complet. Sat quippè ſe notum fecit, cum os habere ſe oſtendit, benedictionibus addictum. Nullo quippè nomine ſic Divinitas, ut bonâ linguâ, inclareſcit. *Cur queris nomen meùm ? & benedixit ei in eodem loco.*

4 An non ex vocis ſono latentem in Chriſto divinitatem callidus ſerpens explorare tentavit? Ecce ut aggreditur: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Matth. 4. 3. Non manus lapidibus admovere, ſed linguam tantum explicare ſuadet. Quô verò conſilio ? Vaferrimò quidem, plenòque aſtu. Noverat quippè, Deum in principio oris apertione mundum condidiſſe. Scriptum namque legerat Geneſ. 1. 3. *Dixitque Deus : Fiat lux, & facta eſt lux.* Et iterum Pſal. 32. 9. *Ipſe dixit, & facta ſunt : ipſe mandavit, & creata ſunt.* Volens ergo formidoloſus draco explorare ; an illi homini ſubeſſet Divinitas, monuit, ut eô tenore lapides in panes verteret, quô noverat, Deum univerſa creaſſe : ut ex eodem vocis ſonitu eandem divinitatem olfaceret. Nequit enim non Deus eſſe, qui eodem tenore ac Deus loquitur. *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.*

Matth. 4. 3.

Deus eſt qui ut Deus loquitur.

Geneſ. 1. 3.

Pſal. 32. 9.

5 Mirum à Centurione filium Dei in Cruce fuiſſe agnitum. Fuit tamèn. Unde clamavit : *Verè filius Dei erat iſte.* Matth. 27. 54. Sed undè & miles, & ethnicus divinam filiationem odoratus; præſertim in homine patibulato, fœdato, ſpinis compuncto, denique morti ſubdito ? Pulcrè D. Bernardus *ſerm.* 28. in Cant. hanc eamdem quæſtionem movet : *Undè advertit Centurio pulcritudinem crucifixi : & quòd hic ſit filius Dei, qui cum iniquis reputatus eſt ?* Ipſe tamen ſolvit nodum, qui fecit. *Videns quòd ſic clamans ſpiraſſet, ait : hic homo verè filius Dei erat. Ergo ad vocem credidit : ex voce cognovit filium Dei, non ex facie.* Sanè nullum divinæ filiationis ſignum, voce certius. Ex voce cognovit Centurio filium Dei, quem non cognovit ex facie, non ex capite, non ex manibus. Sanè manus & facies damnati Eſau præſeferebant ſpeciem. Vox autem Jacobi perſonam repræſentabat ; nimirùm, ſtrenuum peccati, diabolique ſupplantatorem. Audiendo ergo cognovit miles, quem videndo non cognovit. Adeò certior notitia eſt à voce, quàm à facie ; ab auditu, quàm à viſu. *Ex voce cognovit filium Dei, non ex facie.*

Matth. 27. 54.

D. Bern.

Notitia ab auditu, quam à viſu certior.

6 Verùm homines audiamus loquentes ; ut ex ſonitu linguæ mores eorum diſtinctè videamus. Sanè virtutes, & vitia in cordis ſecreto latent. Sed nihil occultum, quod non reveletur linguâ ſonante. Sermo certè hominem à bellua diſtinguit : Homo loquitur ; minimè bruta. Verùm quid bruta loquerentur ? Diverſa tamèn loquutio diſcernit ab homine hominem. Audi Joannem Baptiſtam : *Qui de terra eſt, de terra eſt.* Joan. 3. 31. Quid mirum ! Mirum ſanè fuiſſet, ſi qui de terra eſt, de terra non eſſet. Valdè ergo frigida iſthæc videtur ſententia, inutiliſque tautologia. Sed quis tàm fuerit impudens, ut reprehendere audeat Prophetarum maximum, Solis lucernam, Vocemque Verbi ? Sententiam integram accipe ; *Qui de terra eſt, de terra eſt, & de terra loquitur.* Non putemus, quòd omnes, qui de terra ſunt, de terra ſunt. Omnes quidem mortales de terra ſunt. Nullus quippè non è limo terræ originem ducit. Sed non omnes terreni ſunt : quoniam plurimi per gratiam renati, è cælo habere originem meritò gloriantur : indè cives ſanctorum effecti, & domeſtici Dei. Vis autèm noſcere, undè quiſque ſit ? Audi quid loquatur. Qui cæleſtia loquitur, de cælo eſt ; qui terrena effutit, de terra. *Qui de terra eſt, de*

Unde quiſque ſit, loquela declarat.

Joan. 3. 31.

Patria juſtorum cælum eſt, impiorum terra.

terra eſt, & terrena loquitur. Favent quàm optimè præclara mei Doctoris Seraphici verba Opuſcul. De perfectione vitæ, cap. 4. *Argumentum*, inquit, *quaſi infallibile eſt, ut ſi ſit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonicè; videtur, quod non ſit Theutonicus. Sic qui eſt in mundo, & mundana non loquitur, evidenter demonſtrat, ſe in mundo non eſſe: qui enim de terra eſt, de terra loquitur.*

D. Bonav.

Qui de mundo non loquitur, de mundo non eſt.

7 Profectò nequit non eſſe verum, quod Veritas ait Matth. 12. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Id quod amamus, perpetuò linguâ verſare gaudemus. Benè Aurelius Olympus Nemeſianus Eclog. 4.

Matth. 12. 24.

Nemes.

Cantat, amat quod quiſque.

Nonnè videmus agricultores de ſuis ruſticationibus frequentèr ſermocinari? Artifices mechanici, niſi de ſuis artificijs audiant, obdormiſcunt. Mercatores, ſi ſermo de mercimonijs fiat, invenies eloquentiſsimos, ad cætera mutos. Oratores toti ſunt in concinnanda linguâ. Poetæ in jactandis verſibus. Denique, cantat, amat quod quiſque.

Quæ quiſque amat, linguâ verſat. Status cuiuſq; ex lingua dignoſcitur.

Horat.

Navita de ventis, de bubus narrat arator:
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Dicat modo Chriſtianus, ſe toto corde diligere Deum. Si Deum ore non verſat, unde probat? Quid ſi è contrà, de Deo irreverenter loquitur, de fide, de religione, & cæteris, ad pietatem facientibus? Dicat vir Religioſus, ſe quæ proprio congruunt ſtatui medullitus anhelare. Si de alienis negotijs haùd libenter proloquitur, verum dicit. Si autem prægaudet vana, & ſcurrilia loqui, & audire, quàm ſpiritualia, & cæleſtia; quis ei credet? Dicat ille, pudicum ſe geſtare pectus? Verùm id obſcœna lingua contradicit. Cor caſtum neſcit impurum ſermonem. Neque valent ſonare labia, quod pectus ignorat. Jactet ergo, ut quiſque volet, virtutes ſuas: ego, ſi ſermo diſſonat, nullas dicam. Audi Jacobum 1. 26.

Argumentũ virtutis ex lingua.

Cordis, & linguę conſonantia.

8 *Siquis putat, ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius vana eſt religio.* Religioſus hòc locò, ac religio generaliorem uſum habent, quàm vulgò putatur: adeò ut religioſus ſit, quiſquis Sathanæ pompiſque eius in baptiſmo abrenuntiavit, verique Dei cultui ſe penitus mancipavit. Undè Syriaca: *Siquis exiſtimat, quòd ſervit Deo.* Quid? Vananè illius Religio eſt, profeſsiovè Chriſtiana, cuius lingua frænum non patitur? Quid ſi petulanter loquens, temperantèr vivit? Quid quòd labijs Deo non ſerviat, ſi corde ſervit? Quid quod minùs ſermone placeat, ſi placet operibus? Stulta præſumptio. Fruſtrà namque ſibi de Religione blanditur, qui linguam à convitijs, obtrectationibus, turpiloquijſque non coercet. Pauca, & circunſpectè loqui, Chriſtianum hominem decet. Sermo pius cultorem pietatis honeſtat. Undè ſemetipſum fallit, & innaniter de tàm præclaro nomine gloriatur, qui linguæ petulantiam frenare non ſtudet. Chriſtianè itaque non vivit, qui Chriſtianè non loquitur. *Siquis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.*

Jacob. 1. 26.

Religio, Religioſus, quid.

Syr.

Linguæ cura.

Chriſtianè non vivit, qui Chriſtianè non loquitur.

9 Futurum Regius vates prędixit, ut in divinas laudes aliquando labia ſua laxarentur. Id verò tum ſe facturum ſperavit, cùm inſtructum ſe à Deo cæleſti doctrina agnoſceret. *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me juſtificationes tuas.* Pſal. 118. 171. Conceptum ſermonem tenere quis poterit! Germinat in lingua, quod in corde floret. Qualem ſemen pectus ſuſcipit, talis & fructus naſcitur in labijs.

Pſal. 118. 171.

Verba Dei qui audit, verba Dei loquitur.

bijs. Cor cæleſti doctrina vacuum, linguam reddit ſterilem ad divina. Eccè Cantor Regius non priùs Dei laudes reſonare preſumpſit, quàm gravidum ſe cęleſtibus diſciplinis perciperet. Tum verò eas cantaturum certò ſibi promiſit, cùm divinas juſtificationes à Deo fuiſſet edoctus. Quaſi non poſsit non de Deo loqui, qui toto pectore divinam doctrinam hauſerit. *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me juſtificationes tuas.* Perbellè D. Ambroſius hoc loco: *Qui didicerit juſtitias Dei, loquitur verba Dei: & qui verbum Dei loquitur, otioſum verbum non loquitur.* Adſint modo vaniloqui, turpiloqui, quoſque nullum carmen ſapit, niſi venerem ſapiat; & dicant quô tandem magiſtro edocti, tàm floridè loqui didicêre? Certè cùm quiſque ea ſolum, quæ fuerit edoctus, loqui valeat; apertè ſub quo magiſtro didicerit, invenitur. Chriſti, & diaboli diſcipulos una loquela diſtinguit. In horum gutture non niſi turpia ſonant; in illorum labijs non aliud quàm divinæ laudes audiuntur. *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me juſtificationes tuas.*

D. Ambroſ.

Cantilenæ turpes.

Diſcipulos Chriſti, & diaboli ſermo diſtinguit.

10 Ut perturbationes animi Saül componeret, quærendum ſibi doctum Lyricem decrevit. Tum de Aulicis unus: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulcrum; & Dominus eſt cum eo.* 1. Reg. 16. 18. Reliqua omnia benè famulo Regis potuerunt eſſe comperta. Hoc verò ultimum, undè novit? Undè, inquam, novit aulicus, quòd Dominus eſſet cum adoleſcente, & citharædo, & robuſto, & bellaci, & pulcro? *Dominus eſt cum eo.* Tanta nè affinitas ſanctitatis ad lyram? Atqui non rarò inter citharæ armoniam diſſolvi conſueyit ſymphonia pectoris. Nùm Deo familiarem ex fo titudine novit? At qui non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Nemrod, qui potentiſsimus viribus fuiſſe narratur, idem & prædonum anteſignanus extitiſſe deſcribitur. An id ex peritia militari agnovit? Atqui Martem ſcio Veneri copulatum, non Dianæ. Samſone bellacior nullus: ſed feminæ laqueis inexplicabiliter irretitus. An denique ſanctitudinem Davidis ex oris venuſtate intellexit? Caſto equidèm nil forma nocet. Rara tamèn eſt concordia formæ atque pudicitię. Etenim

Citharædi.

Robuſti.

Milites.

Pulcri raro caſti.

——— ——— *nullus ephebum*
Deformem ſævâ caſtravit in arce Tyrannus.

Abſalone quis pulcrior? Sed quis pariter impudentior? Ipſe non ſecretò, ſed publicitùs in conſpectu totius populi concubinas patris ſui violare non erubuit. Undè ergò Aulicus valuit circumſtantem juveni Divinitatem agnoſcere? Nihil reſtat niſi una verborum ſanctitas. Animadvertit ore modeſtum; & prædicavit Divinitatis alumnum. *Prudentem in verbis: & Dominus eſt cum eo.*

Abſalonis impudentia.

11 Mira res! Una eloquij prudentia tot teſtimonijs, parum Davidis innocentię faventibus, prævalet. Non ei pſallendi peritia favet; non corporis robur; non bellicus ardor; non frontis venuſtas, quinimò ſępè hæ naturæ dotes haud modicùm candori vitæ nocuerunt. Quid ergo eſt, quòd contrà tot infauſta auguria Davidis ſanctitas innoteſcit? Nimirùm, puritati ſermonis omnia alia teſtimonia cedunt: huic ſigno contradicere nullum valet. Citharista ſit filius Iſai; cui quidèm nomini neſcio quid levitatis ſubeſſe putatur. *Sed Dominus eſt cum eo.* Fortis eſt robore; tales fuere Tyranni. Verùm *Dominus eſt cum eo.* Vir eſt bellicoſus; atque adeò timendum, nè humanitatis ſit expers. Atqui *Dominus eſt cum eo.* Venuſtus eſt fa-

Bona lingua ſanctitatis index.

facie ; & tales Venus amat. Nihilo tamèn ſeciùs *Dominus eſt cùm eo.* Undè probas ? Ex modeſtia , nempe , ſermonis. Puritas namque labiorum evidentiſsimum ſignum eſt latentis in corde Divinitatis. *Vidi filium Iſai, prudentem in verbis , & Dominus eſt cum eo.*

Verborum ſanctitas Dei amicos declarat.

12 Multò tamèn validius argumentum ſumitur ex illa per honorifica obſervantia , quâ Hethæi proſequuti ſunt Abrahamum. Audi ſplendidum vocabulum : Principem appellant , & Principem Dei. *Princeps Dei eſt apud nos.* Geneſ. 23. 6. Vox ſanè emphatica ; ſed quâ voluerunt ſignificare , tam Deo charum eſſe Abrahamum ; ut cùm illo ſit ſolitus familiariter colloqui. Nùm opes , nùm genus ſuum, nùm fœdus cum Rege initum jactaverat Patriarcha , quò tantam apud Hethæos ſibi venerationem conciliaret ? Quin advenam ſe dumtaxàt , & peregrinum humiliter faſſus eſt. *Locutus eſt ad Filios Heth , dicens : Advena ego ſum , & peregrinus apud vos.* Ibid. 4. Jam , Hethæorum gens, barbara illa , atque idolorum cultrix,verum Deum neſciebat. Undè ergo quæſo , homini extraneo , diverſęque Religionis alumno , tanta apud idololatras obſervatio ? Undè tam inſolita reverentia ? Majeſtati , ac ſanctitati verborum Patriarchæ id totum Philo Judęus tribuit lib. de Nobilitate : *Honorabant eum, quaſi ſuum Principem : ſuſpicientes ingenium auguſtius humano faſtigio : nec enim ſermonibus utebatur vulgaribus , ſed divinitatem quamdam præſeferentibus.* Ergo ut Dei Principem venerantur , quem auſcultant , divina verba promentem : nullum quippè validius argumentum eſſe poteſt internæ familiaritatis cùm Deo , quàm lingua divino ſermone plena , cæleſtibuſque verbis redundans. Hac excellentiâ præditi , nedùm apud amicos, verique Dei cultores ; verùm apud exteros quoque , & idolatras ſummo in honore ſanctitatis habentur. *Advena ego ſum & peregrinus apud vos. Princeps Dei eſt apud nos.*

Geneſ. 23. 6.

Linguæ modeſtia. Ibid. 4.

Philip. Jud.

13 Hinc Dominus illis , qui accepturi erant Spiritum Sanctum novas linguas promiſit: *Linguis loquentur novis.* Marc. 16. 17. Novæ gratiæ nova debebatur lingua : quatenus inſolitò illò de rebus mirabilibus ſermone perſpicuè gratia ea , quę animo latebat , innoteſceret. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. cap. 5. *Oportet novos eſſe illorum ſermones , qui novi verbi fuerunt participes.* Undè conſequenter, ubi primùm Apoſtoli accepiſſe Spiritum Sanctum narrantur , illicò magnalia Dei prædicaſſe dicuntur. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto , & cæperunt loqui... magnalia Dei.* Act. 2. 4. 11. Ille enim , qui intus ardebat ignis, redundabat in ora : & qui ſermo foras prodibat , latentem in pectore fervorem detegebat. Alia item cauſa ſubeſt : cur , nimirum , Apoſtoli cælitùs fuerint novis linguis inſtructi. *Linguis loquentur novis.* Anteà eis præceperat Dominus , ut per totum orbem terrarum Evangelij ſemen ſpargerent. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturę.* Marc. 16. 15. Ardua prorſus legatio ! Plenus erat mundus barbaris , idololatris, efferatiſque gentibus. Ut verò apud mentes indomitas , & rebelles gratiam invenirent Apoſtoli , linguas eis Dominus offert, novo ſermone conſpicuas. Non enim non poterat orbis venerari tamquam è cælo miſſos homines illos , quos de divinis rebus altiſsimè differentes audiret. Sapientiſsimè itaque Mundi converſioni conſultum à Domino, cùm ad tantum opus linguis novis Apoſtolos inſtruit. Adeò quippè vera virtus in cæleſti lingua apparet ; ut nemini dubium eſſe poſſet , cæleſtis vitę eſſe ſectatores , qui novæ ſalutis ſermonem

Marc. 16. 17.

Apoſtolis cur novæ linguę datæ.

Clem. Alex.

Ubi Spiritus Sanctus, ibi ſancta locutio.

Act. 2. 4. 11.

Marc. 16. 15.

Gentilium converſio.

Honor concionatoris ſanctitas linguæ.

Animarum cõverſio ex ſanctis concionibus.

nem miniſtrabant. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Linguis loquentur novis.* Sic ergo linguam tuam componere cura, ut & aliorum ſaluti, & tuo nomini conſulere valeas.

DISSERTATIO III.

DEUS PECCATA MORtalium ſic videt, quaſi audiat? homines verò ſic audiunt, quaſi videant.

1 INter cætera mortalitatis incommoda, & hęc eſt caligo mentium, nec tantùm neceſsitas errandi, ſed errorum amor. Nè ſingulis iraſcaris, univerſis ignoſcendum, & indulgendum eſt, generi humano venia tribuenda eſt. Si iraſceris juvenibus, ſenibuſque, quòd peccant; iraſcere infantibus, quòd peccaturi ſunt. Nam quis iraſcitur pueris, quorum ætas nondum novit rerum diſcrimina? Maior eſt excuſatio, & juſtior, hominem eſſe, quam puerum. Hâc conditione nati ſumus, animalia obnoxia non paucioribus animi, quàm corporis morbis; non quidem obtuſa, nec tarda, ſed acumine noſtro male utentia. Altera alteri vitiorum exempla. Quiſque ſequitur priores, malè iter ingreſſos. Quidni habeant excuſationem, cùm publica via erraverint? Hæc Seneca lib. 2. de Ira. cap. 10. magis chriſtianè, quàm ethnicè. Valde quippè conſonant labijs ſacratiſsimæ Philophiæ. *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines*, inquit Dominus. Cur? *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Gen. 8. 21. Dei clementia ob id maximè mortalibus parcit, quòd pronos à natura in ſcelera videt. Proclivitas hominis in flagitia dignum eum quodammodò reddit, vel cùm delinquit, miſeratione. *Oſtendit*, inquit D. Ambroſius, *quòd allevet magis ærumnas hominum, quàm ingravet, ſciens, quòd penitùs peccata hominum aufferri nequeant. Ipſe quidem novit figmentum noſtrum: eôque ſpectato aliqualem excuſationem obtendit peccatis noſtris.*

2 Ità quidem Deus: nos vero non ità. Undè Deus projicit enſem, indè nos gladium arripimus. Undè ille parcit, nos iraſcimur. Undè ille indulget, nos ſęvimus. Nam ille continet iras, quòd pronum ſit cor hominis ad ſcelera: nos verò in vindictum armamur, eà maxime de cauſà, quòd reum à natura proclivem in delicta ſpectamus. Fuſtigetur, excorietur, in mille cruces agatur. Cùr? A natura factus eſt ad vitia. Imò ideò hôc nomine Deus parcit. *Nequaquam maledicam terræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.*

3 Mirum ſanè! Deus homini miſeretur: Homo homini iraſcitur. Deus, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio, fragili mortalium conditioni compatitur. Homo, qui numquam in eodem ſtatu permanet, proximo, quòd non perſeverat immotus, indignatur. Feliciùs ſub Dei oculis homo peccat, quàm ſub oculis alterius hominis. Dominum Judæorum ſcelera audiſſe narrat Propheta. *Audivit Deus.* Pſal. 77. 59. Quænam ſcelera? Num linguæ? Idololatriæ. *In iram concitaverunt eum in collibus ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum provocaverunt.* Ibid. 58. Atqui iſthæc flagitia ad oculos propriè attinent, minimè ad aures: opera quippè manus erant, quibus videri convenit; non verò linguæ verba, ut audiri poſsint. Quâ ergo ſermonis proprietate Deus dicitur audiſſe, quæ audibilia

D. Ambroſ.

Compatiendũ humanæ fragilitati.

Seneca.

Genes. 8. 21.

Dei miſericordia erga lapſos.

Compati neſcientes.

Compati neſcientes imperfectiores eſſe ſolent.

Dei miſericordia.

Pſal. 77. 59.

Ibid. 58.

Deus cur dicatur audire peccata, quæ videt.

bilia non ſunt, ſed viſibilia? Inſignis Commutatio eſt; ſed quâ Numinis clementia erga miſeros peccatores luculentèr oſtenditur. Equidem ſcelera viſa multò acriùs pungunt animos, quàm audita, juxta illud triſtiſsimum.

Scelera viſa magis animos irritant, quàm audita. Horat.

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibùs, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

4 Undè idem Dominus Jeremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc: nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* Jerem. 7. 16. Cur implacabili furore concitatus Dominus? Antea prædixerat: *Ego ſum, ego vidi.* Ibid. 11. Non ſe continet Deus ad viſa crimina, quin illico in peccatores deſæviat. Hinc Regius Pſaltes inquit: *Neque habitavit iuxtà te malignus: neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Pſal. 5. 5. Ante divinos oculos peccator non permanet: quoniam Deus ſpectans ſcelera, ſeveriſsimè commovetur in reos.

Jerem. 7. 16. Deus peccatorum quæ videt, ſeveriſsimus ultor. Ibid. 11. Pſal. 5. 5.

5 Quid verò ſi audiat? Haùd ſanè Deus is eſt, qui ſolo auditu iraſcatur in reos. Immotus audit ſcelera: nec magis ad illa ſtomachatur, quàm ſi neſciret. Quę flagitia magis ad Deum clamantia, quàm Sodomorum? Ipſe Dominus teſtatur, cum inquit: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt*, Geneſ. 18. 20. Poſt tot verò clamores, quid? *Deſcendam*, inquit, *& videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non eſt ita, ut ſciam* Ibid. 21. Sudatus planè locus: ſed ultima verba non plana. Quid enim illud eſt: *ut ſciam*? An ignorabat Omniſciens ſcelera præ cunctis graviſsima? Sciebat equidem; ſed ex auditu. Ideo in terras deſcendit, ut ea, oculis explorando, reſciat. Nam quæ ſolis auribus excipit, tàm parvi Deus facit, quàm ſi neſciret. *Deſcendam, & videbo, ut ſciam.* Nihil ſanè Deus ignorat.

Geneſ. 18. 20. Ibid. 21. Deus quaſi neſcit peccata, quæ non videt.

Sed anthropopathôs de Deo incorporeo ſub ſpecie corporati hominis, Moyſes loquitur. Egregiè S. Hilarius 9. de Trinitate: *Habemus ergo neſcientem Deum, quod tamen non neſciat. Nam, cùm peccata magna valdè eſſe ſciat, & rurſum deſcendit ut videat, an conſumati ſint; intelligimus eum non tunc ea ſcire, quia priùs neſciat, ſed ea tunc ſcire, quia tempus ad agendum ſit.* Scire tunc Deus peccata dicitur, cum tempus adeſt puniendi: neſcire, cum abeſt. Sed donec propiùs ea explorare dignoſcimus, vindictæ tempus inſtare non intelligimus: quoniam ſceleribus dumtaxat auditis tàm parùm commovetur Dei furor, quaſi ea ferè neſciret. *Deſcendam, & videbo, ut ſciam.* Claret ergo Domini clementia erga mortales. Haùd vidiſſe idololatriæ flagitia, quæ tamen viſibilia fuerant, deſcribitur; ſed audiſſe ſolum modò. Tantâ quippè miſericordiâ divinum pectus exundat; ut vel immania flagitia ſæpè quaſi audiens patienter diſſimulet: neque ſtatim, quaſi videns, ſeveriſsimè puniat. *Audivit Deus.* S. Hilar.

6 Quid verò moralis homo; ipſeque in peccatis conceptus, ad malum pronus; inque ſuis membris peccatum, & concupiſcentiam ſpiritui reſiſtentem, atque non raro prævalentem, ſentiens? Quis non ſtupeat? Deus, qui expers omnis peccati eſt, facilè miſeretur delinquentibus. Homo, qui non eſt ſine peccato, fratri peccanti acerbè ſtomachatur. Adeo in peccatores duriores ſunt qui peccarunt. Adeò pronior in miſericordiam, qui nulla eget miſericordia. Hinc illa patientiſsimi Jobi de ſuis ærumnis cum Deo conqueſtio: *Numquid oculi carnei tibi ſunt: aut ſicùt videt homo, & tu videvis? Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris*? cap. 10. 4. 6. Stupet Job quòd tàm ſeverè à Deo, prętèr ipſius morem, tractetur. Et indè magis admiratio increſcit, quòd

Immiſericordiores in peccantes, qui peccarunt. Job. 10. 4. 6.

quòd non oculis carneis ipſe, quemadmodum homo intuetur, ſpectet.

7 Verùm iſthæc diſsimilitudo venerationem potiùs, quàm admirationem Sancto Jobo deberet incutere. Namque formidabiliùs multò eſt examen oculorum ſpiritalium, quàm corporalium. Hi enim ultrà cutem, atque ſpeciem externam non penetrant. Illi verò res, non ſolum eruit ex profundo, ſed quamvis tenebris pluſquam cimerijs obruantur, clarè vident. Hinc de Deo loquens Eccleſiaſticus ait: *Oculi eius multò plus luciditores ſunt ſuper ſolem.* cap. 23. 28. Et Daniel: *Novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt.* cap. 2. 22. Utriuſque differentiam oculi Dominus Samuelem docuit 1. Reg. 16. 7. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autèm intuetur cor.* Quid ergò timendum ab oculo carneo, qui extimam tantum ſpeciem explorare valet? Quid verò non formidandum ab oculo Dei, quem nullum cordis latet ſecretum? Jam, ſi delictorum ſedes inquirimus, plura, & maxima in occulto peccamus, quàm in publico. Undè frequenter pejores apud Deum ſumus, quàm apud homines. Cum itàque nullum peccatum divinos oculos ſubterfugiat; quàm plurima verò humanos; quid de nimia ſeveritate Numinis patientiſsimùs Job queritur, quòd ſic peccata ſua fuerit ſcrutatus, quaſi non ſpiritales oculos, ſed carneos ipſe haberet? Nùm oculi hominis perſpicatiores ſunt, quàm Dei oculi? Abſit. Non equidem perſpicatiores ſunt; ſed iniquiores, ſed duriores, ſed inclementiores. Homo enim, ſi quem fratrem peccantem videt, illicò puniendum decernit. Deus verò, & ſi per ſingula momenta innumeris ſe videat ſceleribus læſum, tamèn patienter diſsimulat; nèque ſtatim vindictæ furore corripitur. Alienum ergo à divina bonitate putat vir ſanctus, ut ſicut homo videt, Deus videat. Quià, nimirùm, homo, cum ipſe peccator naturà ſit, neſcit peccatoribus compati. Deus verò, qui naturà ſanctus eſt, pronus ipſe in miſericordiam eſt. Hunc ſenſum habes ex Juliano, & Polychonio in Catena, quorum hic eſt commentarius, ut Jobus Deo dicat: *Improbitatem hominum minimè imitaris; ut eorum, qui peccarunt, memineris, & ſeveram rationem expoſcas.*

8 Et quid aliud Dominus innuere voluit, cum inter cætera paſsionis ſuæ ludibria, illud quoque perpeti dignatus, quòd nempè, venerabilis eius facies à miniſtris ſatanæ obvelaretur? *Cæperunt*, inquit Marcus, *velare faciem eius. cap.* 14. 65. Nimirum, quò liberior in Dominum debaccharetur audacia, faciem majeſtate plenam perfidi ludæi velarunt. Malitia exuberans oculos divinos ferre non ſuſtinens, dùm clauſos putat, vehementer effrenatur. Sed cùm per ſumum nefas Domini facies obſcuratur ab impijs, tùm ſumma Dei bonitas mirum in modum ſplendet. Ob id quippè mitiſsimus Dominus velari voluit, ut oculis opertis, & quaſi clauſis luminibus oſtenderet; ſe ad hominum peccata veluti cæcutire: neque illa tàm videre, ut puniat, quam audire, ut diſsimulet. *Cæperunt velare faciem eius.*

9 Vidimus Deum audientem mala, quæ videt. Spectandi modò homines videntes delicta, quę audiunt. An tibi perſuaſum eſt, homines ſolis oculis videre, ſoliſque auribus audire? Vehementer erras in ethicis. Nihil in Evangelio frequentiùs invenies illâ Domini ſententiâ: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Matth. 11. 15. & 13. 9. 43. Marc. 4. 9 23. Luc. 8. 9. Quorſum iſthæc Domini adhortatio? Nam quotus quiſque eſt, qui ſi aures habet, non habeat aures audiendi? Quod enim aliud officium aurium, niſi auditio? Profe-

Divinos oculos nullũ peccatum latet, humanos plura.

Eccli 23. 28.

Daniel. 2. 22.

1. Reg. 16. 7.

Plus humanum oculum quam divinum reveremur.

Oculi humani divinis inclementiores.

Catena.

Marc. 14. 65.

Peccator vellet Deum cæcum.

Patientiâ Dei abutentes.

Aures ad videndum.

Matth. 11. 15.

fectò qui auribus audiendi non pollet, is non auritus dicendus, ſed ſurdus. Sed quis adeò vecors eſt, ut Domini verba emendare audeat? Clarè ergo docet, non omnes, qui habent aures, habere aures audiendi: quia ſunt nonnulli, qui aures habent ad videndum. Tantàm quippe fidem verbis detractorijs præſtare ſolent; ut non audire, ſed videre ſibi videantur, quæ audiunt. Sapientiſsimè itaque Dominus admonet; ut qui habent aures audiendi, audiant: nè extrà propriam ſphæram oberrante auditu, oculorum munus nimis ſtultè ambire præſumat. *Qui habet aures audiendi, audiat.*

Facilè credentes, auribus vident.

Statu ſuo quiſq; contentus ſit.

10 Prodigij ad inſtàr eſt, ut oculos, qui fronti inſident, quis geſtet in auribus. Et tamèn hoc portentum vulgare eſt. Frequenter hæc miracula exibet iniqua mortalium conditio, quæ, ut aliorum errata pungat acriùs, lumina retorquet ad aures. Profundè, ut aſſolet Tertulianus, lib. de Anim. cap. 9. *Perſonant culices, ne intenebris quidem aurium cæci.* Mali culices tùm importuno ſtrepitu, tùm acri punctione ſomnos avertunt, nec in noctis tenebris cæcas habent aures. Aures nè culicibus pro oculis ſunt? Culices vident nè auribus? Quale hoc monſtrum? Sanè naturali Philoſophiæ prorſus incognitum, ſed morali ſatis familiare. Nam quibus in delicijs eſt, de alieno corio ludere, carnibus ſaturari, ſanguine paſci, *nè intenebris quidem ſunt aurium cæci*, vident in umbris: etenim quantumvis obſcurum ſit, atque caligine plenum, quod in alios dicitur; ita firmiter credunt, ac ſi luminibus aſpectaſſent. Dùm ſermo ſit de aliorum vitijs, videre putant, quę audiunt. Veritas in puteo altiſsimo jacet; verùm has oculatiſsimas aures ſecretum nullum latet. Sufficit namque illis audire, ut nihil non habeant pro comperto. At genus culicum hoc eſt, non Aquilarum. *Perſonant culices, nè in tenebris quidem aurium cæci.*

Tertul.

Judicantes temerè oculos in auribus geſtant.

Culicibus ſimiles.

11 Aſt prodigioſius monſtrum mihi videre videor. In homine perverſo nil non perverſum. Video homines nèdum oculos geſtantes in auribus, verùm & aures in oculis. Vident, quæ audiunt, & audiunt, quæ vident. Namque in materia vitiorum tàm adhęrent auditis, quàm ſi vidiſſent: tàm non credunt viſis, quàm ſi audiſſent. Uno verbo: Magis auribus credunt, quàm luminibus. *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt.* Verba ſunt Phariſęi, ſtridentis in Magdalenam, dùm Panem vitæ cibaret: quod Lucas narrat cap. 7. 39. Et undè, vir bone, tibi conſtat, quòd ipſa femina, quæ Criſtum tangit, peccatrix eſt? Audiſti; quia fama fuit. Verùm, quæ modo vides ſigna, non peccatricem, ſed penitentiæ magiſtram teſtantur. Nam quid aliud amaræ illæ lacrymæ deſignant, niſi altam cordis compunctionem? Atqui ſcire debueras, quòd in Ezechielè ſcriptum eſt; nempè, quòd in quâ hora peccator gemit, ejus abolentur crimina. Jam, quâ ratione immunda ſit, quæ Jeſum tangit? Quæ Fontem vitæ mundat, immunda ſit? Quæ Florem convallium irrigat, fœda ſit? Quæ Chriſtum ungit, graveoleat? Vel fimus ſi aurum tangat, ſplendet. Et tam propinqua Deo femina nigreſcet? Calet nix vicinis flammis; & frigeat Magdalena, ignem cùm tangit? Nilominus in ore tuo *peccatrix eſt.* Diceres fuiſſe peccatricem, & nemo non tibi conſentiret. Cæterùm, in præſenti dicere peccatricem; nonnè turpiſſima eſt allucinatio, ipſiſque oculis temerè repugnare? Verùm hæc eſt iniquorum hominum conditio; auribus potiùs, quàm oculis fidem dare. Videt certè Phariſæus Magdalenam pœnitentem; ſed peccatricem audie-

Murmuratores plus auribus, quàm oculis credunt.

Luc. 7. 39.

S. Magdalena.

Fama vix recuperatur.

Judicantes impiè.

dierat. Et peccatricem vocat, quamquàm pœnitentem ſpectat. Plus namque apud improbas mentes dubium aurium teſtimonium prævalet, quàm evidentes oculorum depoſitiones. *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quià peccatrix eſt.*

12 O perverſitatem judicij, in ſole caligantis, in caligine videntis! Non videt homo, dùm videt: videt, dùm audit. Quippè quæ audit, tàm alto inſculpit animo, ut nullo oculorum teſtimonio deleri queant. Ut dictis ſuis majorem Angelus fidem faceret, quibus Verbi incarnationem nuntiabat, domeſticum Mariæ Virgini propoſuit exemplum, nempe, gravidam Eliſabethæ ſenectutem. *Eccè Eliſabeth cognata tua, & ipſa, concepit filium in ſenectute ſuâ, & hic menſis ſextus eſt illi, quę vocatur ſterilis.* Luc. 1. 38. Hic hæreo. Nam quâ mente ſterilem dicunt, quæ ſex menſes geſtabat uterum? Dices, cautè geſtabat uterum: hoc enim expreſsit Lucas eod. cap. v. 24. *Occultabat ſe menſibus quinque.* Verùm poſt quintum menſem exactum, ità uterus intumuit, ut non amplius celare potuerit; quin innoteſceret cunctis, ſe eſſe prægnantem. Certè poſt tres tantum à conceptione menſes Thamar Judæ nurus gravida deprehenſa. *Eccè autèm poſt tres menſes nuntiaverunt Judę dicentes: Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumeſcere.* Geneſ. 38. 24. Quomodo ergo celare uteri fæcunditatem poſſet, quæ jam ſextum menſem prægnans agebat? Quo ergo conſilio ſterilem vocant, quam ſpectant gravidam? Quò ſolent homines. Nimirum, ſterilitatem fama vulgaverat: fœcunditatem ipſa lumina teſtabàntur. Et in rebus, quę probrum aliquod proximo aſpergere ſolent, nil teſtimonium valet oculorum, ubi contrarius rumor ſemel ocupaverit aures. Eliſabeth audivit ſterilis: Sterilis ergo dicetur, quamtumvis ad oculum eius fœcunditas pateat. *Hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis.*

13 Oculis ergo vide, auribus audi. Nequit enim non perverti judicium, ubi maior fides auribus, quàm oculis adhibetur. Audi pulcram narrationem. De caſto Joſepho femina adultera coràm marito, quòd ſe violare tentaſſet, acerbè conqueſta eſt. *Ingreſſus eſt ad me, ut còiret mecum.* Genſ. 39. 14. Splendidum ſanè mendacium! Illuſorem dixit, quem patronum potiùs appellare debuiſſet. Sed procaces, & laſcivę feminę, tùm ſe illuſas putant, cùm non illuduntur. Pergit impudica mulier; quòqueoris mendacia manuum etiam fraude roboraret, Oeconomi pallium oſtendit marito. *In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito revertenti domum.* Ibid. 16. Quid ad hæc bonus vir? Sequitur: *His auditis dominus, & nimium credulus verbis conjugis iratus eſt valdè; tradiditque Joſeph in carcerem.* Ibid. 19. Cur nimium credulus arguitur Putiphar? Num levis fuit animi in re tantà, tantaque ſui thalami contumelia uxori credere, & lacrymanti, & vociferanti, & pallium ſervi profugi oſtentatis? Levis, inquis? Imò & leviſsimi. Quippè poſt habitò oculorum teſtimonio, ſolo aurium examine innocentem carceri mancipavit.

14 Attende. Duobus egit callida femina, ut crederetur à viro, linguâ, ſcilicet, & manu. Linguâ concinnavit dolum: manu pallium oſtentavit. Sed homo imprudens de viſo pallio nil curans, totam verbis fidem præſtitit. Ità enim habes: *His auditis Dominus.* His auditis, inquit: non, hôc viſo: cùm tamèn æque benè pallium ſpectaſſet, ac verba vidiſſet. Meritò ergo nimiùm credulus ſugillatur Putiphar: quòd inſignis eſt levitatis, & ſtultitiæ nota, ma-

Luc. 1. 38.

Ibid 24. Homines citiùs mala vident, quàm bona.

Geneſ. 38. 24.

Veritas explorанda ad oculum, non ad aures.

Geneſ. 39. 14.

Feminarum luxuria furioſa.

Fraudes mulierum cavendę.

Ibid. 16.

Luxuria mędacijs triumphat. Ibid. 19.

Judex nè ſolis, utatur auribus.

Delatoribus kaûd facile credendum.

Aurium abuſus nimia credulitas.

gis auribus aſſenſum, quàm luminibus præbere. *Nimium credulus verbis conjugis.*

15 Ex hac aurium ſuper oculos prælatione malè orta eſt optimi juvenis incarceratio. *Tradiditque Joſeph in carcerem.* Quid ita? Quoniam ſi oculis dominus voluiſſet credere ſuis, minimè caſtiſſimum ſervum tamquam adulterij tentati reum miſiſſet in compedem. Sanè quàm ipſa veſtis ab uxore rapta, oris mendacium refutabat egregiè. Nam quis cui violentiam infert? Qui nudat; an qui nudatur? Qui pallium projicit; an qui ſurripit? *Si Joſeph vim dominæ voluiſſet inferre, facilè veſtem ſuam, ut potè feminâ robuſtior, ſervaſſet,* ſapienter ait Philo. Hęc itàque veſtis clarum fuiſſet argumentum pudoris Joſeph, ſi oculos ſuos dominus voluiſſet conſulere. At ubi majorem quàm luminibus, auribus fidem præbet, lubricà crēdulitate & impudicam uxorem abſolvit, & juvenem caſtiſſimum damnat. *Nimium credulus verbis uxoris, iratus eſt valde: tradiditque Joſeph in carcerem.* O peſsimè oculatas aures! Quippè quæ dum inſanè ſibi de clarâ viſione gloriantur, in mille errorum ſcopulos cæcas mortalium mentes impingere cogunt. O corda ſtulta! O leves animas!

16 *Innocens credit omni verbo,* Salomon inquit Proverb. 14. 15. *Omni*? Quid ſi verbum ſit mendax? *Credit.* Quid ſi apertæ veritati repugnet? *Credit.* Quid ſi contrarium pateat ad oculum? *Credit.* O candidas mentes, quę neminem fallere poſſe putant, niſi propria lumina! Immoverò cæcas, & caliginoſas, quibus aures pro oculis ſunt. Pro verbo *innocens* Hebreo eſt *peti*, id eſt, parvulus, inexpertus, imperitus, inſipiens. Undè ſymachus vertit *parvulus*, aut *puer*, Chald. & Tigur. *inſipiens.* Et Beda: *hanc innocentiam vetuit Joannes epiſt. 1. cap. 4. cum ait: Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere.* Inſipiens ergo inocentia eſt, parvulorumque ſimplicitas; ità omni verbo credere; ut evidentiæ oculorum fidem abneget. Non ità ſapiens, non ità. Etenim ut ſuddit ibidem Salomon: *Aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Quod Aquila vertit: *Aſtutus intelligentiâ utitur.* Opponit cordatum inſipienti: hic enim quæ audit, ſinè diſcrimine verum putat: ille niſi benè examinatum, credit nil. Audi vel ethnicum Juvenalem Sat. 2.

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære levantur;
Sed tu vera puta, Curtius quod ſentit, & ambo
Scipiadæ, quod Fabricius, Maneſque camilli.

Et omnibus, inquit Seneca, *& nulli credere vitium eſt: alterum honeſtius dixerim vitium, alterum tutius.*

Accuſatoribus non temerè credendum.

Philo.

Juven.

Senec.

Sapiens explorat audita.

DISSERTATIO IV.

S. LUDOVICI REGIS aures lucidiſsimæ.

1 NE mireris inſolentiam dicti. *Senſuum ingenia* Tertulianus agnovit *lib. de Anim.* Nimirùm, ſenſus alteriùs ſenſûs miniſteria pręſumit obire, perque extranea objecta peregrinari gaudet. Lux ad oculos pertinet: ſonus ad aures. Verùm prodigioſo ingenio aures quoque lucem ambire noſcuntur: quippè oculorum ritu ſuffuſas eas lumine, mala quidem philoſophia naturali, ſed bona morali, conſpicimus.

2 Cùm Moyſes minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb, *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur. Dixit ergo Moyſes: Vadam & videbo viſionem hanc magnam.* Exod. 3. 2. 3. Cur magna viſio appellatur? Præter ſudatam rationem de ardentis & illibati arbuſti

Argumentum pro S. Ludovico rege.

Ingenia ſenſuum.

Aures illuminatæ.

Exod. 3. 2. 3.

Imprudens, qui citò credit.

Parvulorū eſt omnia credere.

buſti prodigio, aliam nec incongruam, nec tribialem S. Gregorius Nyſſenus in Catena excogitavit. *Nè videlicet oculos ſolum, verùm etiam (quod mirabilius eſt) auditum radijs eius illuminaret. Natura enim lucis illius, velut in duorum objecta ſenſuum diviſa; ut in oculos ſplendore radiorum, ſic in auditum immortale dogmatum intonaret.* O prodigium! Cæli luce, è rubo fulgente, auditus illuminatur. O vocales radios, Philoſophorum ſcholis penitùs ignotos? O agreſtes hominum aures, ad res dumtaxat mundiales acutas, ad cæleſtes verò malè hebetes, & obtuſas! Verùm ò tèrque, quatèrque beatas aures, quas lux cæleſtis illuminat, quibuſque datum eſt, divinos tueri radios! Has certè aures terrena Philoſophia non novit; verùm apud divinam ſatis ſunt familiares.

Nyſſen.

Luce divina aures illuminatæ.

3 Audi ſuboſcuram ſententiam. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Numer. 24. 3. 4. Notaſti nè orationis nebulam? Si Balaamo erat oculus obturatus, quò pactò viſionem Omnipotentis intuitus eſt? Nam quis eſt, qui obcæcatis luminibus quidquam videat? Profectò res materiales nemo cæcus ſpectare valet: cæleſtes verò, quiſquis aures non habet occluſas. Balaam quidem erant obſcurata lumina; verùm aures apertæ ad cæleſtia verba: dicitur quippè *auditor ſermonum Dei.* Et qui divina eloquia excipit aurè patula, optimè videt, quamtumvis obſcurata lumina geſtet: in cæleſti namque diſciplinâ melius auribus ſpeculatur, quàm oculis. *Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.*

Numer. 24. 3. 4.

Aures melius, quàm oculi divina ſpeculantur.

Oculi veriores.

4 Jam, quis tàm lucidas aures habuit, quam ſanctiſsimus ille Galliarum rex Ludovicus Nonus? Tàm acutas habuit, tàm peſpicaces, tamque ad divina myſteria contemplanda pervigiles, ut ijs ſpectandis nullum oculorum obſequium admiſſerit. Scilicèt, minùs oculo videre poterat, quàm videbat auditu. Vis id tibi validò argumentò perſuadeam? Audi quid in eius eccleſiaſtico officio pro Tertio Ordine S. P. N. Franciſci legatur: Summa fide, ac pietate Chriſtum in venerabili Sacramento præſentem colebat. In quo genere accidit, ut ſacerdote Pariſijs in ſacra Capella Miſſam celebrante, Chriſtus ipſe ſeſe pulcerrimi ſpecie pueri viſibilem, ac conſpicuum omnibus præberet: ad quod miraculum cùm omnes concurrerent, ac plurimi regem invitarent, ire recuſavit, dicens: *id ſpectaculi à Deo pro infidelibus exhiberi: ſibi certiſsimam eſſe fidem realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento.* Ità rex ille pijſsimus. Ecce oculatiſsimas aures. Videre noluit, quòd vidiſſet. Videre recuſavit oculis Chriſtum in Sacramento apparentem, quòd ipſum auribus firmiùs, acutiùſque vidiſſet in eodem latentem. O quantum Ludovicus diſtat à Thoma!

S. Ludovici regis ſumma fides.

S. Ludovicus cur Chriſtum in Euchariſtia apparentem videre noluit.

Magna fides non eſt curioſa.

5 Credidit Apoſtolus divinitatem Chriſti: ſed quià hominem ipſum à mortuis ſuſcitatum vidit. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Joan. 20. 29. E contrà Ludovicus: quia credidit, non vidit. Quia credidit Chriſtum in Sacramento latère; ideo ſub ſpecie pueruli apparentem non vidit. Thomas ergo oculis audivit. Ludovicus vidit auribus. Ille quippè ut crederet aure, priùs oculos admovit. Hic verò, quoniam priùs auribus firmiſsimè crediderat, ideo à Chriſti ſpectaculo oculos removit. Thomas, quià obtuſam geſtabat aurem, in auxilium fidei oculos vocavit. Ludovicus, quoniam perſpicacibus pollebat auribus, lumina permiſsit otiari. Quis ergo non jam Ludovici aures fatebitur lucidiſsimas?

S. Ludovicus auribus vidit.

Joan. 20. 29.

Magna fides oculos recuſat.

Antitheton inter S. Thomã, & Ludovicum.

6 Hoc prœconio video Petrum com-

D. Petri fides eximia. Matth. 16. 16.

commendatum à Domino poſt ſublimem illam confeſsionem : *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Matth. 16. 16. Mercedem recepit vera confeſsio : ergo meruit audire. *Beatus es Simon Bar-Jona.* Cur beatum prædicat , cùm laudat à fide ? Nonnè convenientior laus fuiſſet , cum à ſapientiâ , à prudentiâ , ab obſequiô , quæ probum , ſcilicet , fidelem circunſtant , commendare , quàm à beatitudine ? Nam quid à fide remotius , quàm beatitas ? Etenim fides genus eſt cognitionis obſcuræ , ænigmaticæ , & per ſpeculum. Beatitudo autem eſt cognitio clara , evidens , & facialis. Nam , ut inquit Apoſtolus 1. Cor. 13. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate : tùnc autem facie ad faciem.* Jam , ſi Petri vox fuit profeſsio fidei, quam obrem à Chriſto prædicatur beatus ? Crediderim , talem dictum ob eminentiam fidei : quæ tàm rara, tàm ſublimis in illo reſplenduit; ut quædam beatitudo , lumenque gloriæ videretur. Sic namque Chriſti Divinitatem fidei miniſterio agnovit ; ut non obſcurè, ſed clariſsimè eam attigiſſe putaretur. Valuêre quidem in Petro aures ferè , quod oculus in Beatis : namque quod illi videndo conſpiciunt , iſte penetravit audiendo , quaſi videret. Ergô illi beati , quòd Divinitatem oculo ſpeculantur : beatus iſte , quoniam aure vidit eamdem. *Beatus eſt Simon Bar-Jona.*

D. Petrus ob fidē quomodo beatus.

1. Cor. 13. 12.

7 Qualem Ludovicum prædicavimus ? Credentem nè , an beatum ? Sed ſi ejus fidei eminentiam expendimus , & credentem eum , & beatum meritò pronuntiabimus. Tantâ namque perſpicaciâ novit myſteria cæleſtia; ut ipſius fides quaſi quoddam lumen gloriæ videretur. Ideò , quæ aure audierat , oculis explorare deſpexit : quippè otioſum putavit contemplare luminibus , quæ penè viderat aure. Quibus ergo annumerandus Ludovicus ? Viatoribus ne , an Beatis ? Profectò ſi ad Beatos compares , Viatorem dices : ſi Viatoribus conferas , Beatum exiſtimabis.

D. Ludovicus inter credentes beatus.

8 Vide in parili obſequio diſsimile præmium. Petrus confitetur Criſtum filium Dei vivi. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Matth. 16. 16. Similiter & Thomas Dominum eum , & Deum confitetur. *Reſpondit Thomas , & dixit : Dominus meus , & Deus meus.* Joan. 28. Sed Petrum Dominus beatum dixit. *Beatus es Simon Bar Jona.* Thomam verò non eſt hoc præclaro titulo dignatus. Cur? Quia fides Petri fidei Thomę collata , tàm longè excelere viſa eſt ; ut quiſque putare poſſet , non tam eum ſub obcuritate credidiſſe cum Viatoribus , quàm cum Beatis Divinitatem ſub lumine gloriæ vidiſſe. Laudandus ſanè Thomas, quòd credidit ; ſed modus quô credidit , non laudandus. Credidit namque , quia vidit : non crediturus utique , niſi vidiſſet , ut Euſebius Emiſſen ait. Non quòd materialis illa viſio fuerit ratio , aut cauſa formalis credendi (hęc enim eſt unica Dei revelatio) ſed diſponens ad credendum. Verum indè minùs beatificandus Thomas, quòd evidentiâ rei victus crediderit : quia ibi fides maius habet meritum, ubi humana ratio non habet experimentum , ut ait. D. Gregorius : quantó enim objectum magis à ſenſibus eſt remotum, tantô excellentiùs fidei ratio vendicat meritum. Quid verò Petrus ? Credidit , quæ minimè vidit. Credidit à ſenſibus remotiſſima. Credit quæ caro & ſanguis minimè perſuaſere. Credidit , quæ ſolus Pater cæleſtis revelavit. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Matth. 16. 17. Jure proindè optimô Petrus comparatione Thomæ audire meruit *beatus.* Ille quippè ſolùm inter credentes hôc præclarô nomine dignus , qui in rebus fidei oculorum experimenta contemnit. *Beatus eſt Simon Bar-*

Fides Petri fide Thomæ nobilior.

Matth. 16. 16.

Joan. 20. 28.

Euſeb. Emiſ.

Cauſa formalis credendi quæ.

Fides ubi magis meritoria.

D. Gregor.

Matth. 16. 17.

Bar Jona. Clariùs idem Dominus apud Joannem ubi ſupra : *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Habes Ludovicum inter credentes beatum. Compar ille Petro, Thoma ſuperior ; aure contentus, oculis renuntiavit. Chriſtum patentem videre noluit, quòd latentem ipſum audierat. Extimuit, fidei ſuæ injuriam facere, ſi vidiſſet. Fide beatus erat, horruitque, hanc ſibi felicitatem diminui oculorum examine. Quamquam beato quid opus altera luce ? Sat aure videt, qui audiendo evadit beatus. *Beatus eſt Simon Bar-Jona. Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Fides S. Ludovici cum fide D. Petri collata.

9 Jam mirari deſine, tam in curioſos habuiſſe oculos Ludovicum ; ut puerulum Jeſum in venerabili Sacramento apparentem videre neglexerit. Quò enim illi oculorum lux, qui nobilius lumen imbiberat aure ? Præſtantiore colluſtratus radio, parvam lucem eſt dedignatus. Equidem lux fidei multò eſt illuſtrior omni oculorum viſione. Totus eſt Petrus, ut oſtendat, Chriſti gloriam, & majeſtatem à ſe prædicatam, veram, & divinam eſſe: idque probat urgentiſsimâ certitudinis, & veritatis notâ ; nempè ex oculata viſione gloriæ Domini, quando transfiguratus eſt in monte. *Speculatores facti illius magnitudinis.* 2. Petr. 1. 16. An hoc ſatis viſum eſt Petro, ut obtineret intentum ? Minimè. Subdidit namque : *habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Ibid. 19. Quomodò firmiorem ? Proprijs ipſe oculis inſpexerat Chriſti gloriam ; & tamèn adhuc dicit ſe habere firmiorem propheticum ſermonem ? Ita. Namque ſermo propheticus lucerna erat fidei. Undè ſtatim ſubjecit : *cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Ibid. Comparatione ergo viſionis firmiorem dicit propheticum ſermonem : quoniam fidei lumen exellentius multò eſt omni oculorum viſione. Nimirùm, contrà ea, quæ ipſe viderat, poterat quis objicere, ſuſpecta eſſe illuſione, ſeu magicâ arte. Sermo verò propheticus, ſeu teſtimonium Propherarum, qui de Chriſti Divinitate, Incarnatione, morte, ac redemptione ſunt vaticinati, illuſtrior eſt, quàm ut poſsit quâvis nebulâ ſuſpicionis obſcurari. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem : cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

S. Ludovicus cur oculos habuit incurioſos.

Fidei lux viſione oculorum illuſtrior.

2. Petr. 1. 16.

Ibid. 19.

Ibid.

10 Eccè cur Ludovicus neglexerit inſpicère Chriſtum, ubi ſe præbuit viſibilem. Habebat ſanè teſtimonium firmius. Habebat oracula Prophetarum : habebat evangelicum ſermonem : habebat illud Domini pronuntiatum Joan. 6. 56. *Caro mea vere eſt cibus : & ſanguis meus vere eſt potus.* Quid ergo ad tantam lucernam lux oculorum ? Et quis eſt tàm vecors, qui faculam deſideret in conſpectu ſolis ? Sapientiſsimè itaque Ludovicus egit, cùm Chriſtum viſibilem ſpectare neglexit. Sapientibus namque, ut firmiſsimè credant, Scripturæ ſufficiunt. Simplices, & indocti apparitionibus egent. Nedum Mariam Magdalenam, verùm & Apoſtolos Petrum, & Joannem cucurriſſe ad Domini monumentum, ſacro Evangeliſta narrante cognovimus. *Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, admonumentum. Exijt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.* Joan. 20. 1. 3. Sed & ſimiliter novimus, ſolam Mariam Magdalenam, non verò Petrum & Joannem, Angelorum conſpectu fuiſſe recreatam. *Vidit duos Angelos in albis.* Ibid. 12. Et cur Cælites familiariùs agunt cum feminâ, quàm cum Apoſtolis ? Num Petro, & Joànne ſanctior Magdalena? Quis hoc audeat aſſerere ? Num magnanimæ feminę amor ferventior ? Neque id putaverim. Quarè ergo Angeli appàrent mulieri, diſcipulis non apparent ? Hanc D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in

S. Ludovici fides non opus habuit apparitionibus confirmari.

Joan. 6. 56.

Fides firmiſsima, quæ.

Sapientes firmantur in fide teſtimonio Scripturæ: Simplices apparitionibus.

Joan. 20. 1. 3.

Ibid. 12.

Cyrill. Joannem proponit quæſtionem, & ſolvit his verbis. *Diſcipulos rerum exitus Scripturæ, Chriſti prædicationibus conveniens, ad firmiſsimam fidem induxit. Supervacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum docere. Mulieri autem penitus neceſſarium, quæ nec literas ſciret, nec alio modò ſublime reſurrectionis miſterium percipere poſſet.* Aurea ſanè verba. Alta Dei ſapientia iuxta unius cuiuſque indigentiam res ordinat, & diſponit. In fide Reſurrectionis Chriſti Angelis apparentibus inſtruuntur feminæ, non verò diſcipuli. Hos de ſublimi myſterio altè ſacra Scriptura edocuerat: ideò Angelorum appariti nibus non indigebant. Illę, ut potè ſacrarum literarum ignaræ, aparitionum auxilio ad ſuperna & abſcondita fidei myſteria erant inducendæ. Apparitiones quippè ſimplicibus ſunt, non ſapientibus. Scripturæ ſapientibus ſunt, non ſimplicibus. *Supervacaneum erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri.*

Dei providentia.

11 Apparuit equidem Chriſtus in Hoſtia. Viderint alij cæleſte ſpectaculum: Ludovicus non videat. Aderint alij: Ludovicus non adeat. Firmior fuerat ejus fides, quàm ut indigeret apparitionibus roborari. Habebat Scripturas, quibus ad firmiſsimam fidem erat inductus. Supervacaneum ergo foret illô ſpectaculo doceri. Accurrant infirmiores in fide: accurrant rudiores mentes, ſimpliciores animę accurrant: illis quippè cæleſtia ſpectacula dantur in doctrinam, quibus ſcientia ſcripturarum non ſubeſt. Sapientibus Scriptura ſufficit ad credendum. Quòd ſi illâ non revincuntur, neque miraculoſis apparitionibus cedent.

Viſiones, & revelationes in doctrinam ſimplicibus.

S. Ludovici fides miraculis non indiga.

12 Audi damnati divitis orationem pro fratribus ſuis. In hunc modum deprecatur Abrahamum. *Rogo te pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Luc. 16. 27. Ad hæc Abraham: *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Replicat dives: *Non pater Abraham: ſed ſiquis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent.* Loquitur de ſuo ſenſu, ſuoque affectu, & effectu. Quia enim ipſe Prophetas nullô fructu audierat, conjecturam faciebat, ſuos quoque fratres ità comparatos eſſe. Cui Abraham: *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Ibid. 31. Illatio planè mira! Eccè mortuorum aparitionibus Scripturas præfert. Itane? O ſi refoſſa cadavera voce redivivâ perorare poſſent, quàm mortalium animos commoverent? Quantâ efficaciâ viventes docerent, quod totus Scripturarum clamor perſuadêre non valet? Sed hic error fuit hominis damnati. Contrarium ſenſit Abrahamus. Quod Scriptura non perſuadet, vanè ſperatur à mortuô. Qui enim Scripturæ præceptis reſiſtit, & mortuo peroranti reſiſtet. *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt: neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

Luc. 16. 27.

Sanctorũ verba efficaciſsima ad ſalutem.

Quiſque judicat cæteros de ſuo affectu.

S. Scripturæ energia.

13 Atqui apparitiones, & revelationes ſunt in doctrinam ſimplicibus. Ita ſanè. Simplices, ac rudes apparitionibus commoventur. Sapientes verò non niſi Scripturis revincuntur. Qui Legem & Prophetas ignorant, optimô conſilio muniuntur revelationum, & miraculorum pompâ. Iis verò, quibus oracula ſacra ſatis ſunt nota, fruſtrà miracula exhiberentur: etenim qui doctrinam, quam credunt cæleſtem, parvipendunt, facilius multò irridebunt miracula. Nimirùm, ſacra Scriptura pollet authoritate divina; ſummoque apud fideles mentes pondere gaudet. Miracula verò, quibus non tanta ſubeſt authoritas, minorem fidem extorquent. Ideò idem ipſi, qui in ſummo pretio ſacras literas habent, ſolent non raro miracula in ſuſpicionem adducere, atque interdum calumniari. Verum id eſſe patet, ex re-

Docti, quos ſacra Scriptura non movet, miraculis non moventur.

Miracula pro rudibus.

reſurrectione Lazari, & Chriſti ipſius. Utramque enim irriſere Judæi, neque ob eam in Chriſtum credere voluerunt. Etenim *mortuorum ſuſcitationem falsè, & apparenter facere poteſt etiam diabolus, ut ſeducat imprudentes: ac eis, qui ſcripturas probè ſcrutantur, nihil poteſt illudere.* Inquit Theophylatus. Quiſquis ergo authoritate Scripturæ non docetur, nullis prodigijs, etiam mortuorum ſuſcitationibus commovebitur. *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*

Miraculis non nimis fidendũ.

Falſa miracula diabolus poteſt exhibere. Trophil.

14 Claret S. Ludovici firmiſſima fides. Non illum cæleſte prodigium rapuit. Non vel ipſe Criſtus pulcerrimum ſui ſpectaculum præbens. Properant omnes videre miraculum. Rex perſiſtit immotus. Altâ radice tenetur, qui oculorum prurigine non concutitur. Nimirum, validiſsime in fide firmarant divina oracula: ideò neceſſe non habuit datis de cælo ſignis roborari. Imò nec poſſet: quippè ubi divina authoritas regnat, locum non habent oculorum portenta. *Ire reeuſavit dicens; id ſpectaculi à Deo pro infidelibus exhiberi: ſibi certiſsimam eſſe fidem realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento.* O vox pleniſsima fide? Adeò miracula non curant, quos magna fides informat. Hæc etiam vox fuit, ut res regi conſonet, pijſsimi Luſitaniæ Regis Alphonſi. Cum enim ille primus antè inſignem illam victoriam, quam è quinque Maurorum regibus reportavit, in Auriquio eſſet agro, in aëréque Chriſtum videret Crucifixum, exclamavit: *Quid tu ad me Domine? Credenti enim fidem vis augeri? Meliùs eſt, ut te videant infideles, & credant, quàm ego, qui à fonte Baptiſmatis te Deum verum filium Virginis, & Patris æterni agnovi.* Sic loquuntur fidei proceres.

Alphõſi Regis Luſitaniæ fides egregia.

15 At qui religioſius, inquis, agere videretur S. Ludovicus, ſi & ipſe puerulum Jeſum ſpectatum accederet. Et tu cenſes, propriùs acceſiſſe Chriſto eos, qui ad miraculum properarunt, quàm rex ſanctus, qui ſe domi continuit? Erras. Ad Chriſtum quippè magis animo, & fide, quam corpore, appropinquamur. Pugnare Lucas, & Matthæus videntur, dum ille narrat, Centurionem miſiſſe ad Chriſtum amicos, per quos ſervi incolumitati conſuleret: cùm iſte dicat, eum acceſiſſe ad Dominum. Verba Lucæ ſunt cap. 7. 3. *Miſſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum, ut veniret, & curaret ſervum eius.* Matthæi verò narratio talis eſt Cap. 8. 5: *Cùm introiſſet Jeſus Capharnaum, acceſsit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Numquid diſſonant evangelij oracula? Abſit. Quomodò ergo verum erit, quod ipſe Centurio acceſſerit: & quod per amicos, & ſeniores miſſerit deprecatum. Pro literali concordiâ lege D. Auguſtinum *lib. 2. de conſens. Evangel. cap. 20.* Et pro explicatione morali audi eumdem lib. 33. contra Fauſt. cap. 8. *Centurio ille ad Chriſtum magis acceſſerat, cuius fidem ità laudavit, quam illi ipſi, per quos verba ſua miſsit. Accedens ad Jeſum, non carne, ſed corde, non corporis præſentiâ, ſed fidei potentiâ.* Quamvis Centurio eſſet loco diſtans à Chriſto, propriùs ad eum acceſsit, quam illi qui corpore appropinquarunt. De ijs quippè ſcribit Lucas, quod venerint quidem; minimè verò quod acceſſerint. Neque enim Chriſto accedere eſt dicendus, qui ſolo non abeſt corpore; is intimè adhęret ei, qui corde ſit præſens. Manens in domo Centurio, fide, & animo ad Dominum convolavit, quò multum ſeniores diſtabant. Unde audiri meruit à Chriſto: *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. Ibid. 10. Ad Dominum quippè magis acceditur fide, & animo, quàm cor-

Luc 7. 3.

Matth. 8. 5.

D. Auguſt.

Chriſti præſentia in mente.

Chriſtus quomodo quærendus.

Matth. Ibid. 10.

S. Ludovicus fide Chriſto valde adæret.

Chriſto magis animo. & fide quàm corpore proximamus.

corpore, & carne. *Miſsit ad eum ſeniores Judæorum. Acceſsit ad eum Centurio.*

16 Compone modo Civibus Lutetiæ regem ſuum. Sic parvis componere magna ſolemus. Properant Cives ad cæleſte ſpectaculum : rex domi manet. Chriſti præſentiam populus ambit : nihil Princeps illam curat. Convolant omnes : rex hæret immotus. Uter magis Chriſto accedit ; populus nè, an Princeps ? Sanè Princeps : qui eò magis abfuit corpore, quò magis fuit præſens animo, & fide. Chriſto enim non tam adhæret, & approximatur, qui corporis præſentiâ eum adit, quàm qui fidei amplexibus eum tenet. Nimirùm, qui Domino accedit corporali præſentiâ, carneis oculis eum attingit : Qui verò fide in eum tendit, aure illuminata capit. Et multò intimiùs adhæret Chriſto, qui aure, colluſtratâ fide, ſpeculatur, quàm qui terrenis oculis contuetur. Nihil enim tàm remotum eſt, tàmque ſenſibus humanis impervium, quod fidei aciem ſubterfugere poſsit. Omnia etenim quaſi præſentia, & certiſsima oculis mentis ſubjicit. Tubum opticum illam dices, cuius eſt, res remotiſsimas facere præſentes. Unde Franciſcus Rugerus. *lib. Epigr.*

Fides tubus opticus.

Ruger.

Per cryſtalla oculis longè trajecta
ſit abſens,
Præſens Dædaleo viſus imago tubo.

DISSERTATIO V.

JUDEX AURITUS rectiùs videt, quàm oculatus.

Judices ſine oculis.

1 Qui ſæpè aliàs Judices oculis benè inſtructos præoptavi, modò auribus ornatos potiùs deſidero. Jam oculatos nolo, volo auritos. Neque ob id ſanè mihi repugno : oculatos namque ad cauſas volui ; modò cupio ad perſonas cæcos. Tales optavere gentes illæ, quarum Clemens Romanus *lib. 2. Conſtit.* & D. Baſilius, *epiſt. 79.* meminerunt, in quibus illa conſuetudo viguit, ut judices numquam capitalem ſententiam ferrent, niſi obductâ cortinâ, aut interjecto velo tegerentur. Quin & Thebani, teſte Plutarcho *in lib. de Iſid. & Oſirid.* Ægyptij quoque, (narrante Iſidoro Siculo de fabuloſis antiquorum geſtis) clauſis, aut effoſsis oculis, Judices depingebant ; ut ſignificarent, judices nè oculos quidem habituros fuiſſe, quos in litigantes conjicerent. Moyſes certè coruſcantem faciem ſuper inducto velo occultavit. *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Exod. 34. 33. Et ſunt qui dicant, ſuæ æquitatis oſtendendæ cauſâ id feciſſe. Adduntque illud velamen, quo faciem ſplendentem obtegebat, fuiſſe è linteis, ſudarijs vè quibus mortuorum cadavera involuta ſepeliebantur : ut morte ob oculos occurſante, vitæ integritatem ergà omnes quibus imperabat, diligentiùs ſectaretur. Nimirùm, qui judicat oculis in cauſa calligat : ille videt rectius, qui ſolis utitur auribus.

Clem. Rom. D. Baſil.

Plutarc. Iſid. &c.

Moyſes cur faciem velaverit.

Exod. 34. 33.

Mortis memoria judicibus neceſſaria.

2 *Audivit Deus*, inquit Propheta regius Pſalm. 77. 59. Quid audivit ? Nimirùm, ſcelera Judæorum, præcipuè idololatriam. Atqui nefanda illa crimina, ut potè facta, non dicta, videri quidem poſſent : audiri verò nequaquàm. Quomodò ergo Deus ea dicitur audiviſſe ? De Deo hic tamquam Judice, punitorèque ſeveriſsimo Vates agebat. Utque ſummam illius æquitatem oſtenderet, maluit dicere, audiviſſe crimina, quàm vidiſſe : rectiùs quippè ſcelera judex conſpicit, cùm audit, quàm cum videt. Sanè Deus nil non videt, nil non audit. Sed cùm improba facta noſtra caſtigat, mavult prædicari au-

Pſalm. 77. 59.

Judices ſint auriti.

auditor, quàm inſpector, ut ſcilicet, judices mortales doceret, melius eos cauſas reorum penſaturos, cùm exploraverint auribus, quàm cùm oculis inſpexerint. *Vidit Deus.*

3 Hinc illa ad Dominum Nehemiæ oratio: *Fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, ut audias orationem ſervi tui.* 2. Eſdr. 1. 6. Notaſtin? Numinis cùm viſum, cùm auditum ſibi adeſſe precatur Vates, & tamèn unius tantùm auris officium exigit. Rogat etenim Dominum, ut oculos ſuos aperire dignetur; non tàm ut humiliatum videat, quàm ut orantem exaudiat. *Ut audias orationem ſervi tui.* Num oculis verba excipimus? Quid ergo Propheta optat, à ſe fuſæ orationi Numen oculis intereſſe? Humano more cum Deo loquitur, quaſi cum humano judice: petitque ut oculos aperiat, non ad videndum, ſed ad audiendum. Tum quippè æquius judicium ſperatur à judice, vel cùm nullos habet oculos: vel cùm in aures commutat. Nimirùm, oportet judicem omninò cæcum eſſe, aut, ſiquæ videt, explorare ad aurem. *Fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, ut audias orationem ſervi tui.*

4 Mirum eſt, quòd cùm nil Dei oculos ſubterfugiat; tamèn ubi perſonam judicis agit, auris officium adhibet in examen. *Ait Dominus ad Cain, ubi eſt Abel frater tuus?* Gen. 4. 9. Num Dominus ignorabat, ubi eſſet Abel? Non vidit fratricidium, ſanguinem effuſum, projectum cadaver? Vidit ſanè. Quid igitur dè notâ ſibi cæde Cainum interrogat? Nimirùm, vult excipere auribus crimen, quod inſpexerat oculis. Noluit dicere ſententiam ob unum teſtimonium viſus. Ideòque auditum adhibuit in teſtem. Minùs fidere viſus eſt depoſitioni luminum, quàm aurium probationi. Donec audit, ſuſpendit ſententiam: ob ſpectatum fratricidium Cainum non damnat. Tum demùm ſententiam dixit in eum cùm audivit. *Ubi eſt Abel frater tuus?* O Judicum divinum exemplar! Deus, quæ videt, explorat ad aurem. Terreni judices, quæ audiunt, explorant ad oculum. Dominus nil facit oculum. Homines nil faciunt aurem. Ideò juſtus Dominus, & rectum judicium ſuum. Ideò injuſti homines, & iniqua judicia eorum. Ille quippè ſolus integerrimus Judex, qui apertas geſtat aures, oculos clauſos.

5 Promiſsis, miniſque Balac oneraverat Balaam, ut maledictorum grandine in ſuos fines perrumpentes Hebræos aut aliò abigeret, aut funditùs extirparet. *Paratus ſum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo iſti.* Num. 22. 17. Quid porrò ad tantam machinam Vates? Audi & obſtupeſce. *Reſpondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri, non potero mutare verbum Domini Dei mei, ut vel plùs, vel minùs loloquar.* Ibid. 18. Quis cui ità reſpondere audet? Servus domino, homuncio Regi, egentiſsimus potentiſsimo. Una quippè aſina refractaria ſupellex penè eius univerſa deſcribitur. Et undè Vati tantum robur pectoris, tantaque animi conſtantia? Expende hominis conditionem. Obſcuratus erat luminibus; ſed adeò perſpicax auribus, ut his loco luminum uteretur. Talem quippè ſemet pingit cap. 24. 3. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Oculorum cæcitas, & perſpicacia aurium reddunt hominem imperterritum ad tuenda æquitatis edicta. Urgente Balaam hinc authoritate Regiâ ad ſcelus, indè ſacro auri pondere in mala verba impellente, non modò non malè ominari auſus eſt Iſraeli, ſed fauſta illi, ſpectante, horrente-

2. Eſdr. 1. 6.

Judices ea, quę vident, explorent ad aurem.

Oculi audientes.

Judices minus oculis fidant, quàm auribus.

Geneſ. 4. 9.

Judex audiat reos.

Sententiâ non præcipitet.

Judex cæcus muneribus non flectitur.

Num. 22. 17.

Conſiliarij veri

Ibid. 18.

Sapientia non ſit ſervilis.

Num. 24. 3.

Lingua veritatis amans

LIBRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

que Principe, eſt apprecatus. Sciebat, illum populum Deo charum, & electum: & quoniam carebat oculis, quibus auri fulgorem ſpectaret: aliàs autem pollebat auribus, quibus verba Domini excipiebat; ideò pro veritate, & juſtitia ſtetit invictus in tanta auri, argentique alluvione. *Non potero mutare verbum Domini Dei mei.*

6 Pudet, heu! pudet, Chriſtianos judices ab Ariolo vinci. Non cedit ille Regi, injuſta petenti, non regni Magnatibus, non oblatis honoribus, non denique promiſsis auri, argentique theſauris. Stetit invictus pro benedicto Dei populo contrà tot potentiſsimorum conatus. Quis ex chriſtianis Judicibus tantâ animi fortitudine gaudet? Quis pro innocente pugnat, repugnante Principe? Quis non diris obruit Minimos, ubi videt, id placere Magnatibus? Quis plebeios non dehonorat, ubi à Primoribus ipſe ſperat honorari? Quis pauperum patrocinium ſuſcipit contrà divites, quorum theſauris eſt locupletatus? Quis eſt hic & laudabimus eum? Ut non negaverim eſſe aliquos judices integerrimę vitæ, pectoriſque invicti; ità non paucos eſſe venales, haüd temerè mihi perſuaſerim. Cur? Quià rari ſunt, qui ſolis auribus judicent, & obvelatis luminibus cauſas dicant. Hinc judiciorum perverſitas.

Juſtitia æqua omnibus rara.

Perſonarum acceptio.

7 Ait regius Vates Pſalm. 81. 1. *Deus ſtetit in Synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.* Deos, id eſt, judices, & potentes ſæculi, ut communiter interpretantur Patres. Noverint deiculi terreni, qui humanum judicem verentur nullum, minimè vitare ſe poſſe, quin à Deo deorum judicentur. Et quid cum eis aget? Arguet, nimirum, eos de iniquitate judiciorum ſuorum. *Uſque quò judicatis iniquitatem?* Hoc eſt, judices eſtis iniquitatis, vel iniqui. D. Hieronymus: *Qui judicat iniquitatem, judex iniquitatis eſt.* Verùm, in quo eſt hujuſmodi iniquitas? Subdit: *Facies peccatorum ſumitis.* Ibid. 2. Appoſitè Brunon. *Ac ſi dicat: Si venerit pauper habens negotium juſtum, & iterum dives habens perverſum, vos perſonam aſpicitis, non negotium.* O malè oculatos judices! Oculos habetis, non aures. Oculos, quibus perſonas ſuſpicitis: non aures, quibus negotium audiatis. Hinc tanta judiciorum iniquitas. Ubique pendent in patibulis latrunculi. Ubique pannoſi, qui, nè fame perirent, paucolos argenteos furati ſunt, mori coguntur, vel certè ad triremes damnantur. Quæro; ubi adulteri? Ubi virginum conſtrupatores? Ubi falſarij? Ubi pauperum opreſſores? Ubi pupillorum carnifices? Ubi Provinciarum, & Regnorum depillatores ſuſpenduntur? Hi triumphant: illi pereunt: quoniam pauperes nihil habent, quo judicum oculos poſsint oblectare. Divites verò, nobiles, & potentes habent, quo eorum palpebras ad ſe rapiant. Vilis homuncio Cacus latrocinijs ſuis malè audit apud omnes. Latronum maximus Julius Cæſar, & Imperator habetur, & deorum cathalogo adſcriptus. O verè cæcos judices, dùm malè oculatos! Veſtrâ ſanè attentione pervertitur orbis, qui veſtrâ cęcitate conſtare debuiſſet.

Pſal. 81. 1.

Dei terræ ſupremum judicem timeant.

Judicare iniquitatem quid.

D. Hieron.

Ibid. 2.

Brunon. Fons iniquitatis reſpectus humani.

Judices oculati juſtitiam pervertunt.

Severior juſtitia frequentior in pauperes.

Maximi latrones venerantur; latrunculi puniuntur.

8 Concludit regius Pſaltes. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Ibid. 3. Quô pactô in tenebris ambulare dicuntur ijdem ipſi judices, quibus hominum facies erant manifeſtæ? Poterant nè in caligine hùmanos vultus diſtinctè obſervare? Atqui graviores indè eorum tenebræ, undè acutior intuitus: magis cæci, quò magis oculati. Facies peccatorum obſervabant attentè; & ideò in tenebris ambulabant: nulla enim major cæcitas judicantium, quàm perſonam à perſona diſtinguere. Et quid tandem ſequitur? *Mo-*

Ibid. 5.

Judicum cæcitas perſonam à perſona diſtinguere.

Ibid. 6.

ve-

vebuntur omnia fundamenta terræ. Ibid. 6. Lugenda planè ſequela; ſed inevitabilis. Sub oculato judice totus invertitur, & concutitur orbis. Dives improbus exaltatur; pauper innocens deprimitur, deijcitur, ſuffocatur, omniaque à recto ordine perturbantur. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Sanè hæc ſtrages non è cælo eſt, ſed ex Erebo. Quæ è cælo venit procella, ſublimes turres, alta Principum faſtigia invadit: quæ verò ex Tartaro inſurgit, humiles caſas, pauperumque tabernas quatit. Ità planè evenire videmus, dùm ad terræ motus ſemirutæ domus concuſæ cadunt, ſtantibus optimatum virorum turribus. Has tamèn non ſine fragore feriunt jaculata è cælo fulmina, à quibus rarò mapalia tanguntur. Deus certè non minùs Magnates plectit, imò magis, quàm minimos.

Judex acceptator perſonarũ cõturbat orbẽ.

Dei ira impotentes maior.

9 *Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum*, David inquit, *& ira Dei aſcendit ſuper eos.* Pſalm. 77. 30. Quos eos? Num in pannoſos deſævijt, ut apparetet vindex ſcelerum: & fericatis pepercit; nè ſi Magnates irritaret, pinguiores deeſſent victimæ in altari, quas ſoli Primores adolere poterant? Audi. *Et occidit pingues eorum, & electos Iſraelis impedivit.* En quomodo, fulguris inſtar, Dei ira graſſatur. Non zelotes es, ſed videri cupis, ſi inſimos dumtaxat vulneras, & Magnatum ſplendorem reveritus, eos ne quidem tangere audes. Fulmen turribus iraſcitur, non tugurijs. Qui zelo Domini gladium evaginat, in pinguiores magis deſævijt. *Occidit pingues eorum, & electos Iſraelis impedivit.* Saul eſt, qui ex Amalech vilia quævis demolitut, ſervato rege, & optimis ſpolijs. At Samuel ſuis Agagum manibus trucidat; nullius ſacerdotale ferrum ſanguine rubet, præter quàm Regis. Nimirùm, qui vero Dei zelo flammantur, nulli parcunt.

Pſal. 77. 30.

Deus nullius perſonam reveretur.

Zelus improbus.

Zelus verus.

Zelus ſacerdotalis.

10 Fœdè commixtus eſt Iſraël filiabus Madian: ex quibus unus Iſraelita, impudentior cunctis, ingreſſus eſt ad ſcortum Madianitidem: quod ubi Phinees advertit, zelo Domini ſucenſus arrepto pugione utrumque ſimul confodit. Ob quod facinus egregium Summo eum Sacerdotio, ac filios eius Dominus inſignivit. *Eccè do ei partem fœderis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum.* Num. 25. 13. Sed & hoc ſcelere contaminatum populum horrenda ſtrage Moyſes punire decrevit. *Dixitque Moyſes ad Judices Iſrael, occidat unuſquiſque proximos ſuos.* Ibid. 4. Dictum factum; ſed factum horrendum. Subdit ſacer Textus: *Occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.* Ibid. 9. Num, & levidenſe crimen luxuriam dicito, ad quàm extinguendam immenſa ſanguinis copia fuit effuſa. Sed notatu dignum, quòd Judicibus, qui tantam cladem edidère, nulla laus defertur, nullum donum pollicetur: cùm tamèn Phinees ob duorum adulterorum cædem, & præclaris extolliatur encomijs, & maximo ſublimetur honore. Quænam, oro, huius ratio diſcriminis? Ex contextu petenda. Ait quippe. *Occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum:* Addidit Arabicus, *de populo.* Vulgares ergo homines à Judicibus interfecti. Eos verò in quos Phinees animadvertit, erant tàm vir, quàm femina nobilitate conſpicui: quod ſacra Pagina notavit: *Erat autèm nomen viri Iſraelitæ, qui occiſus eſt cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta eſt, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobiliſſimi Madianitarum.* Ibid. 14. Ecce ut Judices centones eventilant, principibus parcunt. Phinees nullum confodiſſe legitur præter duos Magnates. Ità ferè ſo-

Zelus verior in Magnates.

Nobilium punitio Deo valdè grata.

Num. 25. 13.

Ibid. 4.

Luxuria grande ſcelus.

Arabic.

Ibid. 14.

Judices frequenter populares caſtigant, raro principes.

ſolet evenire. Præſides, qui Dei zelo non aguntur, in minimos deſæviunt, optimates non tangunt. Quos autem zelus divini honoris inflammat, in Magnates animantur, in minores vix iraſcuntur. Leones certè minuta capita pertæſi, grandes feras invadere gloriantur. Milvorum genus rapax, & ignavum, eſcæque avidior, quam gloriæ, infirmiores pullos decerpit, qui ſuis unguis reluctari non valent. Diſcant ergò Judices juſtitiam à Phinees; imò diſcant à Chriſto Domino, qui vel nemini parcit ſcelerato; vel ſi parcit, humilioribus parcit, non ſublimioribus.

Juſtitia Dei æqua omnibus, aut infimis blandior.

Apoc. 14. 14.

11 Facit hùc quàm optimè, quod apud Joannem legimus: *Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* Apoc. 14. 14. Pulcrò tetraſticho portentum hoc deſcriptum lego in noviſsima Bibliorum editione Joannis Baptiſtæ Verduſſen, quâ maximè utor.

Meſsis nè dubita, veniet, quâ denique Chriſtus
Eijciet regno ſcandala cuncta ſuo.
Pura cohors agnum ſequitur, lethumque piorum
Eſt felix ſegetem falx metit, atque botros.

Judex armetur falce, non bipenni.

Sed cùm è cælo Dominus prodierit ad tollenda è regno Eccleſiæ ſcandala; libet quærere: cur non bipenni, ſed falce armatus proceſſerit? Optimò ſanè conſiliò. Bipennis namque ad feriendum aptior eſt quidem; verùm ſingillatim cædit. Alium ex ramis deijcit, alium ſervat indemnem. Falx verò univerſim graſſatur. Omnes ſpicas nullo diſcrimine ſecat. Quod ſi earum quædam ejus aciem eludunt, aut fugiunt, humiliores certè ſunt, non elatiores. Nulla non cadit ex ariſtis ſublimioribus: ex minutioribus autèm non paucæ ſuperſunt. Meritò proindè Chriſtus malos de terra perditurus falce armatur, non bipenni; ut vel omnes pariter demetat, vel certiùs decapitet excelſiores. *Et in manu ſua falcem acutam.*

Dei ira in ſublimiores præcipuè.

12 Væ Judicibus terræ, qui ſecuri potiùs utentes, quàm falce, luxuriantes ramos prætereunt, infirmos computant. Optimi quidem agricultores, ſed peſsimi judices. Totum agricolæ ſtudium eo tendit, ut ſterilem ramum præcidat, fertilem ſervet, colat, demulceatque. Nimirùm à ſterili nullum ſperat fructum: multum verò à fertili, & ubi nullum emolumentum ſperatur, ibi graſſatur bipennis. Cur homuncio ille ad ſupplicium rapitur? Fur eſt, & latro. Eſto. Verùm maximi latrones quieſcunt in pluma, ſplendidè induuntur, triumphant in curuli. Cur? Quia pauper ille, divites iſti. Perijt ille, quòd nullum fructum affert. Virent iſti, quòd aureis pomis abundant, quibus ſuos cultores ditant. O putatores iniquos! Vereor, nè multi pereant, non quòd aliena rapuerint; ſed quòd raptoribus nihil tradere queant. Plurimos ad ſupplicium traxit pecuniarum inopia, quàm rapinarum copia. Si plura rapuiſſent, non raperentur. Pereunt; non quia furati ſunt, ſed quia nihil ſuperfluit è furto, quò ſe redimerent. Viverent, ſi cæteros in partem rapinarum vocare poſſent. Peribis miſer; non quià alijs furatus eſt; ſed quià deeſt, quod tibi iniqui judices ſuffurentur. Parùm rapuiſti, damnaberis. Plurimùm rape, abſolveris.

Agricultura improba.

Judicum avaritia.

Reorum paupertas quam illis nociva.

Divitiæ grãde reorum patrocinium.

13 Hinc Domocrates, ut narrat Stobæus *ſerm.* 11. cùm furem ab undecim viris abduci videret, *vah miſer*, inquit, *cùr tantula furatus es, & non potiùs magna, ut tute etiam abduxiſſes alios.* Conſonat Diogenes, ut refert Laertius lib. 6. qui conſpicatus duci quemdam, qui phialam ex ærario furatus ſuſtulerat (ducebatur

Stob.

Magni fures ducunt minores. Laert.

tur autèm à Magiſtratibus) *Magni*, inquit, *fures parvum ducunt*. Nota furibus eſt illa ſententia, quam jactare ſolebat Alexander Severus, ut ſcribit Lampridius.

Lamprid.

Qui multa furatur, & pauca dat, effugit.

Novi ego ex facie Latronem famoſiſsimum, qui cum detineretur in carcere (quam olim effugerat) ab adſtantibuſque audiſſet, capitis periculum certò imminère ſibi; irridens infauſtum omen, dixit: *Centum aureos nemo ſuſpendit*. O probrum judicum! Sed huic reo valdè carè ſuum conſtitit dictum. Puduit graviſsimum, integerrimumque Tribunal impudentiæ hominis; & quem fortè damnaſſet ad perpetuas triremes, juſsit infami patibulo ſuſpendi. Utinam hunc ingenuum pudorem omnes Judices diſcerent. Non ſoli parvi latrones penderent è trabibus, nec tàm multi triumpharent divites.

Notabile dictũ cuiuſdam latronis.

14 Sanè, quòd juſtitia tantam patiatur jacturam, in culpa ſunt oculi, qui aurium officium ſurripientes, efficiunt, ut qui boni eſſent Auditores, peſsimi Videntes evadant. An non Judices titulo *Auditorum* apud Hiſpanos, & Italos gloriantur? Vide præſentem Commutat. num. 15. Audiant ergo, & non videant; & tum rectè juſtitiam miniſtrabunt. Hinc votum illud Job. 31. 35. *Quis mihi tribuat auditorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens?* Pagnini paraphraſis: *Judicem audientem me.* Cur ſuę cauſæ petit judicem audientem, & non potiùs videntem? Audientem exoptat, non videntem; ut innocentia ſua fiat manifeſta. Lis erat Jobo cum potentiſsimis viris, qui falsò de graviſsimis eum criminibus accuſabant. Secundum Origenis ſententiam non vulgares homines, aut contemptibiles erant, ſed egregij principes regionum atque provinciarum ſuarum domini, & duces gentis ſuæ. Quid faceret tum virorum pauperrimus, plenus ærumnis, atque mortalium abjectiſsimus? Optat talem ſibi dari judicem, qui nullo reſpectu perſonarum habito, utrimque dicta æquis auribus excipiat. Nil innocens Job moratur, quòd adverſarij objiciant, criminentur, urgeant quantum volent, dùm adſit judex audiens. Verùm timet & meritò ante judicem videntem conveniri. Nam quis judicum abſolveret pauperrimum hominem, & divites condemnaret? Quis Jobi nuditate conſpecta, non pro purpuratis ſtaret? Quis auderet principibus egregijs contraire, ut ærumnoſum virum deffenderet? Tantam æquitatem fruſtrà quis ſperet à judice vidente. Ideò prudentiſsimus Jobus audientem exoptat. *Quis mihi tribuat auditorem. Judicem audientem me.*

Judices ſint Auditores, non Videntes.

Job. 31. 35. Judices audiẽtes æquiores. Pagn.

15 Profectò nequit non eſſe verum id quod affirmat Veritas ipſa Proverb. 28 21. *Qui cognoſcit in judicio faciem, non benefacit: iſte & pro bucella panis deſerit veritatem.* Nil boni ſperandum à judice, qui contendentium facies noverit. Ex facie quippè cognoſcitur, quis pauper ſit, quis dives; quis domeſticus, quis extraneus; quis ex noſtris, quis ex alienis. Et dùm in judicio inæqualitas perſonarum attenditur, & non cauſa, nequit non claudicare juſtitia. Sincerè reatum neſcit, qui reorum conditiones non ignorat. Ex nimiâ cognitione naſcitur error: quiâ, qui differentias perſonarum internoſcit, merita cauſarum confundit. Undè benè ſequitur: *Iſte & pro bucella panis deſerit veritatem.* Non utique pro bucella panis veritatem deſereret, ſi litigatorum facies non agnoſceret: tum quippè neſciens ab utro magis ſuſtentari poſſet, integerrimè cauſam diceret. Ubi verò perſpectas habet perſonarum conditiones, veritatem deſerit; quoniam poſt habitâ innocentia pauperis, à quo nil ſperat accipere, totus propendit in divitem, à

Proverb. 28. 21.

Judex iniquus, qui facies in judicio novit.

Perſonarum diſtinctio nulla ſit apud judices.

quo expectat locupletari panibus. *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: Iste & pro bucella panis deserit veritatem.*

16 Jam, si tàm nocet æquitati cognoscere faciem in judicio, ut stat ergo judicem cæcum esse, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Ità profectò. Ignoret judex conditiones partium. Merita, & demerita aure diligenti expendat. Tum quippè probanda probabit, damnanda damnabit. Audi quid fatuis, vacuis, incuriosis, & tardis Virginibus Dominus respondet. *Amen dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. 12. Durum sanè verbum: quippè aut damnationem pronuntiat, aut importat. *Hoc verbum gehennâ difficilius est*, inquit Chrisostomus homil. 7. 9. in Matthæum. Verùm, quò æquitatis jure infelices has virgines condemnat, si nescit eas? Quis sanus judex in reum sibi incognitum sententiam dixit? Temerarius est judex, qui mente cæcâ damnationem fulminare præsumit. Quomodò ergo Christus Virgines damnat, quas ipse nescire fatetur? *Nescio vos.* Quanam isthæc justitia est? Christi justitia. Nescit Virgines, & damnat virgines: & quia nescit, damnat, & justè damnat, quas nescit: quippè quò magis nescit personas, eò planiùs merita earum agnoscit. Humano more Judex supremus loquitur, ut inferiores judices rectam judicandi methodum edoceat. Nescit Christus; an pulcræ sint illæ virgines; verùm scit, fatuas esse. Nescit; an sint clara nobilitate conspicuæ; at scit somno peccatorum involutas. Nescit; an divitiarum splendore niteſcant; scit tamèn, oleum charitatis non habere, quo virtutum lampades accendere valeant. Vide ergo, quid Judex supremus in virginibus attendat. Vide, quid negligat. Negligit pulcritudinem; negligit splendorem natalium; negligit divitiarum copiam. Hoc unum attendit; an nimirum virtutibus præfulgeant; an atris vitijs fordescant. Merita ergo excutit, cætera sapienter ignorat. *Nescio vos.*

17 Discite justitiam, qui judicatis terram. Nescite reos, ut reatus sincerè noscatis. Stultus est, qui hominem æstimat ex ijs, quæ oculis apparent. Nobilitas quid facit ad justificationem impij? Quid divitiæ? Quid corporis, quid fortunæ dotes? Sanè apud integerrimos judices hæc omnia nil ponderis habent: sola æstimatur virtus, sola innocentia prævalet. Verùm apud iniquos causarum censores ea tantum sunt in pretio, quæ exteriùs pretiosa apparent, quæque commoditatem aliquam temporalem ipsis afferre possint. Audiant hi, quàm graviter prudenterque moneat Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi *cap. cum æterni de sententia, & re judic. in 6. Caveant Ecclesiastici judices, & prudenter attendant; ut in causarum processibus nil vendicet odium, vel favor usurpet; timor exulet, præmium, aut exspectatio præmij justitiam non evertat; sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententijs, & ferendis, præ oculis habeant solum Deum.* Omnia sapientissimè. Sed illa magis ad propositum: *Præ oculis habeant solum Deum.* Aures præbeant pauperum clamoribus. Præ oculis, inquam, habeant solum Deum: non homines, non præmia, non divitias; nè & justitiam offendant, & occasionem præbeant jactandi in se carmen illud quod falsè & verè in malos Judices vetus Poeta cecinit:

Audito nummo, quasi viso principe summo,
Desiliunt valvæ, auditur nil nisi salve.

Judex noverit causarum merita, nesciat personas.

Matth. 25. 12.

D. Chrysost.

Sancta nescié-ia Judicum.

Innoc. IV.

Æqui Judicis forma.

Lętitia Judicũ viso nummo.

* * * * * * * * * * * *

DISSER-

DISSERTATIO VI.

OBEDIENTIA PERfectiſsima cæca.

Obediētia prima inter virtutes.

1 *IN capite libri ſcriptum eſt dè me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.* Sententia eſt Regalis Prophetæ Pſalm. 39. 11. Magna profectò virtus obedientia eſt, quæ in fronte libri vitæ meruit inſcribi. Prima omnium ſit oportet, quę principem locum obtinet. Porrò ſanè meritò. Siquidem in libro mortis prima eſt inobedientia, per quam mors intravit in mundum. Ne triſtentur idiotæ, nevè ſapientes glorientur. In libro vitæ primas ſedes ocupant obedientes. Docti, ſi ſint inobedientes, in capite libri mortis ſcribuntur. Illiterati, ſi obedire diſcunt, ad frontem libri vitæ ſublimantur. *In capite libri ſcriptum eſt dè me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.*

Inobedientia, prima inter vitia.

Idiotæ obediētes ſapientibus refractarijs feliciores.

2 Nobiliſsima profectò virtus, quę excelſum adeò locum meruit obtinere. Verùm nè à tam ſublimi dignitate degeneret, ſumma oportet eam cæcitate gaudere. Perfecta quippè obedientia ſolis auribus contenta, oculis valedicit. Audire quidèm gestit, videre autèm prorſus non curat. Prudentèr ſanè. Nam quid oculi, ubi aures ſuppetunt? Auribus illa videt. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Num. 24. 3. Vide, ut cæleſtem viſionem conſpexerit ille Vates, cuius lumina fuerant obcæcata. At quomodo tam altè cernere potuit, qui cæcitate oculorum premebatur? Optimè. Lumina quidem habebat obſcurata, ſed patulas aures ad excipienda verba Dei.

Obediētia cæca.

Cæcitas allegorica.

Obedientia auribus videt.

Num. 24. 3.

Dixit auditor ſermonum Dei. Et qui libenter verba Domini exaudit, altiſsima quæque clarè ſpeculatur. Qui auribus pollet, oculis non indiget. Ille meliùs videt, qui melius audit. Da mihi auditorem ſermonum Dei, da obedientem: & tibi dabo videntem quamtumcumque ſit ille cæcus. *Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.*

Oculi veriores.

3 Verùm obſerva, quòd is, qui verborum Dei auditor eſt, idem & cæcus eſt. Tàm obturatos habet ille oculos, quàm patulas aures. Summâ profectò in re obedientiæ conſequentia. Audire, obedire eſt. Undè cęleſtis ſponſus Dilectam ad obedientiam hortatus, *Audi*, inquit, *filia.* Pſalm. 44. 10. Jam auditoris ſermonum Dei titulo perfectiſsimus obediens deſignatur. Plus namque denotat Auditor, quam audiens. Audiens dicitur, qui actu audit. Auditor, qui officium, conſuetudinem, ſeu habitum habet audiendi. Rectè ergo homo ille, qui Auditor eſt ſermonum Dei, obſcurata lumina geſtat: qui enim eximia obedientia reſplendet, conſequens eſt, ut alta cęcitate tenebreſcat. *Dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei.*

Obediens cęcus.

Pſal. 44. 10.

4 Profectò auditor ſermonum Dei non eſt, qui oculum obturatum non habet. Obedientia, niſi profeſſores ſuos exoculet, obedientia non eſt. *Vera namque obedientia*, inquit D. Gregorius in lib. 1. Reg. cap. 3. *nec præceptorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: neſcit enim judicare quiſquis perfectè didicerit obedire.* Imperfectæ prorſus, & infirmæ obedientię eſt, præcepta Superiorum ſtudioſius diſcutere; hærere ad ſingula, quæ injunguntur; exigere de quibuſque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cuius cauſa latuerit; nec unquam libenter obedire, niſi cum audire

Obediéntia cęca vera obedientia.

D. Greg.

Signa mali obedientis.

con-

contigerit, quod fortè libuerit: aut quod non aliter facere, vel expedire monſtraverit vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata ſaris, imò nimis moleſta eſt huiuſmodi obedientia. Videſis D. Bernardum *Trat. de Præcept. & Diſpenſ.* hac de re eleganter pro more differentem. Perfectus itaque obediens ſolis auribus audit, refractarius autem, & inobſequens etiam oculis geſtit audire.

D. Bernar.

Mali obedientes oculis audiunt. Pſal. 17. 45.

In auditu auris obedire, quid.

5 Promptam Gentium ſubjectionem Evangelicæ prædicationi Dominus his verbis extollit: *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.* Pſalm. 17. 45. Quanta iſthęc laus? Nam quis eſt, qui Deo obtemperet, & non in auditu auris obediat? Eſt nè alius auditus præter auditum aurium, in quo quis obedire valeat? Profectò niſi alius eſſet auditus, non tam laudaſſet Dominus populum extraneum, quòd in auditu auris obedivit ſibi. Eſt etiam auditus oculorum, in quo mali obedientes obediunt. An non in auditu oculorum obediunt, qui imperata nulla faciunt, niſi priùs curiosè undique exploraverint; rationes expenderint, circumſtantias diſcuſerint, atque latentes Prælatorum cauſas diligenter ſcribraverint? Meritò ergo indè Gentiles à Domino commendantur, quòd ſibi in auditu auris obedientiam præſtiterint. Vera namque obedientia ſolis auribus audit; infirma verò etiam oculis præſumit audire. *In auditu auris obedivit mihi.*

Vera obedientia ſolis auribus audit.

Eva præcepti auditum male examinavit oculis.

6 An non prima Parens oculis audire pręſumpſit, cùm auditum Domini præceptum, oculis examinare fuit auſa? Audivit pręceptum ſibi à Domino, nè ederet de ligno ſcientię. Ità enim ipſa teſtatur Gen. 3. 3. *De fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, nè comederemus, & nè tangeremus illud, nè forte moriamur.* Nihilominus auſa poſteà eſt, vetitum lignum oculis perluſtrare. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Ibid. 6. Quid ſtudet videre femina lignum, quod ſibi noverat interdictum? Nimirum, nutabat obedientia: ideo non contenta audiſſe præceptum, voluit oculis explorare. Putavit maleſuada femina, non ſat auditum à ſe mandatum, quod auditum dumtaxat. Indè in auxilium aurium vocavit lumina: infirma namque obedientia id ſolùm benè ſe audire credit, quod oculis exploraverit. *Præcepit nobis Deus, nè comederemus illud. Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.*

Gen. 3. 3.

Ibid. 6.

Curioſitas noxia.

7 Sed videamus, quid tàm Evę, quàm Viro ſuo poſt pomi morſum contigerit. *Comedit, delitque Viro ſuo, qui comedit: & aperti ſunt oculi amborum.* Ibid. 7. Nùm cæci erant anteà? Ità. Non quidem cæcitate corporis, ſed animæ. Donec ab interdicto pomo præcepti reverentiâ continuêre ſe ſe, habuere oculos clauſos. Poſtquam verò Domini mandatum tranſgredi ſunt auſi, tùm aperti ſunt oculi eorum. Obedientia namque facit ſalubriter cæcos; inobedientia perditè oculatos. *Comedit, deditque viro ſuo, qui comedit: & aperti ſunt oculi amborum.* Quandiu perſeveramus obedientes, cæci ſumus. Inobedientia eſt, qui clauſos oculos nobis aperit. O prodigium! Sed prodigium deteſtandum. Miraculum eſt, cæcorum oculos illuminare. Sed video Protoparentum oculos non niſi in pręvaricatione apertos. Nimirùm, aperuit inobedientia, quos benè clauſos obedientia tenebat. Veri obedientes aut oculos nullos habent, aut, ſi quos habent, obvelatos habent.

Ibid. 7.

Inobedientia facit oculatos.

Veri obedientes oculos ſuos contegunt.

8 Seraphim deſcribit Iſaias circumvolitantia thronum divinę Majeſtatis: in quo quidem ſpectaculo valdè egò demiror alarum miniſteria. Nam cùm ſex alis eſſent inſtructa; *duabus velabant facies ſuas*, (ut vertit Chaldæus,

Iſai. 6. 2.

Chald. Chryſoſt. Ferer. Vatab. Sanch.

dæus, D. Chryſoſtomus, Ferer-rius, Vatablus, & Sanchez) *& duabus volabant.* Iſai. 6. 2. Cur facies ſuas velant, dùm volant? Et quomodò volatum dirigent, luminibus obcæcatis? Placet nè Seraphim Andabatarum luſus? Apagè ridiculorum hominum ſtultitias commemorare. Facies ſuas Seraphim dùm volant, velant, ut verè obedientes ſe declarent. Per volatum namque prompta executio mandati deſignatur: per velamen faciei obumbratio oculorum exprimitur: & veri obedientis eſt, proprios oculos obcęcare, ubi ſunt divina præcepta executiòni mandanda. *Duabus velabant facies ſuas, & duabus volabant.* Oculis fulgebant Seraphim, & quidem ſplendidiſsimis. Cæterùm ubi volatus injungitur illis, duas alas in obſequium expandunt, & duas in velamen extendunt: etenim cultoribs obedientiæ nil magis antiquiùs, quàm oculorum aciem in obſequium imperantis obſcurare. Porrò haùd aberrare Seraphim timent, impingere ve, aut corruere, quòd obſcuratis oculis celerrimè volant. In viâ quippè obedientiæ ſecuriùs multò volat cæcus, quàm oculatus. Longe rectiùs peragit iter, qui nullo proprio lumine ducitur, quàm qui perſpicacię oculorum confidit. Hæc, quæ de Seraphim pronuntiamus, intelligi debent modò quodam loquendi humano. Nam quùm illi ſint comprehenſores, cæcitatem neſciunt; nec periculum aberrandi timere poſſunt. Suis nos perſonatis geſtis erudiunt, quaſi in ſuprema ſcena Actores, & Magiſtri.

Seraphim cur oculos velant, dùm volant.

Cæcitas voluntaria.

Obedientia cęca ſecurior.

9 Redeo ad propoſitum. Et ſi parùm Angelorum exemplo commoveris, eccè tibi hominem redivivum ſimili modo incedentem. Lazarus is eſt, qui potenti Chriſti voce è ſepulcro excitatus, illicò exivit. Sed ut notat Evangeliſta, egreſſus eſt religatis vinculis, & oculis coopertis. *Lazare, veni foràs. Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis & facies eius ſudario erat ligata.* Joan. 11. 43. 44. Vox Chriſti, quæ potuit Lazarum à mortis vinculò ſolvere, valuit etiam à facilioribus nexibus expedire. Quarè igitur hoc non præſtitit? An quia voluit Dominus divinæ ſuæ vocis virtutem oſtendere, quæ illum pariter & vivificaverit, & de monumento expellerit, qui nec pedibus, nec manibus prorumpere quiret? Sanè vocante Deo efficaciter, nil poteſt hominem retardare. Viam facilè præcurret, etiam ſi pedes, & manus ſit illaqueatus. Placet hæc ratio Ruperto. An ideò verò prodijt Lazarus religatus, nè tardiore obedientiâ notaretur; ſi vel breviſsimum tempus in ſolvendis linteaminibus conſumeret? Ità cenſet D. Chryſoſtomus *ſerm.* de *Lazar.* Sapienter uterque. Sed argumento noſtræ Diſſertationis magis quadrat contemplatio ſudarij.

Joan. 11. 43. 44.

Lazari reſurrectio.

Dei vocatio efficax.

Rupert.

Divina mandata exequenda ſine mora. D. Chriſoſt.

10 *Et facies eius ſudario erat ligata.* Cur è ſepulchro gradienti non nudantur oculi? Cur obſcuratis luminibus carpere iter cogitur à Domino? An non expeditiùs, tutiúſque ad Chriſtum pergeret oculatus? Erras. Numquàm rectiùs properatur ad Chriſtum, quàm cùm clauſis oculis iter agitur. Vocat divina vox Lazarum. *Lazare, veni foras.* Et ipſe venit luminibus coopertis ſudariò: veri quippè obedientes, ubi audiunt divina mandata, lumina non revelant, ſed clauſis oculis parent: certò ſcientes, tùm ſe rectâ tendere ad Chriſtum, cùm facie cooperta vadunt, quò ab ipſo vocantur. *Lazare, veni foras. Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus: & facies eius erat ſudario ligata.*

Iter tutum ad Chriſtum per obedientiam cæcam.

11 Accipe aliud documentum perfectiſsimæ obedientiæ. Vocat Salvator Lazarum, & ipſe venit actutùm. *Lazare, veni foras, & ſtatim prodijt.* Dicere potuiſſet: Domine, paratus ſum, quod jubes exequi. Verùm non poſſum non tibi objcere vincula mea.

Obedientia cæca nullam excuſationem obtendit.

Excuſationes frivolæ.

Fece ligatus ſum manus, & pedes. *Ligatus manus, & pedes inſtitis.* Vide quid imperes, ego non poſſum ſic incedere. Jube priùs ſolvi: poſtea, quò mandas, celeriter pergam. Haud ità deliravit. Audivit vocantem: feſtinavit egredi. Et ligatus manus pedeſque? Ità. Clauſis erat oculis. Ideo nil cunctatus impedimenta incessus, alacer properavit ad Dominum: nec potuit vinculis retardari, qui cæco obedientiæ agebatur impulſu. Favet D. Ambroſius lib. de fide Reſurrect. *Comprehende, ſi potes, quemadmodum clauſis oculis iter carpit, vinctus pedibus gradum dirigat: virtute enim divinæ præceptionis operante, natura ſuum non requirebat officium; non jam ſuo ordini, ſed divino nutui ſerviebat: agebatur priùs, quàm parabatur inceſſus.*

Obedientia cæca omnia impedimenta vincit.

D. Ambroſ.

In obedientia cunctabundi.

12 Talem à nobis Chriſtus obedientiam exigit. Sed quis noſtrum talem præſtat? Quis non mandatum examinat; ſed paret illico? Hæremus ad ſingula Prælati verba, quærimus de omnibus. Quid ſi Superioris præceptum ſpeciem aliquam præſeferat non ſapienter imperantis? Vel qui videntur modeſtiores, ſubridentur: irrident audaciores. Quis juſſus currere clauſis oculis, non ſtatim periculum lapſus objiceret? Quis audiens ſe vocari, cum eſſet vinculis irretitus, non ſummæ imprudentiæ argueret Præſulem? Et tamen hæc Chriſtus imperat, & Lazarus feliciter exequitur. Nimirum, cæcus erat, qui talia imperanti Domino parere non refugit.

Irriſores Prælatum.

Obediendum Prælatis, etiam cùm ardua imperant.

13 Jam nunc humana aſtutia, & obedientiæ negligens cæcitatem, ſcrutare male oculata Superiorum juſſa. Lazarus ſi velamen oculorum, vel nexus manum vel pedum objeciſſet imperio Chriſti, numquam è ſepulchro evolaſſet. Non convaluiſſet ex infirmitate ſuâ Ezechias, ſi ficorum ſibi maſſam, Iſaiæ mandato apponendam, ut ineptam alioquin deriſiſſet. Eam excepit & poſt triduum aſcendit in templum. Si Naaman Syrus proprium judicium non cæcaſſet; aſpernataſque Jordanis aquas, juxta præceptum Eliſæi, non intraſſet, fœdatus lepra, quemadmodum venerat, revertiſſet in patriam. Lotus eſt; ſanatus eſt. Expiſcare numos in mari; quid humanæ prudentiæ abſurdius? Sane longè majus, quàm nodos in ſcirpo quærere. Tamèn imperante Chriſto, & obediente Petro, ſtater piſcatur in undis. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem.* Matth. 17. 26. Abrahæ imperatur, ut tollat unigenitum, & occidat in monte. Quid adhæc Patriarcha Sanctiſſimus? Potuiſſet objicere: Domine pugnantia inter ſe oracula fundis. Unigenitus, quem modò mactare juves, Iſaac ille eſt, in quo & benedicendas gentes, & mihi vocandum ſemen ſpopondiſti. Quo modo hæc ſtabunt cum immolatione? Nihil tamen oppoſuit obedientiæ Magiſter; ſed utramque partem cæca quadam obedientiâ firmiſſime amplexus eſt. Haud curiose percontatur de ſenſu verborum, ſed jubentis dignitate perpenſa, mandatum confeſtim exequitur.

Obedientia nè humanæ prudentiæ innitatur.

Obedientia nè ſit diſcurſiva.

D. Petri obedientia.

Matth. 17. 26.

Abrahæ obedientia.

14 Abrahæ non abſimilis Joſeph, cui, juſſo ab Angelo ſecedere in Ægyptum, & fugere Herodem, ſi contradicere voluiſſet, promptum erat illud Chryſoſtomi ratiocinium *Homil.* 8. in *Matth.* Incertà iſta res eſt, ac prorſus ambigua. Tu paulò antè dicebas, quod ſalvabit populum ſuum, & nunc ſe ipſum quidem non poteſt de periculis liberare; fuga nobis eſt neceſſaria, & peregrinatio, ac tranſmigratio longinqua. Contraria omninò ſunt facta promiſsis. Sed horum nil prorſus opponit. Silet, & ſecedit. *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem ejus & ſeceſſit in Ægyptum.* Matth. 2. 14. Vis aliud recentius quidem,

S. Joſephi obedientia.

D. Chryſoſt.

Matth. 2. 14.

Obedientiæ mirabiles effectus.

S. Maur. Monachi obedientia.

dèm, ſed mirabile exemplum obedientiæ? En Sanctus Maurus intrepidè calcat aquas; cùm imperio ſanctiſsimi patris ſui Benedicti cæcè obtemperans, lacum ingreſſus, Placidum monachum, nè mergeretur, erexit.

Obedientia pericula ſpernit.

15 Non ſic malè oculata carnis prudentia. Hęc enim de re quâcumque imperata diſputat, rationes mandatorum trutinat: & niſi inſpectis præcepti radicibus, ac medullis collum obedientiæ non ſubdit. Fortè hùc ſpectat illud Proverb. 14. 18. *Expectabunt aſtuti ſcientiam.* Aſtutia quidem eſt, & peſsima calliditas, non aliter moveri ad obedientiam pręſtandam, niſi quæſtionibus, & demonſtrationibus prælusis, quæ evidenter ſcire faciant, res juſſas nullum ferre incommodum, ſed inferre commoditatem. Sunt quidèm non pauci, qui poſt præcipientis imperium, plurimas nectunt quæſtiones, & ſæpiùs ingeminant: Undè hoc venerit? Quis hoc dederit conſilium? Quis prudens talia pręciperet? Nùm quaſi cum pecoribus agendum nobiſcum? Quis caput putridum ſuſtinere valeat? Hinc oritur murmuratio, excuſatio, ſimulatio impoſsibilitatis, advocatio amicorum, & ſimiles peſtes. Eccè quid pariat illorum aſtutia, qui piam cæcitatem negligentes, quærunt ſcientiam in obedientiâ. *Expectabunt aſtuti ſcientiam.*

Obedientia ſine ſcientia.

Poverb. 14. 18.

16 Quis non videt quæſtiunculis iſtis moroſiſsimis obedientiæ ſimplicitatem infuſcari? Quis neſcit, quàm ſint ſuperioribus ingratæ, & odioſæ? Vide, quid acciderit Sponſę. Pulſavit Sponſus, intrare deſiderans. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cant. 5. 2. Tenerrimę ſanè voces & quæ poſſent vel ſaxeum cor emollire. Quid verò illa, & ſoror, & amica, & columba, & immaculata? Audi, & obſtupe: *Spoliavi me tunicâ meâ, quomodò induar illa? Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Ibid. 3. Vides nè quæſtiones quas movet, nè Deo pulſanti aperiat, vocantique obediat? Verùm hiſce ineptijs, & quæſtiunculis à Sponſo deſeri meruit. Tardè quippè dum ſurgit, evanuit ille. *Surrexi, ut aperirem dilecto meo: at ille declinaverat, atque tranſierat.* Ibid. 5. Planè faſtidit ſatores dubiorum Chriſtus, qui exultavit ut Gigas ad currendam obedientiæ viam.

Quæſtiunculæ inobedientium.

Quæſtiunculæ ſubditorum Superioribus exoſę.

Cant. 5. 2.

Perfectiſsimi quoque ſuos patiuntur defectus.

Excuſationes frivolæ. Ibid. 3.

Vocatio Dei ſpreta.

Procraſtinatio Tepiditas.

Ibid. 5.

17 Sanè deſipuit Sponſa tùm, cùm ſibi ſapere viſa eſt, prudenſque apparere voluit. *Lavi,* inquit, *pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Sordeſcere timuit candida Sponſa. Sed quàm iſte timor innanis! *Ergo nè timet, inquinare pedes, veniendo ad eum, qui lavit diſcipulorum ſuorum pedes?* Admiratio eſt S. Auguſtini *tract.* 57. in *Joan.* Ad Fontem vitæ pergit, & ſordes expavet? Fœdari veretur, dùm it ad Solem juſtitiæ? O ſcrupuloſorum pavorem à ſecuritate paventem! Et Jeſus, ad quem itur, candor eſt; & pedes loti, quibus itur; & domus immaculata eſt, quâ itur. Quid ergo reformidat ſordes? Nimirùm, iſta eſt, quæ à Sponſo vocata, pigritavit ſurgere: utque tarditatem ſuam convelaret, has excuſationes prætexuit. Quòd ſurgere neglexit, haùd amor candoris fuit, ſed amor ſui. Lectuli quietem amittere doluit: & quæ nolebat ſurgere, ſordium prætendebat horrorem. Sed reluctans anima à Chriſto deſeritur, & meritò: quippè dùm vanè timet fœdari obediendo, digna factà eſt, quæ ab Sponſo deſeretur, reluctando. *At ille declinaverat, atque tranſierat.* Sed non damnemus, quam Sponſus amat. Sacramentum fuit amoris, quod nos deſidiam, inobedientiamque ſuſpicamur. Sed his ſacramentorum involucris vitia noſtra deſignantur, dùm anima ſanctiſsima non dedignatur infirmitatis noſtræ perſonam agere. Quæ ſimilia occurrent, omnia

Prudentia humana ſeipſam fallit.

D. Auguſt.

Scrupuloſi, dum accedunt ad Euchariſtiâ.

Delicati.

Amor ſui.

De Sanctorum defectibus modeſtè loquendum.

nia à me in hunc planè ſenſum ubique ſcripta eſſe volo.

18 Sanè quàm ità evenire ſolet, ut prudentia humana, nè dicam imprudentia carnis, frequenter impingat, & corruat. Qui enim ſua prudentiâ, quam majorum ſuorum, prèducuntur, paſſim falluntur, & allucinantur: ibique toto cælo aberrare noſcuntur, ubi ſe putant, rectam veritatis ſemitam tenere. Ex plurimis exemplis, quæ viſa ſunt nobiliora ſeligam. Ad annuntiandam ſtragem Ninivitis eligitur à Deo Jonas. *Surge & vade in Niniven Civitatem grandem, & prædica in ea.* Jon. 1. 2. Quid tunc Jonas? Audi rem inſperatam. *Et ſurrexit Jonas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini.* Ibid. 3. Cur ire Niniven detrectas, infelix? Quid times Domini præceptum exequi? Timeo prophetici nominis periculum facere, falſitatiſque argui; quòd plagas, quas prænuntiare jubeor, non eventuras ob nimiam Dei miſericordiam, reformido. *Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharſis: ſcio enim, quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.* cap. 4. 2. Et hoc ſatis tibi viſum eſt, quò graviſſimum Domini præceptum eludere? Ita nè major tibi cura eſt de proprio nomine, quàm de honore divino? Maluiſſes nè, innumeras perire animas, quàm famæ tuæ leviſſimum diſpendium pati? Ut video, ſiccis oculis Ninive ſubverſionem ſpectaſſes, dùm tibi tuus ſtaret honor. Sed quàm mentita eſt humana prudentia tibi! Navem aſcendis vitaturus Dei faciem; & dùm benè tuæ famæ conſulère putas, ab omnibus agnoſceris, tamquàm Dei profuga: indè præcipitaris in mare, abſorberis à ceto. *Cognoverunt viri, quòd à facie Domini fugeret. Tulerunt Jonam, & miſerunt in mare. Et præparavit Dominus piſcem grandem, & deglutivit Jonam.* Ibi 1. 10. & 2. 1. Vide in quòt famæ, & vitæ undas incurrerit Jonas, dùm ſuo judicio innititur; omnes proculdubiò tutiſſimus evaſiſſet, ſi divino voluiſſet obtemperare mandato. Igitur qui ſuâ prudentiâ cavère præſumſit, nè videretur nuntius falſitatis, eò infamiæ prolapſus eſt, ut videretur iniquitatis artifex, reuſque mortis.

19 Quid Lot? A ſodomitico liberandus incendio, monetur ab Angelo, ut montem aſcendat. *In montem ſalvum te fac, nè & tu ſimul pereas.* Geneſ. 19. 17. Quem tamèn locum malè tutum arbitratus, precatus eſt, ut ſibi, ſuiſque in proximam Sodomis urbem divertere liceret. *Nec in monte poſſum ſalvari, nè forte apprehendat me malum, & moriar. Eſt Civitas hæc juxta, parva, & ſalvabor in ea.* Vide hominis cæcitatem, ſuum potius arbitrium, quàm Angelorum imperium ſectantis. Nam cùm ei Deus morem gereret, & præſidium civitatis concederet. *Feſtina & ſalvare ibi.* Ibid. 22. Ille rurſus divino imperio reluctans, *Aſcendit de Segor, & manſit in monte.* Ibid. 30. Ergo cùm monetur ab Angelo, ut in montem fugiat, petit, ut ſibi liceat reſidere in Segor. Cùm parcitur Segor ob ejus in ea domicilium, præeligit montem, quaſi locum tutiorem. Quid porrò tunc.

20 Audi rem inſolentiſsimam. *Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo.* Ibid. 36. Eccè Lot factus de Parente maritus, & incæſtuoſæ prolis futurus tàm avus, quàm pater. Pejores flammas incurrit, quàm fugit. Metuit Domini flammas, & luxuriæ flammas non evaſit. Ubi tutum ſe credidit, inibi eſt turpiſsimè fœdatus. In monte reperit Sodomas, niſi quòd ignibus tetrioribus arſit. E Sodomis exijt impollutus; ſed è monte deſcendit maculatus. Pœna fuit inobedientiæ patris inceſtus cum filiabus, quod teſtantur Hebræi apud D. Hieronymum in *Queſt. Hebraicis.* De-

Oculatæ obedientiæ lapſus, & errores.

Jon. 1. 2.

Ibid. 3.

Jonæ inobedientia punita.

Ibi. cap. 4. 2. Dei Clementia.

Deus nobis eſt vilis.

Amor proprius zelo caret animarum.

Ibi. 1. 10. & 2. 1.

Geneſ. 19. 17.

Lot proprio conſilio ignem fugiens, in concupiſcentiam incidit. Ibid. 19.

Ibid. 22.

Ibid. 30. Confidentia in Deum ardua.

Puſillanimes.

Ibid. 36. Lot inobedientia punita.

Timor vanus inobedientium.

Inobenienti nullus locus ſecurus.

D. Hieron.

buerat Lot montem aſcendere, quando eò ſe Angelus impulit, dicens : *In monte ſalvum te fac.* Debuerat conſiſtere in Segor, cùm ſibi eam deſignavit pro aſylo. *Feſtina*, & *ſalvare ibi.* Perijt ergo, quòd indè abijt, ubi fidei juſſorem ſalutis ſuæ Angelum habuit. Tanti eſt, ſuo genio, non ſuperioris imperio mortales ſibi ſecuritatem quærere. In pejora ruunt, quò á periculis fiunt remotiores proprio ductu, ſed contrà ductum rectoris. *Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo.*

Ubi Deus præcipit, anima ſumenda.

21 Perierunt certè Exploratores terræ Chanaam, quod vanè perire timuerunt. Promiſſerat namque Deus daturum ſe terram illam filijs Iſrael poſsidendam. Verùm exploratores, qui miſsi fuerant ad conſiderandam regionem promiſſam, ſuo potiùs judicio, quàm divino oraculo adhærentes, inacceſsibilem ſibi, atque ſuis viribus prorſus inſuperabilem fore renuntiarunt. *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos : populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturę eſt. Ibi vidimus monſtra quædam de genere giganteo : quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Num. 13. 33. Solertiùs, quàm par erat, videre dùm geſtiunt, multas cauſas timoris inveniunt, ubi Deus nil timendum aſſeruit. Plus ſuis oculis credidere, quàm divinis promiſsionibus. Sed cùm ſe certè morituros in terra promiſsionis falsè perſuadent, juſta Dei vindicta procul ab illa occiduntur. Ità quippè habemus in Littera. *Omnes viri illi, quos miſerat Moyſes ad contemplandam terram, & qui reverſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd eſſet mala, mortui ſunt, atque percuſsi in conſpectu Domini.* Numer. 14. 36. Voluerunt ſecuritatem diſtantiâ locorum metire. Sed profectò nullus locus eſt tutus, procul ab obedientia : nullus ſub illa timendus. Mortui ergo ſunt nullo bello, nulla acie inſtructi ; quia ſub divino imperio bellare noluerunt. Cave proindè juſſa Dei ad humanæ prudentiæ oculos examinare. Eò celerius incurres pericula, quò te feceris ab eis remotiorem, tua voluntate, non Superioris.

Exploratores Chanaam ſuo arbitrio perierunt.

Milites meticuloſi.

Numer. 13. 33.

Obedientia.

Numer. 14. 36.

Locorum indifferentia.

22 Vide ex his quantis erroribus obedientia oculata ſit expoſita. Præſtat ergo nullos habere oculos, quàm tam malè videntes habere. Hinc tanta obedientiam inter, & fidem convenientia, quantam D. Auguſtinus agnovit in expoſitione Pſalm. 70. *Sola eſt, quæ fidei meritum poſſidet, obedientia.* Nimirùm, ſicut fides cæcitate præeminet, nec rationes eius, quod credit, manifeſtas intuetur ; alioquin deſineret eſſe fides, iuxta illud D. Gregorij homil. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum* ; ità ſimiliter obedientia, niſi cæca ſit, non eſt obedientia. Fides non ad dicta, ſed ad dicentem attendit. Sat illi eſt, Deum loquentem audire. Sint vera, necnè, quæ loquitur, explorare non audet ; quoniam habet pro explorato non poſſe non vera eſſe, quæ ſumma Veritas loquitur. Pariter obedientia, quæ verè talis eſt, non imperata, ſed imperantem reſpicit. Sint nè illa humanæ prudentiæ diſſona, an ſecus, quærere non præſumit : perſuaſum namque habet verus obediens, recta eſſe omnia, quæcumque á legitimo Superiore mandantur. Prælati ergo videant ipſi quid imperent : eorum eſt, rationes præceptorum expendere. Nihil hoc ad ſubditos : horum eſt dumtaxat, ipſa præcepta cæcis oculis executioni mandare.

Fides, & obedientia ſimiliter cæcæ.

D. Auguſt.

D. Gregor.

Fides non attendit dicta, ſed dicentem.

Obedientia non imperata, ſed imperantem reſpicit.

Prælati videant quid imperent ; Subditi cæcè obediant.

23 Hoc volens docêre nos Dominus, præcepit, ut ſolis Sacerdotibus liceret arcam fœderis, cæteraque Sanctuarij vaſa ſpectare nuda, & involucris obtegere, quibus profani vulgus curioſitas arceretur : pœnâ

capitali propoſitâ, ſiqui ex populo ſacra illa non cooperta viderent. *Aaron & filij eius intrabunt, ipſique diſponent opera ſingulorum, & dividant quid portare quis debeat. Alij nullâ curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur.* Num. 4. 19. 20. Cur ſolis Sacerdotibus permittitur nudas res ſacras inſpicere; Laicis autèm prohibentur omnino? Varij varia dicunt; ſed noſtro propoſito nulla convenientior expoſitio eâ, quæ affertur ab Origene homil. 5. in Num. *Cùm perfecti doctores opera populis injungunt: & plebs agit, & implet, quæ mandantur, non tamèn eorum, quę geruntur, intelligit rationem: quid aliud geritur; niſi operta, & velata Sancta Sanctorum ſuper humeros portantur?* Solis ergo Sacerdotibus, Doctoribus, & Prælatis licet arcana præceptorum introſpicere, oneraque, quæ imponunt, expendere. Nefas id eſſet in Subditis, quibus omnis curioſus aſpectus interdicitur. Videant Præſules onera, quæ imponunt ſuper humera Inferiorum. Prudenter expendant; nùm æqua ſint illa viribus; nùm ſuperiora. Humeros Subditorum demetiantur attentè; nè æquali pondere debiles, ac robuſti graventur: nevè ſeniores, ac digniores opprimantur duriùs, quàm juvenes, & immeriti. Hæc omnia Prælati videant. Sed Inferiores nil horum videant. Tantùm humeros ſupponant oneri: ſed quale illud ſit, prorſus non attendant. Nimirùm, præceptorum arcana convelata ſunt illis. Ideò cæcis oculis amplectenda. *Alij nullâ curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario.*

Num. 4. 19. 20.

Orig.

24 Quàm pauci ſunt, Deus Immortalis! qui humeros ſupponant oneri, non priùs undique inſpecto? Qui ſunt, qui præceptò auditô, non ſtatim oculos arrigant, ut videant; nùm ſplendidum ſit quòd imperatur, jucundum, vel utile? An verò humile, inglorium, & abjectum? Quis Religionis viliora munera eò animo amplectitur, quò illuſtriora? Quis eâ latitudine pectoris pollet, ut pro Chriſto & ſumma aggrediatur, nec infima dedignetur? Unus Petrus eſt, qui poſt acceptum à Domino cæli, & terræ principatum, exercere piſcaturam non veretur. Unus David nunc triumphat, nunc exulat. E quatuor animalibus unus, qui Bos erat, apparuit Cherub. Eumdem & ſumma decent, nec dedecent abjectiſsima. Unus Paulus modò tertium cælum calcat, modò apud Coriarios diverſatur. Nos verò longè diverſa & præſtamus, & optamus. In ſplendidis ſervire volumus; viliora dedignamur. Nimirùm, oculatiores ſumus præſtantiſsimæ ſanctitatis viris. Illi non auſi ſunt arcana divinæ legis curiosè ſpeculari. Nos linceis oculis exploramus, etiam refragrante Domini præceptô: *Alij nullâ curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario.*

Religionis munera viliora non dedignâda etiam poſt præſtantiſsima.

25 Quid ſi Prælatus ſit ignobilis? Quid ſi inſipiens? Quid ſi adoleſcens? Quid ſi agreſtis, & rigidus? Quid ſi indignus? Diſpeream, ſi bonus odediens eſt, quiſquis hæc diſtinguere novit. Boni obedientes cæciores ſunt, quàm ut impertinentes has dotes obſervare queant. Non curant ſui Prælati facta, ſed juſſa: nec attendunt, quam vitam agat, ſed quam perſonam gerit: nec loquentem in ſe hominem, ſed imperantem Deum in homine venerantur. Requiſitus à Judæis Joannes, quiſnam ipſe eſſet, plura negavit, unum eſt confeſſus. Negavit quippè ſe eſſe Chriſtum: negavit, eſſe Eliam: negavit eſſe Prophetam: ſolùm confeſſus, eſſe vocem: *Non ſum ego Chriſtus. Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Ego vox clamantis.* Joan. 1. 20.

In Prælatis non dotes perſonæ, ſed officij dignitas ſpectanda.

Prælatis etiam indignis obediendum.

S. Joannes Baptiſta cur vox.

Joan. 1. 20.

Obedientia indiferens rara.

Cur


In Prelatis nihil aliud attendendum, quàm quod sunt Dei vox.

Cur posthabitis, & rejectis titulis glorioſiſsimis, de ſolâ voce innoteſcere mavult? Crediderim, eò id feciſſe conſiliò, ut doceret, in miniſtro Dei non aliud eſſe ſpectandum, niſi quod vox Numinis eſt. Sacerdotalis dignitas, ſplendor natalium, prophetale lumen, ſanctitas Angelica, & ſi quæ aliæ dotes præſtantiſsimæ Dei Præconem exornant, quamquàm aliàs ſuo quidèm honore dignæ; nil tamèn illæ ad Dei Nuntium. In hòc attendendum eſt illud dumtaxat, quòd vox Dei eſt. Hæc unica ratio ſufficit, ut ejus verbis fides, ejus imperijs obedientia præſtetur. *Ego vox clamantis.*

Concionatores ſun voces Dei.

Prælati audiendi tantúm, non videndi.

26 Poſtremò, cùm vocem ſe Joannes dixit, liquidò monſtravit, nullum ſe cum oculis habere commercium, ſed præcisè cum auribus. Vox enim tota excipitur auditu, nulla viſu. Audiri ergo voluit Dei Præco, minimè ſpectari. Quippè tota ratio obediendi miniſtris à Deo electis, in aure ſita eſt, non in oculo. Plurima ſanè digna viſu erant in Joanne. Oris majeſtas, impexæ comæ, horrida barba, cutis plicata, lutei pedes, corpus ſub nigrum, veſtis pellicea, pœnitentia mirabilis, ſapientia cæleſtis, vita proprior Angelicæ, quàm humanæ. Grande certè ſpectaculum Deo, & Angelis, & hominibus! His tamèn omnibus prætermiſsis, de ſolâ voce æſtimari gloriatur. Tunc enim perfectos obedientes habet Prælatus, cùm nihil aliud eſt ſubditis, quàm vox Dei. Tunc quippè cæca obedientia præſtatur, quoniam Superior non videtur, ſed auditur. *Ego vox.*



DISSERTATIO VII.

S. PARENTIS FRANCISci egregia, quia cæca, in Deum confidentia.

Argumentum pro S. P. N. Franciſco.

1 INopem me copia facit, elinguem fandi materia. Tot namque micant in magno Parente cæleſtium chariſmatum dona, tòt virtutum ornamenta, tòt gratiarum prærogativæ; ut valdè arduum fuerit, tanti viri encomium texere. Quis enim pro dignitate rei, non dico exponere, ſed nec mirari quidem ſatis queat vitam, à communi Mortalium vitâ remotiſsimam? Adeò puram, integram, innocentem, ut angelica potiùs quàm humana meritò cenſeri valeat. Quis non ſtupeat incredibilem modeſtiam, paupertatem eximiam, humilitatem altiſsimam, pœnitentiam inacceſsibilem, zelum animarum edaciſsimum, amorem in Deum planè ſeraphicum, &, quod maximum eſt miraculum, expreſſam in illius corpore ſimilitudinem crucifixi Domini noſtri Jeſu-Chriſti? Jam ſi ad clariſsimos ejuſdem titulos contemplandos mentis aciem erigimus, tot nobis occurrunt, quo ſidera in cælo. Illos ergò numeret, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Franciſcus quippè eſt Lucerna ardens, & lucens, magni Regis Præco, Eccleſiæ Athlas, Apoſtolicæ vitæ Reſtaurator, virorum Evangelicorum Idea, ſtrenuus Chriſti Athleta, callidi Serpentis Colliſor, monſtruorum infernalium Domitor, cæleſtis Cometa, Jeſu-Chriſti Vexillifer, Seraphin ardens, Fornax charitatis, Auriga militiæ Dei, admirabilis Thaumaturgus, viva Salvatoris Imago, naturæ Prodi-

S. Franciſci virtutes mirabiles.

Perſtringuntur elogia S. Franciſci.

digium, gratiæ Portentum. Quò arripior? Redigat in numerum Seraphici Patris elogia ille, qui numerat pluviæ guttas, & arenam maris. Quam ergo ex tot fulgentiſsimis ſtellis contemplandam eligam? Hæret animus: neſcius, quo ſe vertat, ubi ab omnibus invitatur. Sed prudens ſum, quòcumque temerè vadam. Ubi enim nulla eſt errandi via, importuna eſt conſultatio. Licet tunc ire, quâ lubet. Igitur, quandò non eſt opus ratione, ſit pro ratione voluntas.

Fiducia in Deum mater virtutum.

2 Unam ergo inter virtutes innumeras, quibus Seraphicus Pater mirificè reſplenduit, confidentiam in Deum prædicabo. Virtutem planè generoſam, multarumque aliarum nobilium virtutum parentem. Hinc illud præclarum Davidis monitum: *Spera in Deo & fac bonitatem*: Pſalm. 36. 3. lege: *Et facies bonitatem*. Futurum pro Imperativo, ut exponit Genebrardus. Tale eſt & illud Domini ad Abraham: *Ambula coram me, & eſto perfectus*. Geneſ. 17. 1. Id eſt: *eris perfectus*. Verùm nota conſequentiam. *Spera*, inquit, *in Deum, & facies bonitatem*. Quam bonitatem? *Omnia opera virtutum*, exponit D. Thomas, vel quiſquis Author eſt Expoſitionis in Pſalmos, quæ nomine D. Thomæ circumfertur. Tantine eſt ſperare in Domino, ut hujus virtutis poſſeſsio trahat ſecum omnium aliarum theſaurum? Ità. Adeò quippe fœcunda virtus eſt fiducia in Deum, quod ubi illa floret, nulla non vireat. Omnibus ditatur, quiſquis hâc unâ non caret. Hæc namque generoſa virtus eſt quædam parens, generatioque virtutum. *Spera in Deo, & facies bonitatem. Omnia opera virtutum.*

Pſalm 36. 3. Imperativum pro futuro, in fac. Scrip.

Geneſ. 17. 1.

D. Thom.

3 Quæ non aggreditur firma confidentia in Deum? Hoc clypeo armati fidei Athletæ immania tormenta deriſerunt. Hoc Sanctus Laurentius ſuperavit craticulam, Sebaſtianus ſagittas, Vincentius aculeos: Cæcilia, Agatha, Lucia vicerunt ignes, cataſtas, leones, omniaque tyranorum ingenia. Hæc inductus lorica S. Athanaſius contempſit omnes Arrianorum inſidias. Hâc S. Antonius omnes dæmonum illuſiones, quaſi telas araneorum diſcuſsit. Hâc S. Hilarion, Macarius, cæteriquè Aſcetæ carnis oblectamenta ſuperarunt. Hæc virtute ſuffulta S. Suſanna, mori maluit, quàm fœdari. Hac S. Job animatus patienter tulit anguſtias intolerabiles. Hâc Tres Pueri communiti flammarum globos irriſerunt. Hâc Daniel continuit jejuna leonum ora. Quid plura? *Hæc ſola*, præclarè inquit Philo libro de Abraham, *ſolidum eſt, certumque bonum, vitæ ſolatium, bonæ ſpei ſupplementum, depulſivum calamitatum, felicitatum conciliativum, ablegatio ſuperſtitionis, pietatis aſſertio, poſteritatis hæreditas, profectus demùm in rebus omnibus. Hanc enim qui habet, Deo fultus eſt univerſorum authore, qui poteſt omnia; vult autem omnia.* Omnium ergo virtutum ornamenta in Seraphico Parente confitetur, qui unam ejus in Deum confidentiam prædicat. Qui enim confidentem dicit, omnium tentationum domitorem affirmat, cunctis cæleſtium bonorum fructibus cumulatum. *Spera in Deo, & facies bonitatem. Omnia opera virtutum.*

Confidentia in Deum omnia vincit.

Confidentiæ in Deum fructus.

4 Porrò quàm difficilis, quamque ardua res ſit confidentia in Deum, ex Sanctiſsimorum Virorum hæſitatione liquidò patet. A Moyſe, & Aaron expetivit populus aquam. Ingreſſos tabernaculum, oranteſque gloria Domini inſedit: & Deus ipſe, ut virgam tollerent, edixit; futurumque prædixit, ut ex petrâ aquæ manarent. *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus: & loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Num. 20. 8. Verùm, poſt orationem, poſt gloriam Dei, poſt Domini præſentiam, ac promiſſum: cùm ma-

Confidentia in Deum difficilis.

Num. 20. 8.

manibus gestarent virgam illam, quâ decies Ægyptum oppressérant, & mare diviserant, dubitaverunt. *Num de petra hâc vobis aquam poterimus eijcere?* Ibid. 10. Et hæc verba sunt Moysis, & Aaronis, hominum, nimirùm, sanctitatis eximiæ, atque inter prodigia adultorum? Quis crederet tantos viros dubitasse, ubi ad confidendum tot impellebant divinitùs motiva, nisi id sacra Pagina narrasset? Sed hinc patet, quàm arduum, atque difficile est confidere in Deo, cùm videamus, columnas Synagogæ labare. *Num de petrâ hâc vobis aquam poterimus ejicere.*

Ibid. 10.

5 Sed quid columnas Synagogæ commemoro? Labat etiam Ecclesiæ columna. Ut vidit Dominum Petrus ambulantem super aquas; illicò amoris fervore commotus ait: *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait, veni.* Matth. 14. 28. Christi voce animatus Petrus, ejusque præsentiâ fultus, undis se se committit intrepidus, mare calcat feliciter; sed tandèm plenè de Deo sperare non potuit. *Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac.* Ibid. 30. Ita ne? Validior ventus est ad incutiendum timorem apostolico pectori, quàm vox Christi, ejusque præsentia ad corroborandum idem? Timet Petrus ad aspectum aëris: & non potiùs audet ad conspectum Domini? Pavet, quòd fremit ventus: & non confidit, quòd favet Christus? Nimirùm, etiam cùm Dominus adest, arduum est confidere, si quodvis periculum, vel tentatio immineat. Quavis undâ turbamur, vel cùm voce Domini ad calcanda pericula cohortamur. Non ergo modica laus est Seraphici Parentis, quòd ea virtute ornatum prædicamus, quę vel in præstantissimis viris nonnunquam fuit desiderata. Moyses, & Petrus interdum de Deo sperare nequiverunt. Franciscus nunquam non firmissimè Domino confidit.

Matth. 14. 28.

Deo fidere valdè rarum. Inconstantia.

Ibid. 30.

Tentatio non timenda sub Christo.

6 Quidni confideret homo cæcus auribus ad humana contemplanda? *Qui obturat aures suas, nè audiat sanguinem;* inquit Isaias, *iste in excelsis habitavit: monumenta saxorum sublimitas ejus.* Cap. 23. 15. 16. Sanguis non ad auditum pertinet, sed ad visum. Quorsùm ergo laudat Propheta eum, qui ne sanguinem audiat, aures obturat? Quid enim quòd aures obstruat, si oculos habet apertos, quibus sanguinem videat? Atqui sermo est de viro cultore justitiæ. Porrò justus oculos gestat in auribus: & quæ non audit, non videt; sanguinem non audit; sanguinem non videt. *Qui obturat aures suas, nè audiat sanguinem.* Jam, quis tàm auribus cæcus, quàm Franciscus, ne audiret sanguinem? Nomine *sanguis* terrenos affectus designari, subjecta testimonia demonstrant. 1. Corinth. 15. 50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Galat. 1. 16. *Continuò non acquievi carni, & sanguini.* Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem.* S. Gregorius 23. Moral. 25. *Quid est obturare aures suas, nè audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de carne, & sanguine nascuntur, non præbere consensum?* Et quis tàm cæcas præbuit aures mundi illecebris, terrenisque oblectamentis, ac Parens meus Franciscus? Quis inter juveniles ardores enutritus, adeò illæsus exivit à flammis impudicitiæ? Quis inter pestes divitiarum degens, tàm fuit à contagione remotus? *Nec inter lascivos juvenes post carnis petulantiam abijt: nec inter cupidos mercatores speravit in pecunia & thesauris.* D. Bonaventura cap. 1. Vit. ejusdem. Quis tàm induruit ad persuasiones sanguinis, ut Franciscus, qui nedùm facultatibus renuntiavit paternis, verùm & ipsi genitori nuntium remisit? Quis tàm despexit mundi totius gloriam, po-

S. Franciscus auribus cæcus.

Isai. 23. 16.

Justus gestat oculos in auribus.

Cæcitas allegorica.

Sanguis terrenos affectus designat.

1. Cor. 15. 50.

Galat. 1. 16.

Ephes. 6. 12.

S. Greg. 23. Moral. 25.

D. Bonav.

tentiam, amicos, corporis curam, vitæ ſuperbiam, ſæculi prudentiam; verbo: ſe ipſum? Profectò hæc omnia generosè deſpexit: quippè auribus altè cæcus, ſanguinem dedignatus audire. *Qui obturat aures ſuas, nè audiat ſanguinem.*

Æternorum memoria pericula deſpicit.

7 Vidiſti cæcum? Vide confidentem. *Iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Qui ſublimem locum tenet, ſecurè hoſtem in imo valle jacentem, circunſpicit: quique altò ſaxorum munimentò vallatus eſt, omnia inimicorum tela, & machinamenta contemnit. Cælo propior, quàm terræ, pro nihilo ducit hos inferiores tumultus. Nihil timet, ſi mare tumeat, ſi venti deſæviant, ſi tellus motibus quatiatur inſolitis, ſi denique mundialia omnia ſus deque verti contingat. Nimirùm, locus ſublimis impavidos facit: munimenta ſaxorum imperterritos reddunt, quos excipiunt. *Iſte in excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Felix cæcitas, cui adeò tutum præſidium debetur!

Pſam. 90. 9.

8 O Franciſce! Verè tibi poteſt illud occini: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: non accedet ad te malum, néque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo.* Pſalm. 90. 9. Verè enim in excelſis habitaſti: munimenta ſaxorum ſublimitas tua. Etenim quamquàm caro te in inferioribus retinebat, mente jam in ſublimibus morabaris. Et quoniam munitiſsimo cælorum loco te cordis volatu concluſeras, objecta deſideria terrenæ converſationis generosè calcaſti. Locus ſublimis cœlum eſt: ſaxum fortiſsimum, & munitiſsimum Chriſtus. In excelſis igitur habitaſti, qui converſationem tuam ſemper in cælis habuiſti. Munitiſsimò ſaxò te vallaſti, qui Chriſto D. toto corde, & corpore adhæſiſti. Tua ſunt verba illa: *Securè dicere poſſum: Pater noſter, qui es in cœlis, apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocavi.* D. Bonav. cit. cap. 2.

D. Franciſci habitatio altiſſima, & munitiſsima.

Eius fiducia in Deum.

D. Bonav.

Quid ergo mirum, ſi cuncta mundi bona ſpreviſti; ſi carnis illecebras conſpuiſti; ſi divitias calcaſti; ſi Patris iras viciſti; ſi concivium injurias devoraſti; ſi dæmonum conatus irriſiſti; ſi inediam, pauperiem, nuditatem, cunctaque vitæ incommoda exantlaſti? Nimirum, qui Deo ſolo confidit, nihil omnia viſibilia moratur. Is quippè non habet oculos, quibus terrena videat, quoniam totos habet elevatos in Deum.

Oculatus ad divina, cæcus eſt ad terrena.

9 Audi Regium Pſaltem. *Interra deſertâ, & invià, & inaquoſâ, ſic in ſancto apparui tibi.* Pſalm. 62. 3. Dixerit hoc primum David, cùm exularet in deſerto Idumeæ. Tunc enim verè fuit in terrâ ſterili, & imperviâ, & minimè irriguâ. Verùm, ut Jacobus de Valentia advertit, *pro tunc non fecit Pſalmum iſtum; ſed poſteà, dum fuit in proſperitate, & quiete in domo ſua, & regno.* Sed quâ veritate potuit hæc occinere in felicitate ſolij? Nùm in eremo eſt, quem aulicorum frequentia circunſtat, clientium turbæ venerantur, cataphractorum turmæ conſtipant? Nùm ſterilis locus thronus eſt, ubi deliciæ exundant, voluptates affluunt, moleſtiæ exulant, labor omnis abeſt? Nimirùm, cùm hæc David cecinit, oculos habebat in Deum erectos. Id enim initio Pſalmi teſtatur: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Ibid. 1. Et qui in unum Deum intendit, mundi pompam omninò non videt. Vigilat ad Deum quiſquis in illo confidit. Ad quem enim oculos elevare conſuevimus, niſi ad illum, inquo ſpes noſtras collocavimus? Porrò confidentia hæc ſublimis, ſicut vigilantiſsima eſt ad bona cæleſtia; ità ad mundanas proſperitates omninò cæca. Nil felicitatis in his cernit, nil voluptatis, nil pompæ; ſed omnia ærumnis plena, fragilia, & arentia. *In terra deſerta, & invia, & inaquoſâ.*

Pſalm. 62. 3.

Felicitas terrena non admiranda.

Valent.

Ibid. 2.

10 Vi-

D. Franciſci cæcitas allegorica mundi contemptum parturivit.

10 Video Franciſcum in ipſo juventutis flore mundum deſpicientem. Video inter affluentes divitias pecuniæ contemptorem. Video inter ſodales laſcivos caſtitate vernantem. Video inter ſæculi pompam amarè lugentem. *Solitaria loca quærebat amica mœroribus*, inquit S. Bonaventura. Quid ille inter tòt ſæculi blandas felicitates triſtatur? Nimirùm, totus Deo intentus, nihil ſpectabat in mundo, quod ipſi placere poſſet. Omnem ſpei fiduciam repoſuerat in Domino: & quoniam menti arridebant cælestia, prorsùs areſcebant humana. Mundus ijs tantùm florere videtur, qui ejus fidunt blanditijs. Quibus verò cor ſurſùm eſt, totum apparet tribulis conſperſum. Fides in Deum, in morem ignis, pompas convertit in cineres, & pupillà in cælum erecta omnia inferiora devaſtat. Hiſce oculis prępollebat Franciſcus; quippè in divitiarum cumulo, in affluentia voluptatum, in felicitatis culmine ſolos cineres pervidit, imò non cineres, ſed ſpinas. Perpendebat enim impendentem juveni mortem, inſidiantem dolorem voluptati, theſauris ęruginem, tempori æternitatem. Quomodò ergo confideret exploratæ rerum humanarum fragilitati, & inſidijs, qui ſupra firmiſsimam divinæ protectionis petram ſe locaverat? Quomodò non è ſublimiſsima illa ſede omnia peritura contemneret? Porrò quid timeret à mundo deſtitui, cælo innixus? Planè pro nihilo habuit ab omnibus deſeri, ex quo didicit totam ſuam fiduciam in unum Deum reponere.

Mundus quibus floret? Quibus aret?

D. Bonav.

11 Hinc generoſa illa, cunctiſque ſęculis miranda libertas, quâ coràm Epiſcopo planè nudatus carnalem Parentem tali nomine fuit dedignatus. Undè tenero adoleſcentuli tanta animi celſitudo? Nimirùm ex ferventiſsima confidentia in Deum. Confiſus cæleſti Patri, pro minimò habuit terrenum non agnoſcere. Specta totam ſcenam coram Epiſcopo exhibitam. Perveniens coràm Epiſcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit: ſed continuo depoſitis omnibus veſtimentis reſtituit ea patri. Inſuper ex admirando fervore, ſpiritu ebrius, rejectis etiam femoralibus, totus coràm omnibus denudatur, dicens ad patrem: *Uſque nunc vocavi te patrem in terris, amodò autèm ſecurè dicere poſſum: Pater noſter qui es in cælis, apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocavi.* Ità narrat doctor Seraphicus. Arduum ſanè facinus, patrem terrenum abnegare, & unum Patrem cæleſtem agnoſcere!

D. Franciſcus patrem terrenũ abnegat, & unum cæleſtem agnoſcit.

12 Verba Chriſti meditanda. *Si vos, cum ſitis mali, ſcitis bona data dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter, qui eſt in cælis, dabit ſpiritum bonum timentibus ſe.* Matth. 7. 11. Nota profunditatem ſententię. De hominibus loquens, filios memorat, non patres: *Filijs veſtris.* E contrario de Deo loquens, Patrem nominat, non filios: *Pater veſter.* Quid hìc latet myſterij? Nonnè Pater, & Filius nomina ſunt, ut Philoſophi loquuntur, correlativa? Cur ergo, ubi terreni filij nominantur, haud nominantur patres & ubi exprimitur Pater cæleſtis, tacentur filij? Nimirùm, tam ardua res eſt, mortalium parentum oblivio: & unius Patris cæleſtis recordatio. Promptum eſt invenire filios abſque parentibus. Multòque facilius eſt, invenire Patrem cæleſtem abſque filijs. Adeò nos in terrenis genitoribus confidimus; ut ab eis ſeparari timeamus, vel cùm illi ſe nobis patres exhibêre nolunt. Adeò Dei erga nos curæ diffidimus; ut nolimus ei, qui nobis ſemper ſe Patrem oſtendit, eſſe filij. Parentes, qui nos deſerunt, non deſerimus: à Deo, qui nos nutrit, elongamur. Ingratè nè dicam,

Matth. 7. 11.

Parentum carnalium odium difficile.

Pater cæleſtis nobis vilis eſt.

Patres erga filios impij.

Ingratitudo erga Deum.

Confidentia in Deo non in hominibus.

cam, an ſtultè? Verum utrumque. Nam & ingrati ſumus, Deum, qui nos genuit, derelinquendo; & ſtulti, in hominibus ſperando. *Scitis bona dare filijs veſtris: quantò magis Pater veſter, qui eſt in cœlis.*

D. Franciſcus totam ſuam fiduciam collocavit in Deo.

13 Quid verò egregius juvenis Franciſcus? Patrem habere noluit in terra, ut optimum Patrem haberet in cælo. Noluit filius hominis dici, ut totus diceretur filius Dei. Sapientiſsimè quidem, quòd omnem ſuam fiduciam in protectione divina collocavit, nullam in humana. Mortalium ſanè confidentia in mille particulas eſt diviſa. Pars datur genitoribus, pars conſanguineis, pars amicis, pars opibus, pars nobilitati, pars aſtutiæ, & ingenio, pars, non raro minima, Deo. At Franciſcus *vir catholicus, & totus Apoſtolicus* integram fiduciam repoſuit in Deo. Valere juſsit ſanguinis claritudinem, veſtium nitorem, ſplendorem auri, amicorum ſolatia, ingenij culturam, quodque difficilius eſt, etiam parentum dilectioni nuntium remiſit. Omnem ergo ſpem humanam reſecuit, ut ſola in Deum fiducia totum cor ſuum poſſideret. O quàm jucundum pijs mentibus ſpectaculum tùm juvenis Franciſcus exhibuit, cùm in medio Epiſcopij nudum ſe divinæ providentiæ ſubmiſit! Flevêre cuncti: flevit ſacer Antites. At jucundæ lacrymæ: quippè lacrymæ pietatis. Gaudij exundantia in fletus evaſit. Tale quippè ſpectaculum nequit non eſſe plenum lætitiæ. Mirificò gaudio tunc ſpectatores delibuti: ſed & per cuncta ſæcula pias mentes exhilarare non deſinet.

Confidentia hominum multiplicitèr diviſa.

S. Franciſcus jucundum mũdo ſpectaculũ.

Pſalm 118.74.

14 Favet ſententia Prophetæ. *Qui timet te*, inquit Regius Pſaltes ad Dominum, *videbunt me, & lætabuntur: quià in verbis tuis ſuperſperavi.* Pſalm. 118. 74.

Charitas congaudet proximorum bonis.

Charitas certè proximorum bonis congaudere facit. Et David ſperat futurum, ut qui ſe viderint, ſuper profectu ſuo, & bono ſpiritali collætentur. Verùm quò genere boni ſpectatò, ſuper David lætabuntur juſti? Spe, nimirùm, in Deo. *Quia in verbis tuis ſuperſperavi.* Imò non ſpe, ſed ſuperſpe. Haud enim ſperavi inquit, ſed *ſuperſperavi.* Quid eſt, ſuperſperavi? Nimirùm, ſpem in Deo extare feci reliquis ſpebus. Supernatat oleum, quòd in aquæ, alteriuſvè liquoris ſuperficie fluitat. Et David ſuperſperavit in Deo, quòd hanc ſpem omni alteri ſuperpoſuit. Valuiſſet ille quidem ſceptro ſuo inniti; potuiſſet ſuo robori fidere, potuiſſet opibus, potuiſſet amicis. Sed omnibus ſpebus terrenis poſthabitis, in uno Dei auxilio totam ſuam fiduciam collocavit. Id juſti videntes, mira ſuper eum exultatione exultarunt. Hoc quippè genus confidentiæ, ſicùt raro apud homines invenitur: ità dum apparere contingit, ſummò pietatis jubilò afficit ſpectatores. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperavi.*

Exempla bona lætitiam pariunt.

Nil præter Deum.

Confidentia in Deum omnem confidentiam ſuperat.

Intentio recta.

15 Lætatus eſt ſuper Franciſcum Epiſcopus Aſsiſij, lætata & concio tota; atque præ gaudij exuberantiâ in pias lacrymas effuſa. Parum hoc eſt. Totus mundus lætatur ſuper Franciſco. Majora dicam: Angeli gaudent, jubilant filij Dei. Ob id canit Eccleſia ad Introitum Miſſæ, iuxtà ritum Romano-Seraphicum. *Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes ſub honore B. Franciſci, de cuius ſolemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.* Cur adeò ſuper Franciſco lætantur cælum & terra? Quià, videlicet, cognoverunt in verbis Dei ſuperſperaſſe. Viderunt eum blandientis fortunæ ſpes univerſas uni ſpei cęleſti poſthabentem. Spectarunt juvenem plùs fiduciæ in Dei protectione, quàm in divitijs collocantem. Vidêre ex opulento factum voluntariè pauperrimum,

D. Franciſcus orbis lætitia.

Miſſal. Seraph.

Còverſio vera.

ex

ex ſericato nudum, ex equite peditem, ex domino ſervum, ex nobili abjectum, ex diſſerto ſtultum, ex delicato pœnitentem, ex filio orphanum. Hinc totius orbis jubilum, cæli riſus. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verbis tuis ſuperſperavi.*

D Franciſci publica in Deũ confidentia.

16 Nota inſupèr firmiſsimæ confidentiæ in Deum argumenta. *Qui timent te*, inquit, *videbunt me.* Plerique ſe totos publicè Deo tradere erubeſcunt. Id quidem præſtare ſolent; ſed in ſeceſſu mentis ſuæ. Verùm ubi palàm præferenda eſt exiſtimatio æternorum, tunc apparere non audent. Non ità Patriarcha ſantiſsimus: nam publicè verberibus eum, atque opprobrijs proprio patre affictante, auxilium ſe à Deo ſperare teſtatus eſt.

Humani timores.

Opprobrium pro Chriſto.

Dum pater hunc perſequitur,
Latens dat locum iræ,
Conſtanter poſt aggreditur
In publicum prodire.

Inſaniæ notam, aſpergines luti, lapidum ictus, irriſionum probra, firmâ in Deum ſpe medijs in plateis tolerare non erubuit.

Squalenti vultu cernitur:
Putatur inſanire:
Luto, ſaxis impetitur;
Sed patiens vir nititur,
Ut ſurdus pertranſire.

Erubeſcentia Evangelij.

Cùm in eum deſævirent latrones, ſe magni Regis præconem profiteri, confidentia plenus, non extimuit.

Cùm ſeminudo corpore
Laudes decantat gallicè
Zelator novæ legis,
Latronibus in nemore
Reſpondet ſic propheticè:
Præco ſum magni Regis.

Servire Deo palam.

Quàm Davidi Franciſcus non abſimilis! Uni Deo confiſus ille, totô exercitu ſpectante, imò frementè Eliab, ſola funda, & baculo armatus congredi cum Gigante fuit auſus. Ille nil Semei maledicta moratus, Dei opem præſtò ſibi adfuturam palàm ſperavit contrà filium rebellantem. Ille coràm Arca Domini ſaltare non erubuit, mirante populo, irridente Michole. Aliaque id generis omni plebi edidit firmiſsimę in Deum fiduciæ argumenta. Ideoque dicere potuit: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur.* Etenim occultos quoſdam divinæ legis cultores nemo videt: nemoque ab eis divinam ſpem theſauris, & hominibus anteferri gratulatur. Unius Davidis hæc laus eſt, unius Franciſci. *Quia in verbis tuis ſuperſperavi.*

17 Agedum. Altiora petimus: nam & Franciſcus ſublimiora audet. Quid namque ſublimius evangelicæ perfectionis apice? Quid magis arduum, quàm immenſam ſuę Religionis molem ſuper nihilum ſtabilire? Hinc cum ille peteret à Summo Pontifice, ut paupertatis Regulam confirmaret; non niſi poſt edoctum cælitùs Chriſti Vicarium, id obtinere potuit, *quòd aliquibus Cardinalibus novum aliquid, & ſuprà vires humanas arduum videretur,* ut refert D. Bonaventura, *cap.* 3. Novum certè vitæ genus. Sed quid in Franciſco non novum? Verè canebat Miſſale Romanum antiquum impreſſum Pariſijs anno 1555. in ſequentia Miſſę D. Franciſci:

Vita Minorum ſummè ardua.

S. Franciſcus novus dux novæ vitæ.

Regularis novi Regis
Vita datur novæ legis:
Renovantur juſſa Regis
Per Franciſci monita.
Novus ordo, nova vita
Mundo ſurgit inaudita:
Reſtauravit lex ſancita
Statum Evangelicum.

Miſſ. Rom. Antiq.

Conſonat Breviarium Romano-Seraphicum.

Hic prædicando circuit,
Et quem non homo docuit,
Fit doctis in ſtuporem.
Virtutum verba loquitur,
Novumque nova ſequitur
Militia auctorem.

Miſſ. Rom. Seraph.

18 Et undè Franciſco tantum pectus, ut illud vitæ genus, quod ſummis Eccleſiæ Proceribus viſum eſt humanis cona-

tibus inacceſſum, ipſe nedum triverit; verùm & ſuis militibus calcandum præſcripſerit? Quomodò non timuit, alumnos ſuos fame perimendos intrà metas paupertatis concluſos? Nimirum, eximiæ fuit confidentiæ, quòd hoc periculum minimè formidavit. Ità quippè loquitur coràm Viſibili Eccleſiæ Capite: *Non eſt formidandum, quòd fame pereant æterni Regis filij, & hæredes, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritûs ſancti virtutem de paupere Matre nati, & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione pauperacula generandi. Si enim Rex cęlorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum; quantò magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis, & malis?* D. Bonaventura ubi dudùm. O verba ſacræ fiduciæ plena! Annuit Pontifex difficillimis votis: perſpicue agnoſcens Chriſtum in pauperculo homine loquentem.

Verba D. Frāciſci plena fiduciæ in Deū.

Æterna quærentibus temporalia deeſſe non poſſunt.

19 Dicet aliquis: ſed Chriſti oraculo prænunciatus fuerat Franciſcus futurus Princeps cæleſtis huius militiæ. Etenim

Crucis arma fulgentia
Vidit Franciſcus dormiens:
Chriſtum dicentem audiens:
Tua erant hæc omnia.

S. Franciſco factę revelationes de ſuo Ordine.

Sed & verbis Domini juſſus, labantem Eccleſiam reparare.

Crucis vox hunc alloquitur,
Ter dicens: Tu te prępara,
Vade Franciſce, repara
Domum meam, quę labitur.

S. Franciſcus reparator Eccleſiæ.

Sed & hanc Evangelicam vivendi formam à Domino fuerat edoctus, pro ut ipſe in ſuo teſtamento reliquit ſcriptum his verbis: *Poſtquam dedit mihi Dominus curam de fratribus, nemo oſtendebat mihi, quid deberem facere; ſed ipſe Altiſſimus revelavit mihi, quod deberem vivere ſecundùm formam ſancti Evangelij.* Quid ergo mirùm, quòd non reformidaverit defutura ſibi, ſuiſque alumnis, vel in ſumma paupertate, neceſſaria vitæ, tantis roboratus promiſſis, tantis oraculis præmunitus? Quiſquis hæc objicit, planè ſe neſcire convincitur, quàm arduum eſt ſperare, quàm difficile non timere.

Teſtam. S. Frāciſc.

Famem non timere difficile.

20 Audiat ille votum, quod Jacob Patriarcha Domino vovit: *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum: erit mihi Dominus in Deum.* Geneſ. 28. 20. Dormit né Patriarcha; an vigilat? Ludit né, an ſerio agit? Nonne iſte eſt Jacob, cui paulò antè cælum patuit? Cui verbis Domini promiſſus regnorum ferè omnium principatus? Cui aſſerta immenſa ſui ſeminis propagatio? Cui denique divinum præſidium ipſo Dei ore pollicitum? Conſtat ex eodem capite à num. 13. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: Terram in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum, quaſi pulvis terræ. Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, niſi complevero univerſa quæ dixi.* Quid pro roboranda in Deum fiduciâ potuit audiri efficacius, fortius, validius? Et tamèn non infimæ ſanctitatis vir, ſed ſanctiſsimorum Patriarcharum filius, & ipſe Patriarcha ſanctiſsimus, poſt tot firma oracula deeſſe ſibi veretur panem, & pallium. *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum: Erit mihi Dominus in Deum.* Vidè igitur quàm arduum ſit, adeo in verbis Domini confidere; ut nil proindè fames, & frigus timeatur. Eccè Jacob tantis munitus promiſsis, & ſpebus famem reformidat, nuditatem expavet.

Geneſ. 28. 20.

Confidere in Deum etiam poſt eius promiſſa arduum.

Ibid. 13. 14. 15.

Solicitudo victûs, & veſtitûs viros etiam ſanctiſsimos tangit.

21 Quid vero Franciſcus? Nihil minus reformidat, quàm famem. Multiplicandum ſe novit infinitâ propemodum filiorum multitudine, dilatandumque ad Oc-

Confidentia S. Franciſci maior, quàm Jacobi.

ci-

cidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem. Pro alenda tamèn numeroſiſsima Prole nil proprium habere ſtudet: non domum, non agrum, non locum, non reditus, non cenſum, non denique quid fortunarum. Et eſuriem non expavet? *Non eſt formidandum*, inquit, *quòd fame pereant Æterni Regis filij.* Quid ſi Dominus panem non dederit? Fuerit Jacobi id timere; Franciſcus id non veretur. Altior illi fiducia, ſpes robuſtior. Certior factus Jacob de protectione Domini, qui prædixerat illius ſe forè cuſtodem, prandij ſolicitudinem omninò abijcere non potuit. Franciſcus ità verbis Domini fidem dedit; ut, quod vel Eccleſiæ Proceribus incredibile videbatur, ampliſsimam, totoque orbe diffuſam Familiam abſque facultatibus ſuſtentari poſſe, minimè formidavit. O quantùm Patriarcha à Patriarcha diſtat! Quantùm vox Franciſci à voce Jacobi! Vox Jacobi: *Si dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum.* Vox Franciſci: *Non eſt formidandum, quòd fame pereant æterni Regis filij.*

Temporalium contemptus.

Fames non timenda ſervis Dei.

22 Jam verò quàm proſperè Franciſco iſthæc confidentia ceſſerit, toto mundo ſtupente, ſæculorum experientia teſtatur. Quis enim filiorum ejus uſquam viſus eſt fame interire? Imò verò cui in extrema neceſsitate laboranti non præſtò adfuit providentia Dei? Ut Frater Minor non eſuriat, laborant homines, laborant Angeli, laborant vel ipſi dæmones. Tellus, mare, cælum ſubſidiaria ſunt Religionis pauperrimæ, & numeroſiſsimæ. Sæpè mendicando obtinet Frater Minor, quòd dives pecuniâ non poteſt: ſupplet Franciſci pauperies inopiam, quam numus ſublevare non valet. Miracula, qnibus Deus ſuam providentiam ſingularem erga Franciſci ſodalitium teſtatur; quę hominum lingua enarrare ſuffi-

Singularis Dei providentia erga Religionem Minorum.

ciat? Promptiùs erit dicere: unum illud eſſe continuum, ac perenne: Hoc quòd Eccleſia innuere vult, dùm canit:

De paupertatis horreo
Sanctus Franciſcus ſatiat
Turbam Chriſti famelicam,
In via nè deficiat.

Horreum S. Franciſci.

23 Nota benè, undè Franciſcus turbam Chriſti famelicam ſaciare dicitur. Nempè de paupertatis horreo. Verùm quodnam eſt horreum paupertatis? Providèntia Dei. Et ubi eſt reconditum? In cælo. Quis inde extrahit? Confidentia in Deum. An ignoras eſſe in cælo horrea? Audi Pſalmiſtam: *Panem cæli dedit eis.* Pſalm. 77. 24. Quomodò pluvium panem è cælo daret Deus, niſi horrea, eáque inexhauſta, haberet in cælo? Sed quò orante, dedit? Moyſe, videlicet, ſpei cęleſtis alumno, fiduciæ primogenito. Et quibus dedit? Filijs Iſraël, fugientibus, juxtà præceptum Domini, Ægyptum, perque inaquoſa deſerta in terram promiſſionis feſtinantibus. His Deus, ubi tellus negat, pluvium panem de cælo mittit. Quià, nimirùm habet Deus horrea ſua in cœlo, è quibus pauperibus ſuis abundè provideat in tempore neceſsitatis. *Panem cœli dedit eis.* En Franciſci horreum, de quo turbam Chriſti famelicam, velut alter Moyſes ſatiat, nè deficiat in via. Totus namque in Deo fidens, dùm per arida mundi filios ſuos, ex Ægypto profugos, ducit ad terram viventium, cęleſti eos pane ad delicias uſque recreare meretur.

Horreum paupertatis.

Pſalm. 77. 24.

Dei curæ ſe permittere.

S. Franciſcus velut alter Moyſes.

24 Invenit ſanè Franciſcus artem lucrandi cibum ſinè labore. Unâ in Deum confidentiâ paravit ſibi epulas, quas mundana ſolicitudo & anxietas vix obtinere valet. Laborant ſęculares, & eſuriunt. Quieſcit Franciſcus, & reficitur. Nè mireris. Illi quippè mundo adhærent; Franciſcus Chriſto. *Venite ad me*, inquit Dominus, *omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam*

Franciſcus ſanctè otiãdo panem lucratur.

Labor ſæcularium inutilis.

Matth. 11. 28.

vos,

vos. Matth. 11. 28. Animadverte profunditatem ſententiæ. Quos ad ſe invitat Dominus, laborantes nominat, ſaturos non nominat. Ubi verò ad ſe convenerint, reficiendos dicit, non fatigandos. Quid hic latet myſterij? Nimirùm, mundi cultores, poſquàm multùm ſudaverint, eſuriunt: Chriſti coloni, quietam vitam agentes, recreantur. Vocat Dominus laborantes. Et cur eos vocat, niſi ut non laborent? Vult vacantes, ſed non famelicos. Ideò promittit ſe illos refecturum. Namque ſub Chriſti famulatu paſcuntur, qui non laborant, recreantur, qui non æſtuant. Sufficit quippè homini adhærere Chriſto, ſub ejuſque cura poni, ut nihil ipſi deficiat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Servire Deo felix.

Otium ſactum.

Jugum Chriſti ſuave.

25 Sic turbas, quas Dominus cibavit in deſerto, priùs diſcumbere juſsit. *Facite illos diſcumbere.* Luc. 9. 14. Sic Elias ab Angelo ſubcinericio pane alitur, quando incurioſus eſcarum, tranquillè ſub Junipero ſedet. Sic Aves cæli paſcuntur, dùm terram non excolunt, ſed aëra cantu demulcent. Sic lilia agri, dùm non laborant, nec nent, cæli rore nutriuntur. Sic Franciſcus dùm non anxius huc, illucque diſcurrit quærendo cibum; ſed dùm in ſolitudine recumbit, dum quieſcit ſub Arbore vitę, dum pennis contemplationis ſublevatur in cęlum, dum ſui curam non habet, dum Chriſto adhęret, dum totum ſe divinæ providentiæ demittit; tum enim verò à Deo paſcitur, ut turbæ; recreatur, ut Elias; nutritur, ut avis; veſtitur, ut lilium. Jactavit in Domino curam ſuam: & ab eo meruit enutriri.

Luc. 9. 14.

Vita contemplativa.

26 Sed ſpectemus tandem novæ meſsis novam, & inauditam culturam. Non manus torquens aratrum, non oculus terræ infixus, ſed acies in cęlum erecta uberes fructus peperit Franciſco. Sapientèr ille quidem: hanc quippè culturam ſalvator exercuit, cum quinque millia hominum duobus dumtaxat piſcibus, & quinque panibus in deſerto ſaturavit. *Reſpexit in cælum*, inquit Evangeliſta, *& benedixit illis: & fregit & diſtribuit diſcipulis ſuis, ut ponerent antè turbas.* Luc. 9. 16. Non vultus in terram demiſſit; ſed lumina in cælum erexit: ut hôc habitu doceret diſcipulos ſuos, frumentum electorum non è terræ ſinu expectandum, ſed è ſublimitate cælorum. Fruſtrà laborant, qui manducant panem doloris. Maledictio eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* Geneſ. 3. 19. Congruit hæc filijs terræ. Dei filijs ſuavior cultura indicitur. Oculos duntaxàt monentur in cælum levare; ut panibus ſaturentur abundè. Non quippè labor, non ſudor, ſed fiducia in Deum uberem meſſem vel inter ſaxa demetit. In hoc cultùrę genere ſanè Franciſcus excelluit. Terram non irrigavit ſudore, & panibus abundavit: quià quamvis telluris glebas non contrivit, perpetuò ſidera excoluit. Inhibuit ab opere dexteram; ſed erexit frontem ad æthera. Mundum non adoravit; ſed ſpectavit cælum. Opes contempſit; ſed innixus eſt Deo. Fecit oculos frugum cęleſtium colonos; palpebræ fuerunt illi pro roſtro, pupillę pro ſole, lacrymæ pro pluvia, cor pro horreo: quod opertum mundo, cælo apertum, dùm fiducia in Deum oppletur, omni eſcarum copiâ redundat.

D. Franciſci agricultura.

Agricultura melior.

Felicitas à Deo. Luc. 9. 16. 9.

Confidentia in Deum.

Geneſ. 3. 19.



DIS-

DISSERTATIO VIII.

OBCÆCATI TERRENA felicitate, ſurdeſcimus ad æterna.

1 BEnè à naturâ conſultum eſt vitio cæcitatis præſtantiâ auditus. Oculorum injuriam aurium ſagacitate compenſat. Acutius audire ſolent, atque adeò perſpicatiore ingenio pollere, qui carent oculis. Cæcus fuit Homerus, cæcus Didymus, Diodorus ſtoicus, & Cajus Druſius cæci: cæci item Appius Claudius, & Auffidius prætorius, homines, nimirùm, uſque ad ſtuporem eruditi. Democritus (fama eſt) ſibi oculos eruit, nè videret multa, quæ, ut ipſe arbitrabatur, veri viſus aciem impedirent. Sanè Thyreſiam Vatem, qui finxêre cæcum, cæleſti lumine radiatum excogitarunt.

Obruit ora Deus, totamque in pectore lucem
Detulit.

Auditu ergo prævalère ſolent, quibus natura denegavit viſum. Ratio philoſophica: Quia virtus animæ, per oculos in plurium contemplatione non occupata, ſed in ſe collecta, intentiùs rem aure exceptam examinat. Hinc ſcitè dixit Ovvenus, alibi datus, ſurdos oculis audire, & cæcos auribus cernere. lib. 2. Epig. 183.

Cur oculis pollet magis hic, magis auribus ille?
Hic oculis audit, auribus ille videt.

2 Ità quidem in naturalibus; ſed in moralibus non ità. Qui naturâ cæcus eſt, acutiore viget auditu. Cæterùm in ſpiritalibus, qui vitio cæcitatis laborant, continuò auditûs pravitate corrumpuntur. Non eſt ſperandum, ut audiat, qui non videt. Surdeſcit omnis, qui lippit. Hoc probat Iſaiæ dictum 33. 15. *Qui obturat aurem ſuam, nè audiat ſanguinem.* Cruor certè vocalis non eſt, ut audiri poſsit: viſibilis eſt, ut cerni valeat. Quomodò ergo Vates diſſertiſsimus refert ad auditum, quod eſt peculiare viſui? Sapienter. Voluit quippè cauſam per effectum exponere. Sanguinem dixit non auditum; ut denotaret non viſum; adeò quippè in moralibus auditus à viſu pendet; ut ea, quæ non videmus, minimè audire poſsimus. Ex vitio naſcitur vitium: cæcitas ſurditatem parit: talis mater talem filiam: improba parens prolem iniquam: atque adeo tàm ibi ſimilem, quòd ſatis fuerit videre filiam, ut matrem agnoſcas. Ingeniosè itaque Propheta, ut cæcitatem indicaret oculorum, aurium ſurditatem expreſsit. *Qui obturat aures ſuas, nè audiat ſanguinem*

3 Claritatem amo: explicatiùs loquar. Rectè nomine *ſanguinis* humana proſperitas deſignatur. Unde ſanguis ærarij, pro ſubſtantia in ærario contenta, dicta à Ciceron. 5. Verr. *Quę cum de pop. Rom. victu, de victigalium nervis, de ſanguine detraxiſſet ærarij.* Et quis eſt, qui ad proruentis in ſe fortunæ alluvionem non ſurdeſcat cęlo? Quis eſt, qui auritum ſe Deo præbeat inter ſacculorum crepitus, pomparum fragorem, deliciarum tumultus? Et undè ſurditas tanta; niſi quia obcæcati bonorum terrenorum ſplendoribus, haud intendimus æternis? Ægyptij accolæ ſidera non ſpectant. Nilum quippè habent pro cælo. Undè Tibullus hunc fluvium alloquens lib. 1. ſic ait.

Te propter nullos tua tellus poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Sed ijſdem aquis, quibus cælum ſpectare prohibentur, ſurdeſcunt Ægyptij. Tantò namque fragore

Cęci ſagacioris auditûs, & ingenij eſſe ſolèt.

Cæci qui doctiſsimi.

Cæci cur melius audiunt.

Ovven.

In ſpiritalibus ſurdi, qui cæci.

Iſai. 33. 15.

Aures videntes: cauſa per effectum.

Cæcitas origo ſurditatis.

Abundantia rerum *ſanguine* denotata.

Cicer.

Felicitas oblivionem æternitatis parit.

Ægyptii, & cælo non intendunt, & ſurdeſcunt.

Tibul.

Nili accolæ ſurdi.

Nili aquæ ruunt, ut nimia ſoni vehementia auditus inſtrumentum vitient, & accolas planè ſurdos reddant. Plinius *lib. 5. cap. 9.* Adeo afnuentia divitiarum, quæ nos intueri ſidera vetat, ſurdos quoque facit, nè cælo auſcultemus. Indè ſummis laudibus effertur ab Iſaia vir ille, *qui obturat aures ſuas, nè audiat ſanginem.* Arduum quippè eſt, ad proruentis in nos fortunæ catadupas non attendere; ſed tunc ſervare aures integras æternitati. Adeò hoc magnum eſt, ut mortales non niſi infortunijs viſis ab hac ſurditate convaleſcere ſoleant.

Homines miſeri verbo Dei aptiores.

4 *Dixit auditor ſermonum Dei.* Num. 24. 4. Quis ita loquitur? Balaam, filius Beor: Homo, nimirum, ariolus, magiæ cultor, diaboli propheta. Quonam igitur pacto ex diſcipulo ſatanæ factus auditor ſermonum Dei? Ipſemet exponit: *Qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius.* Ibid. Dicidit in lectum, ut exponunt aliqui apud Lorinum. Vel alludit ad caſum cum aſina, quod narrat ſacer Textus: ut placet Del-rio *l. Adag. 126.* qui indè ſuſpicatur deductum hiſpanum proverbium: *Caer en la quenta, caer del aſno, hacerſe las cejas.* Cecidit ergo Balaam, caſuque operta lumina reſeravit: ſed ubi oculos habuit apertos, tùm docilem quoque præbuit aurem verbis Domini. Ut videas nullâ arte, nullovè ingenio obturatas cælo aures meliùs aperiri, quàm proprij contemplatione infortunij. Quamdiu ſpe lucri cæcus tenebatur Balaam, ſurdus quoque erat oraculorum Dei: poſt quam vero labendo recepit viſum, ex auditore dæmonum factus eſt veri Numinis auditor. Ità magus, ità fere omnes mortales: in culmine felicitatis & lippimus, & ſurdeſcimus; cadendum nobis eſt, ut Deo intendamus, & auſcultemus. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius.*

Num. 24. 4.

Ibid. Infelicitas felix.

Proverbium hiſpanum *caer del aſno*, unde ortum?

5 Nihil eſt equidem, quod nos rerum humanarum conditionem clariùs doceat, quàm earum intuta viciſſitudo. Cognoſcimus in lubrico nos pedem poſuiſſe, cùm corruiſſe videmus. Inſcitiam, & ignorationem cotidiani errores perſuadent, imbecillitatem peccata cogunt agnoſcere. Nemo divitum divitias putat fallaces, niſi poſtquam amiſſit. Corpore validus infirmum ſe non cogitat, donec ægritudine oppreſſus, cogitur jacere in lectulo. In editis oculi caligant, & cerebrum rotatur: in plano, & humili ſolo valet caput, & viſus ægrè decipitur. Plerique mortalium non niſi corruendo ſapiunt. Sic à Seneca inducitur in Thyeſte, ipſemet regno lapſus, & exul, diſſerere de regni, quàm expertus fuerat, vanitate, & fragilitate. Alexander, qui deum ſe putabat; tanta eſt felicitatis dementia! Hominem ſe credidit, cùm ſe vulneratum vidit. Nec nos juſsis Domini obtemperamus, niſi ærumnarum pondere oppreſsi.

Adverſitate rédimur ſapientiores.

6 Hinc lux obſcuro illi loco Pſalm. 140. 6. *Abſorti ſunt juncti petræ judices eorum.* Exponit Agelius: *Præcipitati ſunt iuxta petram in confragoſa, & ſaxis aſpera loca.* Quid inde? Sequitur: *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Itanè? Inter ſaxa præcipitati, confracti, comminuti, potuerunt audire verba Domini, quæ ſani & integri, inque felicitatis culmine conſtituti audire non potuerunt? Ità. Mundi judices, ſæculi potentes, & quibus fortuna arridet, ægrè verba Numinis audiunt, niſi poſt ruinam. Frequenter clamat Deus ad eorum aures: ut convertantur à vijs ſuis peſsimis: monet per Angelos, per Prophetas, per verbi ſui Miniſtros. At ſurdis loquitur, & verba perdit: quoniam fortunarum cantilenis obſtupefacti, cæli clamores audire non poſſunt. Quid ergo facit Pater miſericordiarum, ut au-

Pſalm. 140. 6.

Agell.

Fellicitas obturat aures, adverſitas referat.

audiri queat ? Dat eos præcipites ; deturbat à culmine proſperitatis ; projicit inter dura ſaxa adverſitatum ; opulentos de pauperat, ſericatos denudat, cothurnatos diſcalceat, robuſtos debilitat. Hoc modò auditores habet Dominus, quos priùs ſurdos invenerat : quippè aures, quas blandus fortunæ ſuſſurro nobis obſtruit, dura aperit ærumnarum tortura. *Abſorti ſunt juncti petræ judices eorum : audient verba mea, quoniam potuerunt.*

7 Nonne hâc arte Dominus Saulum ex perſecutore in Apoſtolum cuſit, & è ſurdo fecit auritum ? Lucas ita ſcribit Act. 9. 4. *Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi : Saule, Saule, quid me perſequeris* ? Nota, quod è cælo vox ſonat, ſed non auditur, niſi cadat Saulus in terram. Nimirùm, vocem Domini audimus, vel cùm ærumnis allidimur, vel cùm in terram cadimus. Quoties Saulum Chriſtus vocaverat, nec ille audierat? Et Apoſtolorum clamoribus, & miraculorum eloquentiâ, & condiſcipuli Stephani martyrio conatus eſt Dominus duras hominis emollire aures. Equidem id Dominum pluries procuraſſe, non obſcurè illa verba declarant: *Durum eſt tibi contrà ſtimulum calcitrare.* Ibidem 5. Chriſti verba ſtimuli quidem ſunt, & interni inſtinctus, ceù ſtigmata, vel punctiones : provocantes ad converſionem delinquentes, ut monet Hieronymus in Commentario ad Eccleſiaſten *cap. vl.* Contrà ſtimulum itaque calcitrabat Saulus : quoniàm licèt verbis Domini frequenter exagitabatur ; nilominus in ſurditate perſiſtens, detrectavat audire. Et tot adhibitis ingenijs Sauli ſurditas non evincitur ; ſuperatur verò, dum in terram cadere cogitur ? Ità. Potentior quippè unus caſus, quàm ſtimulorum acervus, aurium, animique fores patefacit verbi clamoribus. *Et cadens in terram audivit vocem dicentem ſibi : Saule, Saule, quid me perſequeris* ? Facilè vel morituri, vel vexati Deum audimus ; qui dùm valemus, dùm proſperamur, dùm in alto ſumus, ſupra cautes ſurdeſcimus.

8 Barbariſſimi, ſimulque impijſſimi Pharaonis vox fuit: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem eius* ? *Neſcio Dominum.* Exod. 5. 2. Quis tàm duras aures crederet in homine. Undè mortalis tantam dementiam poteſt in currere, ut Deo præbere aures dedignetur ? Rationem attingit Philo Judæus lib. de Vit. Moyſis : *Rex ab incunabulis innutritus majorum ſuorum faſtui, nec credens ullum Deum præter iſta viſibilia, reſpondit : non novi iſtum, quem prædicatis, novum Dominum.* Eccè origo atheiſmi. Homo, cui temporalis ſplendor præ oculis ſemper fuit, Deum cæli audire dedignatur, & agnoſcere. Adeò terrena felicitate illuſi, induramur aure, nè Domini vocem audire poſsimus:

9 Sed cur Pharaonem producimus in ſcenam ? Nil mirum, Principem atheum ignoto ſibi Numini non auſcultaſſe. At mirandum valdè, chariſsimos quoque filios, inter Pſalmos, hymnoſque enutritos, in Deum calcitraſſe, omnique genere impietatis laceſiſſe. Expalleſcis ? Cohibe dolorem tantiſper, dùm ferali ſcenæ ſiparium reducimus. Luget Iſaias 1. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis.* Quid plura ? Plura, & horrenda. Pergit Vates : *Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael, ab alienati ſunt retroſùm. A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus, & livor, & plaga tumens.* Licet jam tibi totis artubus contrêmiſcere, ſcenâ criminum patefactâ. An non hùc confluxere flagitia univerſa omnia ? Sprevere Numen, quâ defectione, quâ latratibus, quâ repulſa. Quodque

Verbo Dei quis actus.

Ibid. 5.

Efficaciſsima vocatio per ærumnas.

Exod. 5. 2.

Philo.

Felicitas temporalis origo atheiſmi.

Morſu corruptio ex felicitate.

Iſai. 1. 4.

Corruptio optimi pessima.

que magis inhorreas, hæc lues non in cute resedit, sed cor penitus infecit, animique sensus omnes pervasit. Adhęc, quò incurabilis sit vulnus, ex crimine nascitur crimen, & mala mens novi semper flagitij seminarium est. *Semini nequam.* Et undè rogas, tàm horrenda scelerum proluvies? En fontem. *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autèm me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Ibid. 2. Felicitatis copiâ infra jumenta, armentaque Israel abjicitur. A Deo fluxere opes, quibus auctiores filij defluxere à Deo. Tanta est virulentiâ prosperitatis; ut Numinis nomen, vultumque obliteret in cordibus opulentium.

Ibid. 2.

10 En ad quantam dementiam populum Dei nimia prosperitas adegit. Copiâ rerum, opumque abundantiâ summum Benefactorem sprevit. Hinc sanè est, quod cùm Hebręi in Ægypto ultrà quadringentos annos habitassent, ut habemus *in Exod.* 12. 40. nihilominus toto hoc tempore numquam idola coluisse, probabiliùs putat doctis. Mendoza in 4. *lib. Reg. Annot.* 3. *Proem. section.* 9. *num.* 3. Scio alios aliter sentire. Verùm nulli dubium esse potest, idem Israelitarum genus, mox, ut ab Ægypto fuerunt egressi, paucorum dierum intercapedine, vitulum conflasse pronosque adorasse, ac veneratse. Sic enim scribitur Exod. 32. 4. *Fecit vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quæro modò: Quis turbo sævus impulit Israelitas, ut extra Ægyptum coram idolis caderent, quæ intrà eam constanter sprevere? Et quidem in Ægypto adeò ebulliebant idola; quod, ut juvenalis ipse probè irridet: sanctis illis gentibus, dij nascerentur in hortis. In deserto autem, ubi vitulum conflatum, nulla idolorum cultura. Cur ergo inter idola degentes abstinent ab idololatria; & ab illis remotissimi idola venerantur? Diversus rerum status hanc monstrosam fecit metamorsim. Vitâ summè amarâ in Ægypto Judæi conficiebantur; loris conscissi, virgis fustigati, vinculis impediti, oneribus oppressi, à vero Numine non defecêre. In eremo contrà, spolijs Ægyptiorum ditati, de cælo sinè labore pasti, de hostibus victores, ab Angelo deducti, in Deum recalcitrarunt. Adeò in luto Cygni sumus, & in luce sordidamur. Catenati Deum adoramus; victores conflamus idola. Dùm panem doloris manducamus, vero Numini adhæremus. Dùm pane Angelorum pascimur, alios deos nobis cudimus. *Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de terræ Ægypti.*

Judæi felicitate corrupti.

Hebræi an idola coluerint in Ægypto.

Exod. 32. 4.

Tribulatio tentationum remedium.

In tribulatione Deum colimus; in felicitate abjicimus.

Felicitas fons idololatriæ.

11 Hæc profectò est humani generis lues, ac pestis: ut rebus prosperis corrumpatur, & in foleścat. Sed planè nescio, quâ fatuitate, à Numine charissimum Dei populum felicitas avocet, cùm in cælum prosperitate exciretur superstitio. Recordare splendidi convivij Balthasaris. Omnia ibi fomenta libidinis. Viri feminis juncti, epulæ largissimæ, calices fœcundi, & spissi: Ceres, Bacchus, Venus. Quantum incendij pabulum? Tot inter tamèn flammas colitur, non spernitur à bibonibus Divinitas, falsa quidem; sed cæcis & illusis hominibus Numen. *Bibebant vinum, & laudabant deos suos argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos.* Dan. 5. 3. Sic Babylone cænabatur. Solvebantur in laudes Numinum calore vini. Non ibi lascivæ cantilenę sonabant, non impudici joci, non sinè modestia cacchini, non insanæ vociferationes, sed deorum suorum laudes. *Laudabant deos suos.* Pudeat Christicolas conviviorum suorum. Apud Babylonios è vino religio nascitur. Apud nos è poculis luxuria. Merò calentes Ethnici excitantur in deorum

Dan. 5. 3.

Convivia quomodo celebrãda.

Conviviorum luxuria.

Vino effrenatur lingua.

rum præconia. Nos fervore vini, tamquam furijs agitati, nec cælo parcimus, nec terræ: nec homines veremur, nec Deum: omni quippè modestiâ posthabita, & spurciloquio delectamur impensè, & in cælites, Deumque ipsum acuere linguas non timemus. Babylone post mensam hymni cantantur Numinibus falsis. In promptuarijs Ecclesiæ rarò post fercula, & calices audiuntur veri Dei laudes; frequenter verò lascivi cantus, verba impudica, joci Cupidinis, risus Veneris. Pudet sanctiora fuisse barbarorum convivia, quàm modo sunt multorum Christianorum. Adeò transversum agimur exuberantia deliciarum; ut in Deum rebellemur impudentius, tùm cùm largiùs ab eo pascimur.

Gratiarũ actio post mensam.

12 Hinc benè nobiscum agit Deus, cùm nos calàmitatibus vexat. Nam, quoniam rerum secundarum insolentia sæpè extollimur, ærumnis opprimit; ut humilitatem nos doceat, & in officio suæ servitutis contineat. Tum enim Deo promptiùs auscultamus, cùm adversitatibus urgemur. Audi Psalmistam: *Conversus sum in ærumna mea, dùm configitur spina.* Ubi spinæ, ibi conversio. Haud habitat sapientia in terra suaviter viventium. Nec verba Dei in corde amœno florent, sed in spineo. Sunt dumi veluti colones verbi Dei: atque huic semini recipiendo meliùs tribulis aptantur humana corda, quàm delicijs. Rarò inter violas cælestе granum erumpit. At mirùm quantùm solet fructificare inter spinarum aculeos. *Dum configitur spina conversus*, inquit, *sum.* Sanè Verbum Patris erat, ut ait Augustinus, granum multiplicandum fide populorum. Sed quis non videt, longè uberius illud inter inopes, quàm inter opulentos excreviſſe? Pasim Christum fastidiere Primores, quem catervatim sequebantur turbæ. Gratiosior multò fuit pauperibus, quàm divitibus, plebeis, quàm nobilibus, idiotis, & rudibus, quàm Scribis, & Pharisæis. Denique laborantes vocavit; ut discamus, verbo Dei excipiendo aptiores esse ærumnas, quàm delicias. *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina:* Quid plura? Evolve Scripturas, gestaque Patrum, deprehendes factum esse Domini verbum ad eos, qui amaro animo erant: tùmque potissimum impias mentes ad Deum traductas, cùm aquâ tribulationis rigarentur. Ergo ad conspectum tribulationis auriti reddimur cælo, qui nimiâ felicitate obcæcati, surdescimus ad æterna.

Verbo Dei apta tribulatio.

Psalm. 31. 4.

Pauperum cõversio frequẽtior.

Tribulatio ducit ad Deum.

Felicium rara conversio.

Fortuna mediocris ad fidẽ aptior.

DISSERTAT. IX.

UT BENE AUDIAS benè videas.

1 Admonet nos Christus; ut quæ aure audimus, oculis exploremus. Unde inquit Luc. 8. 18. *Videte, quomodo audiatis.* Cautos vult nos, dùm cupit oculatos ad audiendum. Sensus auditus est semita mendatiorum. Qui temerè in eo confidit, multiplicibus est fraudibus expositus. Veracior oculus certiora denuntiat: auriumque errores deregit, corrigitque. Unde Thales Philosophus ab amico rogatus quantùm veritas distaret à mendacio? *Quantùm*, inquit, *oculi distant ab auribus.* Sensit vir sapientissimus, non ea certa esse illicò, quæ auribus percipimus; sed ea demum, quæ coram oculis cernimus. Vulgare est illud Plauti in *Trucul.*

Luc. 8. 18.

Auditus fallax, Oculus veracior.

Thal.

Qui audiunt, audita dicunt:
Qui vident, planè sciunt.

2 Divitiarum tinnitus quàm blandè auribus sonat! Eędem ipsæ tamen ad oculum exploratę apparent spinæ, quibus possidentium corda miserè lacerantur.

Bona terrena solo nomine jucunda.

Voluptatis nomen auribus perjucundum. Sed illa cum ſpectatur, quàm eſt oculis abominabilis? Deteſtantur lumina quod placet auditui. Humana felicitas, dum à nugatoribus prædicatur, felicitas eſt; ubi verò à ſapientibus conſideratur, inanitas eſt, & umbra. Oculatos igitur eſſe nos convenit ad audiendum; nè auditus falſâ opinione circumventi, lutum pro auro amplectamur, ſpinas pro roſis, tenebras pro luce, & umbram pro corpore. *Videte, quomodo audiatis.*

3 Monitum profectò ſalutare, totoque corde excipiendum. Verùm puto haùd minùs neceſſarias eſſe aures ad videndum, quàm oculos ad audiendum. Expendite, obſecro Balaami verba. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Num. 24. 4. Cur ſe dicit auditorem, cùm ſpectatorem jactat? Num viſionem non vidiſſet, ſi caruiſſet auribus? Atqui & ſurdis videre, & cæcis audire conceſſum. Videmus etenim non quòd auriti, ſed quòd oculati ſumus. Neque profectò magis convenit auditori videre, quàm ædificare tibicini. Incongruè nè locutus Propheta? Imò verò ſapienter. Auditorem ſe dixit, cum videntem pronuntiavit; ut, nimirum, dictâ nos Commutatione inſtrueret, officium aurium plurimùm ad uſum oculorum conferre: tumque nos benè ſpectaturos, cùm benè audire contingeret.

4 Quò id meliùs capias, nota ſenſûs ad ſenſum conſonantiam. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Benè tùm ſe vidiſſe gratulatur, cùm benè audiſſe fatetur. Purgatum oculum habuit, cæleſtiumque illuſtrationum capacem, ex quo ſermones Domini fortunatâ excepit aure. Convenienter quippè divinis revelationibus adaptatur, quis quis gratam cæleſtibus oraculis aurem præbet. Adeò oculorum felicitas pendet ab auribus. Adhuc pleniorem lucem deſideras? Balaamum Balaamo conferto. Queritur iſte habuiſſe quondam oculos privatos lumine. *Dixit homo, cujus obturatus eſt oculus.* Ibid. 3. Undè obturatus? Num cæcus factus fuerat, aut cocles? Nugæ R. Salomonis. Meliùs id tribuit noſter Lyra conſuetudini, quam cum dæmonibus habuerat. Fuit quippè ariolus, cujus erat, dæmonum reſponſa audire, ut D. Iſidorus 7. *Etymol.* cap. 9. Obturatum itaque geſtavit oculum, quòd dæmonum nefandis oraculis aurem præbuit. Nimirum, ut quiſque audit, ita videt. Porrò dæmonum ſchola quotquot auditores excipit, reddit miſerrimè cæcos. Sed ariolus, quem obcæcaverant reſponſa diaboli, ſublimem viſum recepit, poſtquam Domini verbis dociles commodavit aures: atque ex mago factus propheta, vidit, quòd bonum eſſet ſervire Deo Iſrael, ſpretis dæmonum illuſionibus. Adeo ſermo divinus facit oculatos, quos alloquium diaboli vehementer obcæcat.

5 Cupis, exemplo maioris momenti hanc eamdem veritatem edoceri? Ecce in promptu ſunt aures, & oculi Evæ. Nulli ſanè oculi perverſiores; ſed quia nullæ nequiores aures. Etenim ubi peſsimè illa auſcultavit ſerpenti, rectitudinem oculorum infeliciſsimè amiſsit. Nonnè peſsimè illa vidit, cùm *vidit, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum*? Revera illo eſu nil peſtilentius. Mors quippè in eo latebat, Domini decreto, qui dixerat: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. 17. Unde ergo primæ feminæ tàm perversa lumina, ut illud lignum, quod guſtatum afferebat mortem, ipſa videret, bonum eſſe ad manducandum? Undenàm niſi ex malo auditu? Audivit ſerpentem præclara multa, ſed falſa de illo frutice præ-

Num. 24 4.

Auditu exacuitur viſus.

Dei viſionibus apti, qui benè audiunt.

Ibid. 3.

Lyra.

Diaboli auditores cæci.

D. Iſidor.

Dei ſermo illuminat oculos.

Oculos Exæ pervertit pravus auditus.

Geneſ. 3. 6.

Geneſ. 2. 17.

Confiliarij impij non audiendi.

prædicantem. Audivit ſub pulcris eius pomis ſcientiarum omnium Theſauros latere. Audivit futurum, ut uno morſu tàm ipſa, quàm maritus recuderentur in deos. Audivit, nullatenus inde mortem pavendam; quinimò potiùs immortalitatem aſſequendam. En callidi anguis colloquium: *Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus, quòd in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum.* Geneſ. 3. 4. 5. Hunc igitur ſermonem peſtiferum, dùm imprudens femina libenter auſcultat, ſummam oculorum perverſitatem incurrit: & quæ prius, attenta verbis Domini, rectis oculis pollebat; modò, poſtquàm lethiferis perſuaſionibus patulam aurem præbuit, cœpit omnia videre præpoſtere: quippè pro bonis mala, mala pro bonis. *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.*

Adulatores vitandi.

Geneſ. 3. 4. 5.

Colloquia hæreticorum vitanda.

6 Diſcamus hinc oculos appingere auribus, ut ea, quæ audimus, attentè rimemur. Diſcamus, inquam, conſultorum verba explorare. Multorum quippè ſermones molliti ſunt ſuper oleum; & ipſi ſunt jacula. Etenim cùm vitia nobis colorare ſtudent verborum lenocinijs, tùnc id procurant maximè, ut obſcuratis luminibus mortem ſub venuſta facie voluptatis latitantem nè inſpiciamus. Quamdiù Eva non pulcritudinem ligni, ſed peſtem animo advertit, vel ejus contactum expavit. Sed poſtquam ſermonibus reguli miris laudibus commendatum audit; tum enim verò non jam lethale viſum; ſed gratum palato, & jucundum aſpectui. *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulcrum oculis, aſpectuque delectabile.* Vide quantum ab auribus inficiantur lumina. Perversè nimis vidit Eva, quòd peſsimè audivit.

7 An non id ſacer textus luculenter ſignificavit, cùm dixit: *Vidit igitur mulier?* Cur illud *igitur* poſuit, niſi ut conſecutionem ex præfatis denotaret? Etenim, ut nullus non ſcit, particula iſthæc conjunctio rationalis eſt, ex præcedentibus concluſionem inferens. Porrò quid aliud præceſsit, quàm diaboli ſermo ad Evam? Hinc ergo Moyſes pravam feminæ viſionem conſecutam refert; ut indicaret ex malâ auditione, tamquam ex antecedenti perverſo iniquam illam viſionem ſubſecutam. *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.*

Mala viſio ex malo auditu.

8 O quàm aliæ poſt impium colloquium res nobis apparere ſolent, ac antea ſolebant! Caſtitas, quæ nobis erat in delicijs, poſt auditas de voluptate carnis confabulationes deſpicitur. Abſalom, niſi peſsimum Achitophelis conſilium auſcultaſſet, nunquam fuiſſet auſus concubinis patris ſui Davidis publicè commiſceri. Una impiæ Jezabelis vox modeſtum aliâs maritum Achab in turpem rapinam animavit. Uno ancillulę ſuſurro cecidit Apoſtolorum fortiſsimus. Ut Holophernem inermis Vidua proſterneret, ſat fuerunt mellita verba. *Percutiet eum ex labijs charitatis meæ.* Judith. 9. 13. Sed hæc quidem ſanctè verba compoſuit: quamvis Dux ille in pravum ſenſum contorſit. Verum ſi tantam perniciem afferre potuerunt verba caſtiſsimæ fœminæ, animoque immaculato prolata, ob id ſolùm, quòd homini impuro non purè ſonare ſunt viſa; quam peſtem affiabit ſermo, vapido è pectore emiſſus? Opportunè Apoſtolus: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* 1. Cor. 15. 33. id eſt, audientis mores penitùs vitiant, contaminant, deſtruunt. Etenim ex obediente faciunt ex legem, ex modeſto laſcivum, ex circumſpecto diſſolutum, ex filio Dei mancipium diaboli. Adeò ſermone malo nil eſt virulentius. Quanta Evæ erga Numen obſervantia antè nefandum cum ſerpente colloquium! Quanta

Conſiliarij improbi.

Judith. 9. 13.

Feminarũ colloquia.

1. Cor. 15. 33.

ta præcepti reverentia? Quantus timor mortis! O quàm digna ſancto pectore verba illa: *De fructu ligni, quod eſt in medio paradyſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & nè tangeremus illud, nè fortè mariamur.* Genſ. 3. 3. Verùm proh dolor! Totum hoc præſtatiſsimarum virtutum ornamentum, & integritatem una ſerpentis voce diſsipatum legimus, & lugemus. Poſt venenatum quippe ſermonem contemnitur Domini præceptum, providentia deſpicitur, timor mortis ablegatur, lumen oculorum amittitur: Evaque diſtat ab Evâ, quantum cælum à gehenna, juſtus ab injuſto, & filius lucis à mancipio tenebrarum.

Geneſ. 3. 3.

9 Porrò, cùm omnis conſiliarius improbus ſit vitandus; maximè cavendi adulatores. Nullo enim magis obcæcantur homines, quàm palponum verbis. Spectavimus communem parentem altè obcæcatam. Cuius extremæ infelicitatis originem dùm quærimus diligenter, non aliam fuiſſe quàm egregiam ſerpentis adulationem liquidò comperimus. Namque cùm adulari ſit non ad veritatem, ſed ad voluntatem loqui; quænam verba magis aſſentatoria, quàm illa. *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum?* Ibid. 4. Quot verba, tot mendacia; ſed mendacia auribus valdè jucunda, animoque gratiſsima. Quid enim delectabilius audiret femina, quàm poſſe ſe fieri immortalem, in deumque recudi, non alio labore, quàm pomi guſtatu? Sed ecce, ubi falſis promiſsionibus gratas aures imprudens femina præbuit, oculos, quibus rerum veritates explorabat, infeliciter amiſsit. Tunc quippè jam non mortem, quę quidem pomo ſubcrat; ſed divinitatem, quæ profus aberat, perturbatis luminibus vidit. *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Nullo enim halitu venenato ſic inficitur oculorum integritas, ut peſtilentiſsimo adulationis afflatu.

Adulatio excæcat.

Adulari quid.

Ibid. 4.

10 Oportuna verba Origenis Homil. 1. in Ezechielem. *Qui ad voluntatem meditata deportant & illa magis inquirunt, quæ delectent potiùs audientes quàm convertant à vitijs, faciunt velamina ſuper caput.* Verba ſane fiunt ad aures; non verò ad oculos: nihil ominùs tamen aſſentatoria verba ſunt quędam velamina, ſupra faciem audientis ſpanſa: quippè ſermo falſâ dulcedine coloratus, non ſinit ſpectare nudam veritatem. Adſtipulantur etiam verba Io. Chryſoſtomi in Polycratio lib. 3. *Adulator omnis virtutis inimicus eſt, & quaſi clavum figit in oculos illius, cumquo ſermonem conſerit.* Accedit præterea venuſta comparatio Plutarchi in Opuſc. *Ut corvi involitantes cadaverum oculos effodiunt: ſic adulatores ſuis laudibus rationem, & mentem humanam corrumpunt.* Vide ut adulatrix lingua virus ad aures deportans, audientes oculos offuſcat, exterebrat, effodit.

Orig.

Adulatio eſt velamen oculorum.

1. Chryſoſt.

Plutarc.

Adulatores velut corvi.

11 Hoc eſt, quòd Dominus populo ſuo compatiens, dolenter admonuit: *Populę meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.* Iſai. 3. 12. Scopus adulantium decipere eſt. Sicut enim finis oratoris eſt dictione perſuadere, & medici medicinâ curare; ſic adulatoris finis, decipere ſuaviloquio.

Iſai. 3. 12.

Finis adulatoris decipere.

Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus,
Gallida ſic ſtultas decipit eſca feras.

Martial.

Martialis inquit lib. 4. epig. 56. Sanè totus in eo eſt, ut decipiat, qui impium vocat beatum; prodigum liberalem; temerarium fortem; crudelem juſtum; ignavum modeſtum; & timidum cautum. Qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.

Ve-

12 Verùm quâ conſequentiâ illud etiam incommodum cæleſtis ſermo ſubtexuit : *& viam greſſuum tuorum diſſipant?* Sanè deceptio adulationis fit ad aurem. Quid autem commune habet pedum error cum deceptione auditus? Scilicet, neceſſariò errant plantæ, ubi deeſt oculorum directio. Ideòque cùm cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt: ignota namque vitare pericula nulla poteſtas. Sapienter proindè ſermo divinus deceptioni aurium adjunxit pedum errores : quippè aſſentatores calidi, dùm auribus illudunt, nè veritatem audiant ; oculis etiam imponunt, nè videant ſemitas veritatis. Quiſquis ergo beatificat impium, errare facit in via : nam, cùm ei pericula damnationis occulit ; incautum mittit in caveam ; cogitque in extremam ruinam nihil mali ſuſpicantem. *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.*

Adulatio diſſipat viam ſalutis.

13 Nemo quidem tàm eſt periculis obnoxius, quàm qui nullum timet. Hinc nil ſermone adulatorio nocentius, qui docet timere nil. Ipſe enim eſt, qui unam Dei miſericordiam exaggerans, peccati turpitudinem dealbat, mortis horrorem imminuit, gehennæ formidinem arcet, & divinæ vindictæ metum elevat. Unde miſeri auditores, dùm nil timendum cogitant, proni, & cæci in omnia mala cùm pœnæ, tùm culpæ ruunt. Hinc Dominus apud Ezechielem ſeverè in falſos prophetas animadverſurum minatur ; quòd vano figmento, fallacique vaticinio miſerum populum ludificantes, extremo caſui objiciebant. *Eò quòd deceperint populum meum, dicentes : Pax, & non eſt pax.* Ezech. 13. 10. In verbo *Pax* nedùm ſignificatur tranquillitas à bello, & quacumque alia perturbatione, ac metu ; verùm, & fortuna melior, aut quid quid in votis poteſt eſſe mortalibus. Erat itaque illis impoſtoribus pacis nomen frequens in ore, quæ libertatem ſonabat, & auſpicatum exulibus Hebræis omen, atque omnibus bonis cumulatam vitam. Sed nihil aberat longius à captivorum fortuna, quàm quod pacis nomine ſignificare pſeudo prophetę volebant. *Pax, & non eſt pax.*

Securitas falſa peccatorum.

Prophetæ, & Concionatores falſi.

Ezech. 13. 10.

Pax omne bonum ſignificat.

14 Nugaciſsimum autem horum hominum ingenium eleganti metaphorâ notatur ab ipſo Domino, qui ſubdit ſtatim : *Ipſe ędificabat parietem ; illi autem liniebant.. abſque temperatura.* Ibid. Eſt dicere : Populus ædificabat parietem ruinoſum proper morum corruptionem, & impietatem, quibus ad certum exitium urgebantur. Illi autem conſilio planè peſsimo laudabant ſtultas populi cogitationes : & quidquid apparebat vitioſum, aut parum ex uſu, id occultare ſtudebant: perinde ac ſiquis nativam deformitatem celare curet : aut procumbentis parietis hiatus luto, aut debili tectorio contegat ; ut promptiùs obruat habitatores incautos. Moraliſsimè, ut aſſolet, B. Gregorius cap. 4. lib. 18. Moral. *Parietis nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem, eſt contra ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverſè agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant.* Eleganter ſanè. Structores mendaces parietem hiulcum, nè rimę appareant facili incruſtant albario. Improbi adulatores, nè proprios animæ hiatus miſeri peccatores obſervent, debili verborum fuco dealbant. Utriſque mens eadem, conſiliumque idem: nimirùm, oculis imponere, atque illudere præſtigijs ; ne lumina, falſis perſuaſionibus decepta, quid mali ſuſpicari valeant, adeòque caſu repentino pereant. *Ipſe ędificabat parietem ; illi autem liniebant eum abſque temperatura.*

Liuire luto parietem quid. D. Gregor.

D. Gregor.

15 Vidiſti quantam ſermo ma-

lus perniciem oculis inferat. Contuere modò, quàm magna ex colloquio ſancto ijſdem obveniat utilitas. Ut enim lumina improbis obcæcantur verbis; ità bonis ſermonibus colluſtrantur. Memineris quæſo, Balaamum priùs ex familiaritate dæmonum obcæcatum, poſteà ex divino colloquio acutiſsimis oculis inſignitum. Nimirum Dei verbum eſt cæcitatis noſtræ collyrium efficaciſsimum. Legimus in Evangelio ſecundum Joannem, Dominum, illum cæcum, cuius oculos luto ex ſaliva facto linivit, miſiſſe ad aquas Siloë: quibus cùm cæcus laviſſet lutum, cæcitate deterſa, clarum oculorum lumen accepit. *Vade: & lava in natatoria Siloê. Abijt ergo, & lavit, & venit videns.* Joan. 9. 7. Cur cæcitatem ſanaturus Dominus, prius ad aquas Siloë miſit, quàm ad fluenta Jordanis, quibus olim fuerat Naamano Syro lepra deterſa? Audi Hieronymum ſuper cap. 6. Iſaiæ: *Inaicat non aliter cęcitatem Judæorum, & omnis increduli ſanari poſſe, niſi doctrina aquarum Chriſti, quæ abſque ſtrepitu, & clamore verborum fluit.* Per aquas ſignificatur doctrina, iuxta illud: *Aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum.* Per aquas verò Siloë doctrina Chriſti: ut enim idem Evangeliſta interpretatur, Siloë idem eſt hebraicè, quòd Miſſus: & ſignanter convenit Chriſto, qui fuit miſſus à Patre. Lotus ergo cæcus Siloë aquis, redditur feliciter oculatus: quippè ad abſtergendam cæcitatem mentis nullum pharmacum tàm validum, quàm verbum Chriſti. *Vade & lava in natatoria Siloê. Abijt ergo & lavit, & venit videns.*

Verbum Dei collyriû cæcitatis noſtræ.

Joan. 9. 7.

D. Hieron.

16 Apertius loquitur regius Vates Pſalm. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Putabas, cum ſolis auribus eloquia Dei habere commercium? Falleris. Oculis etiam ſunt familliaria. Sonantia ſunt; ſed & lucida ſunt. Dùm ſonant ad aurem, faciunt, ut audiant vel ſurdi: ad oculos poſita, illuminant cæcos. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Quid mirùm! Verba Dei quàm ſimillima ſunt Filio Dei. Hic enim Verbum cùm ſit, pariter & Lux eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Utrumque uno verſiculo pulcrè Iſaias comphrehendit, cum dixit: *Et audient in die illa ſurdi verba libri: & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt.* cap. 29. 18. Duo prædicit planè miranda: & ſurdos auditu nobilitandos, & cæcos viſu. Quia, nimirùm, ubi Dei oracula ſonant, nedum ſurdis aperiuntur aures, verùm & cæcis caligo diſpelitur. Dei ergo ſermones, verba ſunt, quibus aurium intima penetrantur: & fulgor, quo interioris oculi tenebræ removentur. Sanè viſibiles voces jam audivimus *Tom. 1. Commut. 2.*

Pſalm. 18. 9. Dei ſermo illuminant oculos.

Iſai. 29. 18.

17 Cæterùm hic valdè notandum, quòd verbis Domini priùs medicantur aures, quàm lumina. Priùs enim legimus, vitium ſurditatis eliminatum, quàm tenebras cæcitatis abſterſas. *Audient ſurdi verba libri: & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt.* Regia ad oculum via auris eſt. Fruſtra ſperat, lucida Dei præcepta contemplari, qui ſurditate laborat. Nemo ea videre dignus eſt, niſi qui libenter exaudit. Lucidi ſunt ſermones divini; ſed audientibus, non ſurdis. Ideo Propheta Regius cæleſtem Sponſam alloquens, *Audi*, inquit, *filia, & vide.* Pſalm. 44. 11. Priùs, ut audiat, monet; deinde, ut videat. Nam qui purgatâ, diligentique aure verba Domini non excipit, earum ſenſus capere nullatenus poterit. Audi ergo, ut videas: quippè ſermo divinus illorum oculos irradiat, quorum aures invenit apertas.

Auris purganda, ut oculus colluſtretur.

Verbum Dei diligenter audiendum.

18 Hoc arbitror voluiſſe Dominum ſignificare, cùm juſsit

Apoſ-

Apoſtolis, ut quæ audierant in tenebris, evulgarent in lumine.

Matth. 10. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Matth. 10. 27. In tenebris? Ecquando in tenebris locutus Dominus, qui ut ipſe teſtatus eſt apud Annam, palàm locutus eſt mundo, & in occulto profatus eſt nihil? *Non legimus*, inquit ad hunc locum Hilarius, *Dominum ſolitum fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinam in tenebris tradidiſſe.* Quomodò ergo idem Dominus affirmat aliqua ſe in tenebris fuiſſe locutum? Perbellè idem Hilarius: *Quia omnis ſermo eius carnalibus tenebræ ſunt, & verbum eius infidelibus nox eſt.* Ubi auditus, ibi fides; ubi ſurditas, ibi infidelitas: quia, ut definit Apoſtolus, fides ex auditu. In tenebris ergo Salvator loquitur, cum ad mentes infidas verba facit: quoniam doctrina cæleſtis benè audientibus lux eſt; ſurdis verò tenebræ, & chaos. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.*

Verba Dei, tenebræ ſurdis.

D. Hilar.

Carnales, & infideles non intelligunt verba Dei.

19 Hinc eſt, quòd Sina mons, ubi Dei digitus legis verba exarabat, fumo undique, & caligine obſcuratus apparuit: inque Moſis faciem, eadem verba portantis, intendere non poterant cultores vituli. Hinc etiam, ubi primum Crux erecta eſt tenebræ factæ ſuper univerſam terram. Nimirum, rari tunc erant, qui ad doctrinam Domini non altè cæcutirent. Sermo de Chriſto crucifixo viſus eſt Gentibus ſtultitia, & Judæis ſcandalum. Apoſtoli muſto madere ſunt creditι, cùm primùm auſi myſteria crucis extollere. Filijs Iſraël, ut inquit Apoſtolus Vetus Teſtamentum velatum eſt uſque in hodiernum diem. Quid? Genti auribus incircumciſæ, induratæ, ac ſurdæ ſermo divinus haud lux eſt, & dies; ſed velamen, ſed nox, ſed tenebræ. Homo quippè audiendo videt. Unde qui ſurdus eſt, etiam cæcitate laborat.

DISSERTATIO X.

PRÆSTAT AUDIRE *Chriſtum, quàm videre.*

Chriſtum audire melius quâ videre.

1 ISthæc ſententia non eſt mea, ſed Magni Parentis Auguſtini, qui ſerm. 24. de verb. Domin. ità præfatur: *Audivimus verba Chriſti. Quid enim nobis prodeſſet ſi videretur, & non audiretur? Nec modò aliquid obeſt, quia non videtur, & tamen auditur.* Nil prodeſt ſurdis Chriſti præſentia: nil obeſt abſentia benè auritis. Jam non eſt cur oculis aures invideant: multò quippè quàm illi ſunt ipſæ feliciores. Certè Balaam, ubi ſe ex ariolo in prophetam excuſum agnovit: cæleſtibuſque revelationibus, ijs præſertim, quæ de Chriſto erant, imburum; haud videntem ſe dixit, ſed auditorem: *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Cur *Auditoris* præ nomen titulo *Videntis* prætulit, qui quidem in Prophetis frequentior eſt, ac celebrior; niſi quia glorioſiùs putavit, eſſe auditorem Domini, quàm ſpectatorem? Sanè à Balaamo prævisum fuiſſe Chriſtum, luculenter apparet ex illa eiuſdem benedictione, quâ prædixit ex populo Jacob naſciturum Dominum ad ſtellę ſimilitudinem: quemque aliquando ſe viſurum gratulatur. *Videbo eum, ſed non modò: intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël.* Sed enim quamquam Chriſti D. prævisione colluſtratum ſe fatetur; maluit tamen agnomine Auditoris inſigniri quàm videntis: quoniam longè utilius eſt, auſcultare Salvatorem, quàm cernere. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.*

Aures ut oculis feliciores.

Mul-

Chriſtum ſpectare velle, & non audire, herodianum eſt.

2 Multi ſanè ſunt, qui cupiunt videre Chriſtum; ſed pauci, qui audire. Extimam ejus faciem oculis contemplari avent; doctrinam verò auſcultare negligunt. Nè te tua cogitatio fallat. Crede mihi: Si Chriſtum ideo videre cupis, non ut audias, ſed ut videas; ex hac parte non jam Chriſtianus es tu, ſed Herodianus. Multa tùm de miraculis, tùm de doctrina Chriſti audierat Herodes. Sed vide quid ille quærat in Domino. Lucas narrat: *Et quærebit videre eum.* cap. 9. 9. & iterum: *Erat capiens ex multo tempore videre eum.* cap. 23. 8. Videre tantùm voluit, non audire. Oculos paſcere concupivit, non mentem. Unde gaviſus ille cùm Dominus aulam ſuam intravit; non quòd doctorem amabat, à quo verba vitæ exciperet; ſed quod ab eo ſpectaculum ſibi dandum ſperabat. Hiſtrionem ergo quærebat in Chriſto, non prophetam, non ſacerdotem, non legis peritum. Tandem vidit ſtultus rex, quod optaverat. Vidit, inquam, Chriſtum in aula ſua. Et quid illi profuit, quòd vidit? Num Chriſti ſpectaculo melior effectus? Num eum pœnituit adulterij, & homicidij? Quin impietati addens impietatem & Dominum indigna irriſione irriſit, & omni populo irridendum præbuit: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.* Ibid. 11. Ecce quid profuit Herodi voluntas videndi Chriſtum. Vidit, & irriſit: quoniam videndi tantùm fuit cupidus, non audiendi.

Luc. 9. 9. Luc. 23. 8.

Aulicorũ ſtulta curioſitas.

Ibid. 11.

3 Non poſſum facere, quin in præſentiarum doleam vicem illorum Religioſorum, qui quòd ſanctiores habentur, ſine urgentiſsima cauſa à Fratrum communione diſsiti, in aulis Principum diu, & placidè commorantur. Quæro: Quid Monacho cum pompis ſæculi, quibus renuntiavit? Nimirum, ſanctulus eſt, propheta eſt, & miraculorum patrator: Ob idque quæritur à Magnatibus, qui ut eſſe ſolent novitatis amantes, gaudent habere ſecum, quem audiunt à populo celebrari. Et cur gaudent? Num quia domi habent prophetam, qui minis eos à peccatis deterreat, aut doctorem qui in viam ſalutis dirigat? Non deerunt fortaſsè, qui hoc ſtudio pietatis agantur. Verùm frequentius eſt vanę curioſitatis prurigine commoveri. Plerique videre tantùm volunt, non audire. Domi habere gaudent religioſos viros non ad doctrinam, & exemplum; ſed ad ſpectaculum. Ideò apud ſe frequentiùs retinere amant, non quos doctiores, & ſeveriores vident; ſed quos ſimpliciores, feſtivioreſque: hoc eſt, aptiores ad excitandos cachinos, quàm fletus. Cupiebat ſanè Herodes videre Chriſtum: & gaviſus eſt, cum in aula ſua vidit. Sed ut vidit, ſprevit, confeſtimque juſſit expellere Regiâ. Nimirum, ſperabat inaniſsimus princeps videre ludionem, quocum jocari poſſet. Unde ſeveriſsimam Chriſti faciem indignatus ſprevit, quem maximè revereri, ſi ſaperet, debuiſſet. Licet ergo viros religioſos extra clauſtra degere, ſuperbaſque habitare domos, non quòd majori doctrinâ, & ſanctitate pollent, ſed quòd magis ridiculi habentur. O probrum!

Religioſi degentes in aulis.

Religioſorum familiaritas cum ſæcularibus ſevera ſit, non ridicula.

4 Sed redeamus ad propoſitum. Nil certè profuit Herodi quòd Chriſtum vidit. Sed nil nobis incommodat, quòd non videmus. Tota modò felicitas pendet ab auditu. Fortunati ſumus, ſi unam ejus doctrinam blandâ excipimus aure. Probè hoc noverat copioſa illa multitudo infirmorum, qui, ut Lucas narrat, *venerant, ut audirent eum, & ſanarentur à langoribus ſuis.* Cap. 6. 18. Curari volentes, Jeſum adeunt; non quidem videndi ſtudio, ſed audiendi deſiderio. Non ut curioſa

Chriſti doctrina, ſalutaris.

Luc. 6. 18.

ſa lumina mirabili pulcritudine oblectent ; ſed ut aures dociles monitis cæleſtibus compleant. Ideoque optatam ſalutem oppidò conſequuntur. *Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis curabantur. Virtus de illo exibat , & ſanabat omnes.* Ibid. 19. Auribus ergo, non oculis , hauritur medicina cæleſtis. Ergo ſi curari volumus ab impuritate ſpiritus , corporiſque langoribus, Chriſtum adeamus , non cupiditate ſolùm contemplandi extimam eius ſpeciem, ſed ferventi ſtudio verba vitæ, quæ ab ore afflat , audiendi. *Venerant , ut audirent eum , & ſanarentur à langoribus ſuis.*

Ibid. 19.

5 Dicat aliquis ; cur non amabo Chriſti ſpeciem contemplari ; cùm Dominus ipſe beatos prędicet oculos , qui ſe vident ? His quippè verbis conſolatur Apoſtolos : *Veſtri autem beati oculi , quia vident.* Luc. 13. 16. Verum dicis ; ſi ut te Chriſti facies delectat , ita verborum eius non tædeat. Undè conſultò Dominus ipſe protinus addidit: *Et aures veſtræ , quæ audiunt.* Nimis certè felix eſt oculus, qui Salvatorem videt ; ſed ſi non abſit auris , quæ libenter audiat. Alioquin & oculos carnificum, qui Dominum crucifixerunt , beatificabimus. Nil ergo proderit Jeſum videre , ſi non prompta ſit auris ad audiendum. Cæterum beatus eris , ſi auſcultaveris, quamvis non videas.

6 Magdalenam contuere. Hæc eſt feliciſsima illa femina , quæ, Domini teſtimonio , optimam partem elegit. Sed vide quid agat. *Sedens ſecùs pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. 39. Notaſtin ? Audiebat , inquit, non videbat. Magiſtri verbis dumtaxat intenta ejus faciem contemplari non curavit. Neglexit oculos paſcere pulcerrimo aſpectu: & ſtuduit oblectare aures ſermone melliſluo. Demiſsit ergo lumina , quò ſublimiùs arrigeret aures. Et ideo optimâ parte ſanctitatis ornata ; quoniam felicior animarum ſors non ijs ſervata eſt , quæ plus amant videre Dominum , quàm audire ; ſed illis, quæ nullâ habitâ oculorum ratione , totæ ſunt , ut audiant verba vitæ. *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.*

Luc. 10. 39.

Magiſtros ſpirituales audiant filiæ ; non videant.

7 Quid adhæc dicent ſimplices quædam animulæ , quæ felicitatem ſpiritûs revelacionum copiâ dimetientes , queruntur amarè ſortem ſuam , quòd quamquàm Chriſto , (ut quidem ſibi videtur) diu aſsedêre , nullâ fuerunt cæleſti apparitione dignatæ? Hinc beatas dicunt animas illas, quæ Chriſtum aliquando viderunt; ſe verò miſerrimas clamitant, quòd nunquàm conſpexêre. At qui falluntur egregiè. Non enim in hac peregrinatione beati ſumus , videndo Chriſtum ; ſed audiendo. Labora , ut audias : & beatus eris. Pedibus ejus aſside cum Maria. Verùm aſside , ut illa : hoc eſt , demiſsis oculis, & ſurrectis auribus : ut & luminum curioſitatem coërceas , & aures doctrinâ cæleſti paſcas. Ergo ſi ſortem feliciſsimam amas in Chriſto , auritus eſto , & beatus eris. *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Maria optimam partem elegit.*

Revelationes non appetendæ.

8 A nobis ſtare Davidem puto celebri illo epitalamio , quo in perſona Eccleſię , ſeu Virginum choro , Chriſti Sponſi optimas partes concelebrat. Ergo corporis pulcritudinem demiratus , inquit : *Speciosus forma præ filijs hominum.* Pſalm. 44. 3. Verùm nullâ ibi morâ factâ , raptim tranſilit ad commendationem eloquentiæ. Unde ſubdit ſtatim : *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Ec cur in contemplatione imcomparibilis pulcritudinis non diutiùs immoratur ? Cur intentis luminibus non ſingulatim explorat frontis majeſtatem , oculorum blandimenta , cæſariei venuſtatem, oris elegantiam , totius denique corporis habitum præſtantiſsimum? Quia , videl cèt , illùc properabat devenire , undè melior ſibi

Pſalm. 44. 3.

Modeſtia oculorum in feminis.

fortuna arridebat. Etenim pulcritudine Chriſti habebat, quo paſceret oculos; ſed gratiâ labiorum habebat, quo inſtrueret aures: ideo parum moratus eius pulcritudinem, ad celebrandam labiorum gratiam feſtinanter excurrit: quippè feliciorem ſe credidit, ſi Chriſti labiorum frueretur gratiâ, quàm ſi ſpeciei decorè paſceretur. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa eſt gratia in labijs tuis.*

Humanitas Chriſti tota vocalis.

9 Ob id certè Salvator ipſe, totus vocalis factus, nedùm linguâ nobis loquitur, verùm & præſenti... Quaqua illum ſpectes, Verbum eſt. Adeò mavult à nobis audiri, quàm videri. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos,* inquit Apoſtolus, Tit. 2. 11. Quæ vero ſit hæc gratia, quæ apparuit, mox idem exponit, dicens: *Humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei.* Veriſsimum quidem e..., Chriſti Humanitatem apparuiſſe: Deitate quippè inviſibilis Deus, Humanitate viſibilis factus. Caterùm qui fieri potuit, ut humanitas nos doceret? Num tota Chriſti Humanitas lingua fuit, ut nos erudire poſſet? Nam quid habet homo vocale, ſi unam linguam excipias? Præterea, illud verè apparet, quod in conſpectum venit; illud verò doctrinam inſtillat, quod pulſat auditum. Quomodo ergo Humanitas Salvatoris dum apparuit, erudivit? Hinc diſces, plus Dominum optaſſe, ab hominibus auditum iri, quam ſpectatum. Nil ſanè iucundius potuit mortalium oculis obijci, quam Salvatoris humanitas. Verùm ubi mundo apparuit, tota vocalis facta, ſcholam morum aperuit: quippè non apparuit, ut appareret tantùm, ſed ut ad ſalutis viam erudiret mortales. *Apparuit gratia, (Humanitas) Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos.*

Tit. 2. 11.

Tit. 3. 4.

Exemplorum vox.

10 Putabas, Dominum ſolâ fuiſſe linguâ facundum, cætera mutum? Totâ fuit Humanitate vocalis. Nonnè ſilente linguâ in Præſepio, novæ, cæleſtiſque doctrinæ cathedram erexit, ex qua mundi contemptum, humilitatem, paupertatem, obedientiam perſpicuè mortales edocuit? Jam ſi totius vitæ geſta ſedulò perluſtramus, nonnè clariſsima ſunt rectè videndi præcepta? *Apparuit, erudiens nos.* Et quid erudivit nos? Subdit Apoſtolus: *Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Ibid. 12. Eccè quànta nos ſuâ Dominus præſentia, & exemplo docuit: Deum, nimirum, colere, mundanas cupiditates reſecare, ſobrietatem amplecti, juſtitiam diligere, ſectari pietatem: & ut uno verbo dicam, terrena deſpicere, amare cæleſtia. Adeò præoptavit ab hominibus audiri, quàm ſpectari.

11 Id ipſum cæleſtis Pater maluit, cùm in Thaboris vertice illam vocem intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* Matth. 17. 5. Notanda occaſio præcepti. Aperit tunc Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam: communemque illam cum cæteris formam corporis tanto ſplendore clarificat, inquit S. Leo Papa; ut & facies eius ſolis fulgori ſimilis, & veſtitus candori nivium eſſet æqualis: *Transfiguratus eſt ante eos: & reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Ibid. 2. Quando quidem igitur tàm cæleſte, mirandumque mundo ſpectaculum præbere dignatus eſt Dominus; cur Pater audire eum nos jubet, & non potius contemplari? Nam quid mortalis oculus poteſt videre jucundius, optabilius, & venuſtius, quàm humanitatem Chriſti, radijs Divinitatis fulgentem? Jam quid utilius animarum ſaluti, quam Salvatoris gloriam ſpeculari? Cæterum Pater cæleſtis tùm etiam audire nos Filium jubet, non

Matth. 17. 5.

Transfiguratio Chriſti.

Ibid. 2.

verò

verò ſpectare, vel cùm pompam ſuæ Divinitatis explicare voluit: ut diſceremus, potiorem huius vitę felicitatem, non oculis hauriendum à nobis, ſpectando Chriſtum; ſed patulis auribus, illum audiendo. *ipſum audite.*

Chriſtus audiendus vel cùm maximè fulget.

12 Facit etiam propoſito non incongruè, quòd illa vox Patris eo tempore audita eſt, quo Petrus de conſtruendis tabernaculis cum Chriſto diſſerebat. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Jeſum: Domine, bonum eſt, nos hîc eſſe: ſi vis faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente... Ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Ibid. 4. & 5. Obruit ſanè vox Patris vocem Petri: eumque quaſi importuna loquentem ſilere cogit. Unde & à Luca tunc Petrus arguitur imprudentiæ. *Neſciens quid diceret.* Luc. 9. 33. Cur? Quia jucundò tantæ gloriæ ſpectaculò illectus, ibi manere cupiebat, ubi Chriſtus apparebat ſummè venuſtus; & immemor culturæ aurium, ſolos ambiebat oculos oblectare. Neque enim tunc curavit Præceptorem ſuum audire docentem; ſed ſolùm contemplari fulgentem. Ideo tunc à Patre monetur, ut illum audiat: quoniam veri Diſcipuli Salvatoris, haud tàm debent attendere quid Magiſter luceat, quàm quid doceat. *Bonum eſt nos hîc eſſe. Ipſum audite.*

Ibid. 4. & 5.

Luc. 9. 33.

13 Alia ſanè Petro mens fuit, cùm, requiſitis à Domino Apoſtolis: nùm & ipſi ſicut quidam diſcipuli fecerant, à ſe deficere vellent; pro omnibus ille reſpondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternę habes.* Joan. 6. 69. Nùm ſola verba Chriſtus habebat, quibus animas illaquearet? Innumera ſanè fulgebant in eo amoris illicia, quibus homines dulciter ineſcare, ac retinere poterat. *Certè fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis occultæ, quę etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu*: inquit D. Hieronymus in cap. 9. Matth. Verùm Petrus ſolis Chriſti verbis ſe, & alios Apoſtolos irretitos eſſe fatetur. Nam quòd à Domino ſeparari nolent; ſed ipſius potiùs lateri immobiliter adhærere; non tribuit majeſtati oris, non fulgori Divinitatis in facie micanti; ſed unius æternæ vitæ verbis ab ejus lingua fluentibus. *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* O vox apoſtolico pectore digna, dignaque fidiſſimo Chriſti diſcipulo! Talium quidem eſt adhærere Domino, non quòd oculos ſua pulcritudine oblectat; ſed quòd aures cæleſti doctrinâ paſcit. Adhuc ſumus in via, non in patria: opportet nos magis credere, quam ſpectare. Tempus fidei eſt; non viſionis. Quamdiù ſumus in hoc tabernaculo, una noſtra cura ſit audire verba Dei. Interim nullâ faciem ejus videndi tangamur ſolicitudine. Nihil quippe nobis prodeſſet ſpectare Chriſtum, niſi & audiremus. Felices verò ſumus, ſi libenter audimus, quamquam non videamus.

Joan. 6. 69. Chriſti doctrina potentiſſima ad trahendos animos.

Fides potiùs quàm viſiones.

DISSERTATIO XI.

DEUM QUI AUDIT, videre dignus.

1 SÆpè Balaam prodit in ſcenam. Cæleſti Numine affiatus divina fundit oracula: & placet iterum atque iterum audire. Sit igitur, & auſcultemus. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Num. 24. 3. Obſcura verba; quippè myſterijs gravida. Sed illud in præſentiarum fortiùs torquet animum, quòd tunc ſe divinâ viſio-

Num. 24. 3.

ſione fuiſſe colluſtratum refert, cum auditorem ſe nominat. Nam quid auditio ad viſionem? Num miniſterio aurium indigent oculi pro ſuorum actuum effectione? Num continuo cæcus, qui ſurdus? Nimirum, ſermo eſt ibi de viſione cæleſti: & benè ſe viſione Omnipotentis fuiſſe colluſtratum Balaam aſſerit; cum ſe dixit Auditorem ſermonum Dei: quoniam auditus facilis ad excipiendum verba divina, parit in oculis viſionem cæleſtem. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* Nobili ergo Commutatione Viſio prædicatur de Auditore: more, videlicet, metonymico, quo cauſa ponitur pro effectu, vel antecedens pro eo quod conſequitur: quoniam, nempè dignus fit, qui cæleſtibus viſionibus donetur, quiſquis gratam divinis oraculis accommodavit aurem.

Viſio cæleſtis ex auditu.

2 Verum enim verò, cùm *Auditoris* nomine vir tùm *Fidelis*, tùm etiam *Obediens* denotetur: quod ſatis exploratum omninò non cæcis; utrique hanc eſſe feliciratem communem pro viribus declarabimus. His ergo cardinibus noſtra circum agetur oratio. Nimirum, Dei viſionem & Fide, & obedientiâ promereri. Primum libet in umbris figurarum inſpicere. Bis ſuper Chriſtum viſibili ſpecie deſcendiſſe Spiritum Sanctum, narrat Evangeliſta Matthæus. Semel ubi in Jordane baptizatus Jeſus *vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Matth. 3. 16. Iterum ubi transfiguratus in monte, *nubes lucida obumbravit eos.* Idem 17. 5. Nam in hac nube Spiritum Sanctum apparuiſſe ſentiunt apertiſsimè Patres illi, quos citat & ſequitur celebris Cornelius à Lapide. Sed cur primò apparuit ſub ſpecie columbæ; ſecundò autem ſub imagine lucidæ nubis? Venerabilis Beda agnoſcit in columba ſimplicitatem fidei: in nube verò lucidâ claritatem viſionis beatæ. Unde monet, Spiritum Sanctum primò apparuiſſe in ſpecie columbæ, ſecundò in forma præfulgidæ nubis: ut doceret mortales, ad lucem æternæ beatitudinis de veniendum ipſis per ſimplicitatem fidei. Verba ejus ſunt: *Hîc Spiritus Sanctus in nube lucidâ, illic in columba: quia qui nunc cordis ſimplicitate fidem ſervat, tunc apertâ luce contemplabitur, quod crediderat.*

Orationis partitio.

Fidei præmium viſio Dei.

Matth. 3. 16.

Idem 17. 5.

Bed.

3 Notiſsima eſt hiſtoria de converſione Pauli. Illud verò in ea notandum, quòd poſtquam divinâ luce conterritus cecidit in terram, deindeque Jeſu voce animatus ſtetit in gradu ſuo; tunc prorſus luminibus orbatus apparuit. *Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat... Et erat tribus diebus non videns.* Act. 9. 8. 9. Cur tunc obcæcatur Paulus, cum viſus eſt, maximè indigere lumine? Imò quia maximo erat colluſtrandus lumine, oportuit priùs altè excæcatum iri. Noſter Lyra docet, teſtaturque eſſe communem opinionem, triduo illo poſt caſum contigiſſe raptum illum prorſus mirabilem, de quo idem Apoſtolus meminit 2. Cor. 12. 4. Igitur obcæcatus Paulus, ut viſione Divinitatis frueretur: quoniam per cæcitatem fidei rectè pervenitur ad contemplandam ſpeciem divinæ Celſitudinis. Favet Arator hiſce pulcerrimis carminibus.

Fidei cæcitas Dei viſionem parit.

Act. 9. 8. 9.

Raptus Pauli quando.

Contemplationis fons.

Arat.

——— *Sors læta ruinæ,*
In quâ culpa cadit: didicit de corpore lapſo
In mentis iam ſtare gradu; cùm lumina claudit,
Pectora tunc aperit, cælique agnoſcitur Author,
Diſcedente die. Quantùm meruere tenebræ!
Poſt oculos maiora videt: mirabile ſæclis.
Exemplum dedit alma fides

Quid elegantius, noſtroque propoſito convenientius? Fide excęcamur Mortales. Sed felix cæcitas, cui cæleſtis viſio debetur. Has tenebras

bras æternum lumen conſequitur. Adeo fœcunda luminis eſt tenebroſa fides; ut in cæleſti patria clariſsimam viſionem parturiat.

4 Hinc Apoſtolorum Princeps novis Eccleſiæ filijs gratulans quod manus Chriſto dediſſent, ſic alloquitur: *Jeſu-Chriſti, quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis: credentes autem exultabitis lętitiâ inenarrabili, & glorificata.* 1. 1. 8. Notandum, quod non dicit: *exultatis*, ſed *exultabitis*. Ita namque legendum; quàmvis non deſint, quibus *exultatis* placeat. Sed pluribus, & quod caput eſt, approbatæ noſtræ Editioni adhærendum. Quænam verò iſthæc lętitia inenarrabilis, & glorificata, quâ Chriſti fideles exultabunt? Salmeron exponit de dulcedine Euchariſtiæ: quòd ex fide, adoratione, atque perceptione cęleſtis huius manna ſentiri ſoleat à devotis lętitia ineffabilis, plenaque gloriâ. Pia certè expoſitio, tantoque authore digna. Sed pro argumento noſtro magis facit ſententia D. Irinæi, qui de lætitia cęleſtis Beatitudinis præſentem locum interpretatur lib. 5. cap. 7. *Facies enim noſtra*, inquit, *videbit faciem Dei vivi, & gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet, cum ſuum videat gaudium.* Ergo in hac vita piè credentes, poſt modum in futura gaudio ineffabili exultabunt, à clara divini vultus viſione profecto. Nimirum, tantum lumen promerentur fidei tenebræ. Opportunè D. Auguſtinus de Symb. Gaudeamus & nos credentes in eum, quem non videmus; ut ſecurè illum videamus, cùm ad eum pervenerimus.

5 Omnino itaque oportet nos modò audire, ut poſt intueri liceat, atque ex viſione lætemur. Una nobis cura ſit, dare locum auditui, extinctis luminibus: hoc quippè fiet, ut clarificatis oculis viſione perfruamur æternâ. Hac ſpe David exhilaratus, Deo canebat: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.* Pſ. 50. 10. En ab auditu gaudium ſperat, qui noverat plenitudinem gaudij ab una Dei viſione ſuboriri. Unde alibi dixit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Pſ. 16. 15. Sed quo jure tantam gloriæ exundantiam ſibi ex auditu promittit? Quoniam, & ſi probè noverat, ſuperni gaudij plenitudinem ab una Dei viſione proficiſci; compertum ſimiliter habebat, hanc eximiam felicitatem certò ex fidei auditu iri compararam. Adſtipulatur D. Bernardus Serm. 28. in Cant. *Auditus, qui tulit, reparet viſum: quoniam niſi credideremus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, viſus ad præmium. Unde Propheta: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam; quòd fidelis retributio auditionis beata viſio ſit.* Summæ ergo æquitatis ratio expoſcit; ut cæco auditui reſpondeat clara Dei viſio. Nam is, qui ſub obſcuris fidei carceribus novit intellectum tenere captivum, dignus profectò fit, qui in regnum lucis feliciter emergat.

6 Hac ſpe S. Job roboratus dicebat: *In noviſsimo die de terra ſurrecturus ſum: & in carne mea videbo Deum meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Cap. 19. 25. Præmium reſurrectionis expectans vir ſanctus, incredibiles vitæ calamitates animo infracto tolerare didicit. Verum quorſum illius ſententię iteratio: *Viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius?* Profectò quiſquis videt, ſuis oculis videt, non alienis. Fallimur. Nam quotquot fide reguntur, ij ſanè non proprijs oculis vident, ſed alienis: quippè non vident oculis, ſed auribus. Non enim ideo credunt, quòd vident; ſed quòd audiunt. Suis ergo luminibus nihil prorſus fideles vident: quippè in obſequium fidei planè cæci.

1. Petr. 1. 8.

Gaudium Beatitudinis ex fide partum.

Pſ. 50. 10.

Pſ. 16. 15.

Auditus ad meritum; viſus ad præmiſi.

D. Bern.

Job 19. 25.

Spes reſurrectionis fons tolerantiæ chriſtianę.

Fides auribus videt.

Fideles reſument proprios oculos in cœlo.

7 Sed quid ? Num charis luminibus perpetuò carebunt ? Immò vero lucidiores recipient. In carne mea videbo Deum meum. *Quem viſurus ſum ego ipſe , & oculi mei conſpecturi ſunt , & non alius.* Oculos , quibus S. Job Deum viſurus erat in patria , ſignanter appellavit ſuos : nam qui in præſenti vita oculos ſibi reſecant in obſequium fidei , eoſdem recuperabunt in futura , adeo lucidos , & acutos , ut Domini faciem intueri valeant. Idcircò antè verba iſthæc fidei profeſſionem emiſerat : *Scio quòd Redemptor meus vivit , & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Scilicet , hinc ſperabat futurum , ut in die reſurrectionis vultum Divinitatis ſuiſmet oculis ſpectaret : nam lumina , quæ à nobis fides extorquet in via , multò nobiliora juſtus Dominus redonavit in patria. Proprios itaque oculos Beati habebunt in cœlis : quoniam in terris poſiti , eos in obſequium auditûs rejecerunt. *Oculi mei conſpecturi ſunt.* Igitur ſi feliciſsimam illam viſionem peroptamus , claudenda omninò ſunt lumina.

Dei liberalitas.

8 Sed aperiendæ aures : ràm benè quippè auritos eſſe nos convenit , quàm benè cæcos. Dandum eſt auribus , quod luminibus detrahitur : ut creſcente modò in nobis auditu , perfectiorem poſtea comparemus viſionem. Ductum ſequamur auditûs. Hoc monente non errabimus : immò æternam illam viſionem pertingemus ſecurè. Ideo Pſal. 44. 11. priùs audire jubemur , quàm audire. Sponſæ etiam , quæ ſcire cupiebat , ubi Dilectus paſceret , cubaretque in meridie , aureæ murenulæ præparantur in ornamentum aurium. Cant. 1. 6. In Pentecoſte antè ſonitus vehemens exauditus , quàm ignis conſpectus. Act. 2. 3. Qui Spiritum Sanctum videre cupit , priùs audiat. Denique vox Beatorum eſt : *Sicut audivimus , ſic vidimus in civitate Domini virtutum , in civitate Dei noſtri.* Pſal. 47. 9. Dignus ergo ſpectare Deum , qui audit.

Dux ad Beatitudinem auditus.

9 Obedientiâ quoque claram Dei viſionem comparari ; dilucidè probant illa verba nuper adducta : *Audi filia , & vide.* Audire , etiam obedire eſt , iuxta illud : *Qui vos audit , me audit : & qui vos ſpernit , me ſpernit.* Luc. 10. 16. Modò nota , quòd priùs Sponſa jubetur audire , quàm videre : iſte quippè eſt ordo divinæ remunerationis : ut qui nunc Deo præcipienti obedit , poſtea eumdem glorificatus aſpectet. Pulcrè D. Bernardus ſerm. 41. in Cantic. *Audi filia , & vide. Videre deſideras , prius audi : ut per auditûs obedientiam pervenias ad gloriam viſionis.*

Audire , obedire eſt. Luc. 10. 16.

Obediẽtiâ ducimur in viſionem Dei. Pſalm. 47. 9.

10 Recorderis velim percelebris ſcalæ Jacob. Somno Patriarcha oppreſſus *vidit ſcalam ſtantem ſuper terram , & cacumen illius tangens cælum : Angelos quoque Dei aſcendentes , & deſcendentes per eam , & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ. 28. 12. 13. Quàm gravis myſteriorum pondere ſomnus ! Illa ſeligam , quæ magis propoſito convenire perſpexerim. Et primò notanda conditio perſonæ , cui cœlum patet. Jacob eſt , quem Dominus reducto gloriæ ſipario , aſpectu ſuo dignatur. Sed Jacob eſt , qui tunc ex patris imperio , & incomitatus , & pauper , peregrinabatur ad Labam in Meſopotamiam. Ut enim Dei ordinationi , voce parentum inſtillatæ , humiliter obtemperaret generoſus juvenis , locupletem domum , genitorem chariſsimum , ſuaviſsimamque matrem relinquere minimè dubitavit. Quin nullâ interpoſita morâ duro præcepto blanda colla ſubmittens arduum iter ſtrenuè aggreditur. *Obediens Jacob parentibus ſuis iſſet in Syriam.* Gen. 28. 7. Igitur obedienti juveni reſeratur cælum , Deique vultus innoteſcit palàm : ut ſcias viſionem Dei eſſe præmium obedientiæ. *Vidit ſcalam ,*

Geneſ. 28. 12. 13.

Parentibus obediendum.

Iter Religioſorum ad infideles.

Geneſ. 28. 7.

&

& Dominum innixum ſcalæ.

11 Adhæc. Poſt viginti annorum curricula idem Jacob ex Meſopotamia remeans in Chanaan, divino iterum recreatur aſpectu. Quam quidem feliciſsimam ſortem idem ſibimet gratulans, exponit dicens. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Gen. 32. 30. Mira certè Patriarchæ felicitas! Si domum paternam deſerit, Deum videt. Si e contra repetit, Deum videt. Aſt quomodo gradibus contrarijs pergens eadem mercede donatur? Quia ſivè vadens, ſivè rediens eodem impulſu agitur. Ex obedientia quippè Chanaan relinquit, petitque Meſopotamiam: & ex obedientia Meſopotamiam deſerit, remeatque in Chanaan. Primum audiſti: auſculta ſecundum: *Revertere*, ait Dominus, *in terram patruum tuorum, & ad generationem tuam.* Gen. 31. 3. Deum ergo Jacob videt, ſive vadat, ſivè redeat: quoniam ubi Dominus videt obedientem ſibi virum, ibi gaudet ſui ſpectaculum exhibere. *Vidit ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ. Vidi Dominum facie ad faciem.*

Gen. 32. 30.

Obedientia ſit indifferens etiã ad oppoſita.

Gen. 31. 3.

12 Inſuper notatu dignum: tum temporis cælum Jacobo reſeratum, quum ipſe quieti indulgebat, & ſomno. *Viditque in ſomnis ſcalam.* Nulla in paternis ædibus viſione fuit recreatus, vel vigilans. In ſolitudine verò, & in itinere Dominico dignatur aſpectu, vel ſtertens. Uſque adeo non laborem, non locum attendit Deus; ſed obedientiam. Sancti quidem parentes Jacobi: ſanctaque domus illa. Ibi tamen nequidem Angelum vidit. Cæterùm in agro etiam cùm dormit, & cælum, & Angelos, & Dominum Angelorum clarè cernit. Nimirum, ubi virtus obedientiæ fulget, cæleſtis gloria patet vel dormienti. *Vidit in ſomnis.*

Obedientium vel ſomnia Deo grata.

Locorum indifferentia.

13 Præterea: *Vidit ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ.* Scala eſt, quà cælum Mortales petere debent. Igitur gradatim aſcendendum eſt, non volatu. Multo labore innitendum nobis eſt, ut ad Dominum perveniamus. Alta valdè ſcala eſt: & Dominus cacumini inſidet. Timeant ergo nè nunquam cælum ſcandant, qui nullo ſudore, conatu nullo, aut ferè, beatitudinem ingredi præſumunt. Volatu hi cupiunt rapere cælum. Sed ego nullum Angelum video volantem: omnes premunt ſcalam. Erras, ſi putas, aliter tibi incedendum. Sed cur Dominus apparet in ſummitate ſcalæ? Quia niſi ſcalam tenueris, faciem Domini non videbis. Sanè in ſcala iſta lex Domini figuratur. Quot ab illa deviant, in tartara tendunt. Porrò ſcalæ gradus ſunt Decalogi præcepta. Qui ergo cælum conſcendere aves, omnes ſcalæ gradus percurrere ſatage. Nam, ut monet Jacobus Apoſtolus 1. 10. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* In vertice proinde ſcalæ Deus apparet: quoniam ijs tantùm conſpiciendum ſe præbet, qui ſuis præceptis animitùs obediendo, arduam ſalutis viam ſtrenuè pervadunt. *Vidit ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ.*

Via ſalutis laboriola.

Omnia præcepta ſervanda.

Jacob. 1. 10.

14 Eadem quę Jacobi, beatitas Abrahæ. Pari paſſu currunt avus, & nepos. Non ſemel, aut iterum, ſed ſæpè numero Abramum legimus Domini præſentiâ dignatum. Lege à capite duodecimo Geneſeos. Sed unde illi tam familiaris divinus vultus, niſi ex obedientiæ ſtudio, quem mirè excoluit Patriarcha ſanctiſsimus? Nam quid tota eius vita fuit, niſi una obedientiæ cura? Modò exire patriâ iuſſus, natale ſolum incunctanter deſeruit. *Egreſſus eſt Abraham, ſicut præceperat ei Dominus.* Gen. 12. 4. Modò accipiens durum de circumciſione mandatum, adeo non exhorruit vulnus, ut eodem ipſo die, quo accepit legem, impleverit. *Eâ die circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius & omnes viri domûs illius.* Ibid. 17. 26. Modò juſſus Agarem cum Iſmaele pellere domo, & uxo-

Deo parendum in arduis.

Gen. 12. 4.

Ibi 17. 26.

Filiorum odiũ propter Deum.

re, & filio ; quàm chara pignora ! orbari non renuit. *Surrexit Abraham mane ... tradiditque puerum , & dimiſit eam.* Ibid. 21. 14. Modò unigenitum, dilectiſsimumque Iſaacum immolare juſſus , nihil inſolentiam præcepti moratus , cruento ſtatim gladio prolem deſtinat. *Extendit manum , & arripuit gladium , ut immolaret filium ſuum.* Ibid. 22. 10. Deſine proinde mirari familiaritatem Domini cum Abrahamo; eximiam namque obedientiam tanta dignatio conſequitur. Ideo filium immolaturo præcipitur ire *in terram viſionis.* Ibid. 2. quoniam idem eſt theatrum obedientiæ & viſionis.

15. O nimis felices obedientiæ alumnos ! Beatos dixit Dominus eos , quibus cor mundum. Sed inde appellavit beatos, quòd infuturo ſæculo Dei faciem ſpectabunt. *Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 7. 8. Sed beatior obediens, quem & in exilio vitæ huius ſuo Dominus dignatur aſpectu. Obtinet in terris obedientia , quod pudicitia obtinebit in cælo. Hæc viſionem Dei pariet in patria ; illa etiam in via parturit. Cordis munditia ſementem facit in terris, ut tandem metat in cælo ; obedientia verò frutificat , ubi floret. Sanè Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Sed beatiores obedientes : quoniam & Deum vident. Etenim præceptum Domini lucidum eſt, & illuminat oculos obedientium. Sanè terra obedientiæ , viſionis eſt.

Ibi 21. 14.

Vocati parens. Ibi 22. 10.

Ibid. 22. 10.

Ibid. 2.

Obedientiæ felicitas.

Matth. 7. 8.

DISSERTAT. XII.

REPREHENSIO , QUÆ auditur tantùm , non auditur.

1 SENSUM diſciplinarum vocavit Philoſophus Auditum : quàm celebrem ſententiam nos quidem laudavimus in Expoſitione huius Literæ. Sed quamvis ad comparandam ſcientiarum notitiam plurimum conferre non negaverim ; ad mores tamen formandos minimùm valere eum , niſi in conſortio viſûs nunc oſtendere conabor. Surdo loquitur; qui ſolis verbis improbum arguit : etenim non magis ille ſermonibus commoveri ſolet, quàm ſi penitùs nil audiret. Stultus homo non in auribus , ſed in oculis geſtat auditum. Aures habet videntes , non audientes: quoniam niſi viderit ſigna terroris , ad quævis verba ſurdeſcit. Spectare id in Balaamo licet , qui in ſchola dæmonum educatus , poſtea factus eſt *Auditor ſermonum Dei.* Quod ſi prodigioſæ huius novitatis rationem quæras , puto facilè invenies in oculorum terrore. Spectavit quippè Angelum, ſibi necem gladio exterto minitantem. *Vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio.* Num. 22. 32. Inde ex auditore ſatanę factus Dei auditor ; quoniam aperiendis improborum auribus nulla vis efficacior , quàm terror ad oculum. *Dixit auditor ſermonum Dei.*

Reprehenſio fiat viſibilis, ut audiatur.

Num. 22. 32.

2 Clariùs : Ante quam Angelus Balaamo appareret armatus, ter jam locutus ei fuerat : vetans ſemper , nè malediceret filijs Iſrael , quod Balaac ſummoperè cupiebat. Conſtat ex eodem capite. *Dixitque Deus ad Balaam: noli ire cum eis : neque maledicas populo.* Et iterum : *Venit Deus ad*

Ibid. 22.

Ibid. 20. *ad Balaam nocte, & ait ei: Vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.* Tertio denique: *Vade cum iſtis, & cave, ne aliud quam quod præcepero tibi, loquaris.* Retracta modò totam narrationis ſeriem: & comperies liquidò, nomen *Auditoris* non uſurpatum à Balaamo niſi poſt trinam admonitionem: primo quippè id auditum infrà, cap. 24. Cur tàm ſerò? Quare hoc præclarum nomen non jactat ſtatim ac Deum audivit; ſed poſtquam Angelum ſpectavit gladio armatum? Quia nimirum, nunc vidit ſigna terroris, quæ anteà non viderat. Prius audierat quidem præcepta, ſed exarmata. Modo ſpectat, gladio vindice communita. Ideo modò Auditor, non antea: improbi namque homines, qualis Balaam erat, edicta, quæ tantùm audiunt, non audiunt: quoniam ea ſolùm auſcultare noſcuntur, quæ apparent oculis formidanda. *Vidit Angelum ſtantem.*

Timore pœnæ aperiuntur aures.

3 Hæc eadem veritas etiam ex ipſiuſmet Balaami geſtis efficatiùs evincitur. Nam prima, ſecundâque prohibitione Domini ſpreta; ab iniquo propoſito niſi poſt tertiam admonitionem non deſtitit. Unde audivit ab Angelo: *Perverſa eſt via tua, mihique contraria.* Ibid. 22. Scilicet, viluerunt apud perverſum hominem interdicta Numinis, nudis dumtaxat verbis denuntiata. Firmam verò extorquêre obedientiam, minis, & terroribus communita. Etenim præcepta ſonant ad aurem; ſupplicia patent ad oculum: & contemnuntur præcepta, cùm non videntur ſupplicia. E contra vero benè aures audiunt, cum terrentur oculi: quia nullus eſt qui obedire detrectet, ubi ſpectat ſupplicia, in rebelles parata. *Dixit auditor ſermonum Dei.* Modò auditor, qui antea ſurdus? Ita. Verùm iſthæc miracula non fiunt blandimentis verborum, ſed pœnarum terroribus. In hęc verba perrupit Balaamus, poſtquam ſe vidit aſinâ deturbatum, gladiumque angelicum capiti minitantem. Qui ad nuda Domini verba obturaverat aurem, factus eſt auditor egregius, ex quo præceptorem aſpexit acuto mucrone inſtructum: ars quippè optima aperiendi aures rebellium ſubditorum, eſt terrere oculos inſtrumentis pœnarum. Denique & caſu & gladio factus ariolus auditor Dei. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt: qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus.*

Supplicia, non tantùm verba.

Leges muniantur gladijs.

4 Fruſtra ergo ſperat Superior, ut à ſurditate malignâ convaleſcat inferior, qui nulla ſeveritatis argumenta videt. Sermoni blando iſthæc ſurditates non cedunt. Loquendum eſt ad oculos, ut aperiantur aures. Minis ergo, terroribus, & flagellis agant cùm rebellibus: nam reprehenſio, quam oculi non percipiunt, reſprehenſio non eſt. Scelera filiorum Heli nemo eſt, qui neſciat. Immaniſsima fuiſſe ſacra Pagina teſtatur 1. Reg. 2. 17. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* An verò tan ingentia ſcelera Pater unquam reprehenderit; modò exquirendum. Verùm de hac re non eſt, cur dubitemus; cùm clara ſint verba illa Parentis ad filios: *Quare feciſtis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſsimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini.* Ibid. 24. Conſtat ergo Heli coarguiſſe filios. Conſtat, inquis? Lege caput immediatè ſubſequens, & videbis Deum iratum in Heli, quòd ſceleſtos filios non increpaverit. *Prædixi enim ei, quòd judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quòd noverat, indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* En celebrem antilogiam. Nam quomodò filios non corripuiſſe dicitur, quem conſtat de ſceleribus objurgaſſe? Nodum ſolves,

Reprehenſio non reprehenſio.

1. Reg. 2. 17.

Ibid. 24.

Ibi 3. 13.

si dicas, ita filios increpasse, quasi non increpasset. Rogas, ut id magis exponam? Faciam libenter.

Reprehensio nimis blanda, nulla.

5 Quia, videlicet, blanda nimis fuit reprehensio, quæ debuerat esse asperrima. Audi, ut loquitur: *Nolite filij mei.* Quid hac voce tenerius, dulcius, suavius? Ludit nè cum parvulis filijs bonus senex; an serio agit cum juvenibus flagitiosissimis? Tonat nè; an cantitat? Minatur; an subridet? Profectò verba tàm mellea potiùs videntur patris palpantis, quàm judicis corripientis. Benè Rupertus: *Heli nullâ sævientis Magistri disciplinâ, solasque patris seniles blanditias balbutiens, Nolite, inquit, filij mei*, &c. Meritò proinde dictus est Heli non increpasse filios sceleslos, quamquàm eos admonuisse narretur: quoniam apud Deum non censetur reprehensio, quæ caret debitâ severitate. *Et non corripuerit eos.*

Judex tonet in impios, non cantet.

Vultus corripientis fit severius.

6 Succurrit alia, multò convenientior cogitatio. Quia, nimirum, quamvis gravitatem scelerum filijs objecit Heli; ita tamen asperitatem correptionis temperavit, ut à solis auribus perciperetur, non ab oculis. Lector attende. Ubi nostra Vulgata habet: *non corripuerit eos*: ex Hebræo transferri potest: *Non fuerit obscurus ad eos*: seu, *non fuerit in rugas contractus.* Consule Vocabularium Complutense verb. *Caha.* Heli ergo perditissimos filios verbis dumtaxat, non etiam vultu corripuit. Nam verba quidem gravia dixit; sed vultu sereno, & ad blanditias composito. Non obscuravit faciem; non turbavit lumina; non contraxit frontem; non terribilem se exhibuit, sed affabilem; denique non reorum oculos conterruit, ad aures dumtaxat susurravit. Jure ergo optimo quasi judex mutus punitur à Domino: quoniam reprehensio, quæ à sola lingua fluit, & non fulminatur à vultu, nulla, ut pote vana, & sterilis, à sumo Vindice reputatur. *Et non corripuerit eos. Non fuerit obscurus ad eos. Non fuerit in rugas contractus.*

Voc. Com.

Severa facies potentior, quâ lingua.

7 An ignoras, corrigendis flagitijs majorem vim inesse vultui, quàm linguæ? Sed audi Ecclesiasten 7. 4. *Per tristitiam vultus corripitur animus delinquentis.* Abacub 3. 6. de divino Numine: *Aspexit, & dissolvit gentes.* Salomon Prov. 20. 8. de Principe justo: *Rex, qui sedet in solio judicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Ecce ubi solo vultu dissipantur scelera. Adeo impetrat frontis terror, quod sermoni non datur.

Abac. 3. 6.

Prov. 20. 8.

8 Sed accipe aliud documentum. Deus arcano volumine cibaverat Ezechielem, prædixeratque erudito jam Vati: *Vade ad domum Israel, & loquere verba mea ad eos.* Ezech. 3. 4. His tamen non omnino fidens cæleste Numen, durissima etiam facie, fronteque adamantina suum Vatem armare pergit. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Ibid. 8. & 9. Quid opus fuit indurare faciem Prophetæ, cuius pectus, & linguam cælesti doctrinâ jam oppleverat? Quia ad permovendos animos impiorum parùm valet sermo divinus, quem frontis duricies non communit. Sciebat Dominus, nil Prophetę verbis obstinatas populi aures emolliendas fore. Ideo faciem adamantinam imposuit facundissimo Vati; ut formidine vultus contereret, quos præviderat indurandos ad verba. *Loquere verba mea ad eos. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam.*

Ezech. 3. 4.

Concionatoris vultus acer in impios.

Ibid. 8. & 9.

Reprehensio muniendæ gladijs.

9 Vidimus Prophetæ vultum: spectemus modò faciem Domini Prophetarum. Ferream sanè vocem emisit, similemque immenso aquarum fragori, ubi Episcopos Asiæ corrigere decrevit.

Ja-

Talem quidem Joannes audiſſe ſe narrat Apoc. 2. 10. 14. *Audivi poſt me vocem magnam tamquam tubæ. Et vox illius tamquàm vox aquarum multarum.* Hac tamen validiſsimâ voce haud ſatis confidens divinus Præceptor, faciem inſuper circumpoſuit ſibi prodigiosè terribilem. Nam & oculos flammeos aſſumpſit, & os ancipiti gladio inſtructum. *Oculi ejus tamquam flamma ignis ... & de ore ejus gladius utráque parte acutus exibat.* Ibid. 14. 16. Cur quì voce tonabat horrendùm; voluit etiam apparere vultu ad ſtuporem formidabilis? An conterrendis mortalium pectoribus non ſatis erat ſtrepitus ille immanis? Ex ipſius Joannis facto valet ſumi conjectura. Vocem quippè adeo imperterrito excepit animo, ut non timuerit, ora in loquentem convertere. *Converſus ſum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.* Ibid. 12. Verùm totus ad conſpectum cæleſtis monſtri perterritus, tantùm non exhalavit animam. *Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tamquàm mortuus.* Ibid. 17. Vides quàm terribilior ſit horror vultus ſupra vocis tonitrum. Illo viſo corruunt mortales: hoc audito perſeverant immoti. Ideo Dominus, haud contentus voce validiſsimâ commonere peccantes; vultu quoque formidabili exterruit: quoniam facilè contemnuntur verborum ſtrepitus, qui frontis non animantur horrore. *Converſus ſum, ut viderem vocem. Cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tamquàm mortuus.*

Apoc. 2. 10. 14.

Ibid. 14. 16.

Chriſti facies terribilior, quâ vox.

Ibid. 12.

Ibid. 17.

10 Viden' ut Dominus vocem ſuam flammis & enſibus facit audiri? Viden' ut terroribus extorquet reverentiam, quam ſermonibus non aſſequitur? Et quidem voluit oſtendere Joanni ſanctiſsimo præcipuam artem corrigendi inſontes. Ideo ſtatim jubet, ut in errantes Aſiæ Epiſcopos calamum ſtringat. Vis ergo exaudiri à ſubditis? Chriſtum imitare. Loquitor ad oculum; non tantùm ad aurem. Fac, ut quæ dixeris, gladijs, & ignibus robores. Illa enim admonendi ratio facilè non contemnitur, quam metu, & terrore vallamus. Jam Moyſes cunctos ſermones Domini populo enarraverat. Jam vota ſuddítorum de lege ſervanda exceperat. *Cuncta, quæ loquutus eſt Dominus, faciemus.* Exod. 19. 8. Nihilominus tamen Deus parùm verbis populi fidens: immò ne ſua quidem verba ſatis ſuffulta iri arbitratus, decrevit inſuper obſcurare caligine. *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Ibid. 9. Nota cauſalem: *Ut audiat me populus: & credat tibi.* Quid nubis caligo ad auditum, & fidem? Num auditus exacuitur umbris: aut verba habent authoritatem à tenebris? Ita Dominus cenſuit, qui ut majorem fidem, reverentiamque ſuis verbis conciliaret ad populum, decrevit ex atrâ nube promulgare Decalogum: facilè quippè deſpuuntur edicta, quæ nullo ſigno terroris vallantur.

Metus, legum cuſtos.

Exod 19. 8.

Ibid. 9.

11 Præterea, quaſi parum fuiſſet, verba Deum obſignaſſe caligine nubis; terribiliora adhuc ſigna quaſi in auxilium vocavit. Ex indè quippè mons Sina viſus eſt ardere totus, fumoris voluminibus obſcurari, atque horrendis micare fulminibus. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem ... Totus autem mons fumabat: eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne: & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.* Ibid. 16. 18. Cur voluit Dominus ſuam legem promulgare, tanto terrore munitam; niſi ut Summus Moderator orbis doceret terrenos judices optimam condendi leges rationem? Leges qui ſcribunt, quique enuntiant, deriſui populorum exponunt, ni eas ignibus, & fulgoribus exaraverint, promulga-

Ars divina condeni leges.

Ibid. 16. 18.

Terrore animantur leges.

gaverintque. Quid mortuum atque inanimè lex eſt : jacèt proinde , & calcatur , cùm nil vitale ſpirare conſpicitur. Omnino igitur animare legem oportet , ne vileſcat. Cæterum illa arte animanda , quam Summus Legiſlator edocuit : tonitruis , nempè, & fulminibus ; hoc eſt , ſeveritate , & metu.

Prælati & linguâ utantur & manu.

12 Hinc eſt etiam , quòd idem Dominus ablegaturus Moyſen in Ægyptum , nedum eloquentiâ inſtruxit , verùm & virgâ. Et quidem eloquentia ſummâ qualis erat in Aarone , qui datus eſt ei pro ore. *Aaron frater tuus Levites , ſcio quòd eloquens ſit. Ipſe loquetur pro te ad populum.* Virgâ quoque portentorum feraciſſimâ. *Virgam hanc ſume in manu tua , in qua facturus es ſigna.* Ibid. 17. Sed quid eloquentia tanta valuit apud Pharaônem ? Sanè non is erat Princeps qui admonitionem exciperet factam ad aures. Sprevit Legatorum verba , quàſi commenta hominum otioſorum. Ita ſanè ut prædixerat Deus : *Ille loquetur ad Pharaonem ut dimittat filios Iſrael. Et non audiet vos.* Ibid. 74. Non audiet Pharao verba Domini ; ſed audiet manum. *Immittamque manum meam ſuper Ægyptum , & educam populum meum.* Sprevit ille quidem linguam , aëra verberantem ; ſed reveritus eſt manum , diris flagellis ſævientem. Et impetravit Deus vulneribus libertatem populi , cuius nulla ſpes fuerat , ut aſſequerètur verbis. *Non audiet vos. Immittam manum meam ſuper Ægiptum , & educam populum meum.*

Exod. 4. 14. 16.

Apud impios nil eloquentia valet.

Ibid. 7. 4.

Ubi verba non proficiunt , de veniendum ad verbera.

13 Cèſsit ergo flagellis Phârao , qui ſermonibus non ceſſerat. Percuſsit Dominus , ut comminatus fuerat , Ægyptum. Graſſante morte paſsim cadavera ſcatent : *nec erat enim erat domus , ut narrat Moyſes , in qua non jaceret mortuus.* Quid inde ? Sequitur : *Vocatiſque Pharao , Moyſe, & Aaron nocte , ait : Surgite , & egredimini a populo meo , vos , & filij Iſrael. Ite , immolate Domino , ſicut dicitis.* Exod. 12. 31. O quàm hæc vox diverſa ab illâ : *Quis eſt Dominus , ut audiam vocem eius ? Neſcio Dominum , & Iſrael non dimittam.* Ibi. 5. 2. Unde tam improviſa toni mutatio ? Modò iucundiſsimè ſonat , qui paulò antè ſtridebat aſperrimè ? Ita. Prius quippe ſola vox Domini ad eius aures perſonabat placidè ; nunc gladius perſtrepit ad oculos immaniter. Spectat modò Pharao manum Domini deſævientem in primogenitos , qui anteà ſolam vocem audierat blandè imperantem. Ideò qui Domini juſſa prius contempſerat , modò ſolicitus cùrat exequutioni mandare. Adeò rebellium auribus aperiendis plus cruenta ſpectacula valent , quam eloquentia.

Spectaculi ſe veritatis , terror impiorum.

Exod. 12. 31.

Ibid. 5. 2.

14 Ubi nunc ſunt , quæſo, Præſules illi blandiſsimi , qui gladium dignitatis portantes , nunquam in rebelles , obduratoſque ſubditos ſtringere cogitant ? Hos vulgus imperitorum *Boniſsimos* appellare conſuevit ; eò nomine, ſcilicet , quòd nimium Subditorum peccatis indulgentes , vel omninò impunita relinquunt , vel ſiquam correptionem adhibent interdùm , hæc tota verbalis eſt, nulla viſibilis. Certè qui appellant Boniſsimos , aut ignorant penitùs virtutes Prælatorum : aut rerum vocabula neſciunt. Ego etiam Boniſsimos dixerim ; ſed per antiphraſin , eâ , nimirum, proprietate , quâ umbroſa nemora appellamus lucos , eò quòd minimè luceant : & prælia , quòd fœda ſint , dicimus bella. Horum quippè bonitas eſt ignavia ; virtus imbecillitas ; & quæ putatur animi moderatio , puſillanimitas. Hæc cenſura non eſt mea, quamquam alioquin mea : didici enim à D. Gregorio , cuius hæc verba in poſteriori Commentario Reg. c. 2. lib. 1. *Et ſi aliquando ad arguendos ſubditos delinquentes exeunt, eorum tamen obſtinationem dignâ ſeveritate non confundunt.*

Gladius nonnullorum Prælatorum otioſus.

Prælati Boniſsimi , peſsimi.

D. Greg.

15. Sed

15 Sed prodeat iterum in ſcenam funebrem boniſsimus Heli, boniſsimorumque Prælatorum choragus. Huius ſi perſonam ſpectes, nulla in eo peccata deprehendes: juſtâ tamen Domini cenſurâ morti adjudicatus, interijt. *Fractis cervicibus mortuus eſt.* 1. Reg. 4. 18. Sed cur tàm ſeverè punitur Heli, cuius proprium peccatum commemoratur nullum? Proprium ſanè nullum, ſed filiorum multa eaque graviſsima. Verùm corripuiſſe illa ſacra Pagina teſtatur. *Dixit eis: Quare facitis res huiuſmodi?* Corripuit illa quidem: ſed linguâ, non manu; verbis, non ſupplicijs. *Dixit eis.* Peſsimè filios agere benè noverat ille. Haùd eum latebant illorum rapinę, ſacrilegia, ſcortationes, ſcandala. Hæc tamen ſcelera graviſsima ſatiri punita cenſuit, ſi ſolo linguæ flagello corriperet. Sed dum nimis indulget perditiſsimis filijs boniſsimus pater; ſeverè à Deo punitur, tamquam judex peſsimus. Peſsimus quippè judex eſt, qui flagitia digna ſupplicijs ſolis verbis coercet. *Fractis cruribus mortuus eſt.*

16 Quid ergo debuiſſet agere Heli, ut optimi judicis partes impleret? Reſpondet Theodoretus q. 10. ad hunc locum: *Oportebat, cum poſt primam, & ſecundam admonitionem perſeveraſſent in nequitia, eos à templi ambitu expellere.* Sententia planè rectiſsima. Namque ratio æquitatis expoſcit; ut his non parcat abſciſio, quibus prodeſſe non potuit correctio. Præceptum Domini eſt, ut pernicioſum membrum à compage corporis abſcindatur. Sanè non eiuſmodi erat nequitia filiorum Heli, quæ leni pharmaco cederet: acerrimis ergo fuerat medicanda. Verùm Heli cæco, & intano filiorum amore, contentus blandâ eos admonitione corripere; nihil minus ultrà curavit, quàm officio deponere quàmvis ſacrilegos, & rapaces, & fornicarios, & totius rei-publicę peſtes. O quàm friget zelus juſtitiæ, & divini honoris, ubi amor filiorum nimis ardet! Ecce Synagogæ Præſul, quòd perverſo filiorum amore tenebatur; contrà omne jus & fas in ſubſellis regiminis conſervavit, quos oportuiſſet è templi cathedris deturbare. Quid ſi tales Patres inveniantur modò in Eccleſiæ promptuarijs? Væ Patribus, væ filijs, væ religioſis cœtibus, ubi paternitatum, & filiationum haberetur ratio. Inde ſanè, imò inſanè, cogeretur exulare juſtitiâ: tunc quippè fieret, ut à ſolis filijs, licet indignis, occuparentur Throni: benemeritis interim relegatis ad ſarcinas: eò ſolùm nomine, quòd nomen filiorum non haberent. Avertat Deus hanc peſtę ab ędibus ſacris: eâ quippè graſſante totum rei-publicæ corpus miſerè contabeſceret.

17 Damnanda certè indulgentia, quæ ſcandala fovet. Foventur autem, cùm ſolis verbis corripiuntur impij, quos oportebat omninò duris frenare ſupplicijs. Haùd ſolâ linguâ Superiores armantur: ferreis etiam virgis, bipennibus, & gladijs procedunt inſtructi. Miles non eſt, qui linguâ pro gladio utitur: non enim hoſtes fugantur verbis, ſed haſtis. Minimè ergo annumerandi Prælatis, qui ſolis verbis agentes, adeo peccata non coercent; quin flagitijs laxant habenas. *In diebus illis non erat rex in Iſrael; ſed unuſquiſque, quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat,* inquit liber Judicum 21. 24. Atqui in diebus illis, ut benè colligit Clemens Alexandrinus 1. *Stromat. text.* 11. regnabat Heli, qui poſt Sanſonis obitum obtinuit principatum annis quadraginta. Quommodo ergo nullus tunc temporis fuit princeps, ſiquidem Heli principatum exercuit? Aut qua de cauſa expungitur à ſyllabo Judicum Præſul, qui tamdiu ſedit ad rei-publicæ clavum? Quia in diebus eius nimia licentia omnibus fuit. *Unuſquiſque quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.* Exuberans lenitas huius Pontificis erat in cauſa, cur ſubditi non rationis ductum; ſed voluntatis nutum ſequerentur. Hoc quiſque vivebat, quod lubebat. Populus ſinè lege: quia ſinè freno. Neminem coarguit Heli: quòd ſi filios reprehendiſſe legimus, hoc verbis præſtitit; non flagellis: atque adeò punitus à Deo, quaſi ſi nihil effeciſſet. Merito proindè raditur de catalogo Judicum

Bonitas privata non ſufficit Prælatis.

1. Reg. 4. 18.

Scandaloſi non verbis, ſed ſupplicijs coércędi.

Scandaloſi officio privandi.

Theodor.

Amor filiorum cæcus.

Reſpectus humani juſtitiam evertunt.

Paternitates, & filiationes politicæ, religionum peſtes.

Prælatus non eſt, qui ſolis verbis agit.

Iudic. 21. 24.

Clem. Alex.

Peccata impunita creſcunt.

princeps edentulus,& minimè acer: indignus quippè eſt annumerari Præſulibus qui ſolâ lingua regens, omninò à verberibus abſtinet. *In diebus illis non erat rex in Iſrael; ſed unuſquiſque, quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.*

3. Reg. 19.11. 18 Dicat quis: *Non in commotione Dominus: Non in igne Dominus;* ſed in ſpiritu auræ tenuis. Quiſquis hæc objecit, haud ſatis capio, quid velit. Immò ſatis capio. Vult nimirum perſuadere Mortalibus, Domini tantam eſſe clementiam; ut ſemper ablandiatur peccatoribus; iraſcatur nunquam. Leniter proinde ſibilantem cogitat, commotum verò irâ, ſuccenſumque furore non agnoſcit. Sed legerit præcedentia: *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Sed & expenderit illud Davidicum. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ſuos.* Pſal. 96. 3. Non quidem in commotione Dominus; ſed ante Dominum turbo, ignis, & tempeſtas. Blandè utique ſibilat; ſed poſtquam montes ſubvertit, comminuitque petras. Tunc ſuſurrat placidè, cùm montem nullum, nullumque lapidem, in quem deſæviat, offendit. Ergo in humiles, & dociles ſpirat lenis: in duros autem, & rebelles fulminat implacabilis. *Spiritus grandis, & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum.*

Spes nimia peccantium.

Concionatores blandi.

Ibid.

Pſal. 96. 3.

Deus blandus cum blandis, durus cum duris.

19 Planè ignoro, quem Deùm ſibi fingant iniqui, cùm faciunt melleum, totiuſque ſeveritatis expertem. Talem ſomniavit inſubidus Marcio: quo nomine graviter exibilatur à Tertuliano lib. 1. hiſce verbis: *Quale eſt enim, ut præcepta conſtituat, non executurus? Ut delicta prohibeat, non vindicaturus? Quia non vindicaturus, extraneus, ſcilicet, ab omnibus ſenſibus ſeveritatis, & animadverſionis. Cur enim prohiberet admitti, quod non defendit admiſſum? Cum multò rectius non prohibuiſſet, quod defenſurus non eſſet.* Talis fuerit Deus Marcionis. Quid mirũ! Deus fictus nimis eſt patiens. Sed abſit, ut verum Deum faciamus truncum, & extraneum ab omni ſenſu animadverſionis, & ſeveritatis.

Tertul. Deus Marcionis nulla delicta puniens.

Præceptã aut non condenda, aut defendẽda.

20 Crede Filio Dei loquenti de Patre: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater, Domine cæli, & terræ.* Matth. 11. 25. Quid opus fuit vocare Dominum, quem appellaverat Patrem? Quia Deus non ſolum Pater eſt, ſed etiam Dominus. Vox Patris benignitatem ſonat: nomen Domini ſeveritatem. Perfectus, atque adeò verus Deus, & Pater & Dominus eſt: Pater clementiâ, Dominus diſciplinâ: Pater poteſtate blandâ, Dominus aſperâ. Pater, diligendus piè, Dominus timendus neceſſariè. Diligendus, quia malit miſericordiam, quàm ſacrificium: timendus, quia nolit peccatum. Diligendus, quia malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem: timendus, quia nolit peccatores impœnitentes. Hæc ferè Tertulianus. Vera ergo Divinitas, & miſericordiâ fulget, & ſeveritate. Diſce, qui regis, optimi judicis partes. Et benignum ſubditis exhibere te debes, & ſeverum: benignum pœnitentibus; induratis verò, & rebellibus auſterum. Verba perdis, quæ in perditos homines jactas. Nil certè aſſequeris, niſi & verberibus agas. Ideò gladium tibi concreditum: ut, nimirum vulneribus impetres, quod linguâ non vales. Perverſi homines geſtant aures in oculis: undè verba ſalutis non audiunt, niſi videant argumenta terroris.

Matt. 11. 25.

Verus Deus, & clementia fulget, & ſeveritate.

Vetantur peccare mali formidine pœnæ.

Hic finis eſto ſecundi Tomi Commentariorum in Sacras Commutationes. Facio quod poſſum; ſed quia facultas tenuis, & ingenium exile, multùm ſudo, parum meto. Si quid à me peccatum, quod fortaſſe non ſemel, ſpero me habere non durum ad veniam lectorem, ſi modò conſideret, quàm longa hæc via ſit, quamque multis catur ambagibus: ad quas eximendas, quam potui maximam, fidelem, attentam, atque pertinacem operam navavi. Quidquid verò tàm in hoc, quàm in priori Tomo, ſcriptum eſt, id totum Eccleſiæ, ſine cuius ſpiritu reſpirare nolo, & doctorum hominum correctioni ſubmitto. Abſoluta hæc ſunt Pallentiæ Vacæorum in Conventu D. Bonaventuræ die 26. Julij anno Domini 1744. Ætatis verò meæ 48.

Ad Laudem, & Gloriam Beatiſſimæ Trinitatis, Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, S. P. N. Franciſci, atque ſpecialis mei Patroni S. Paſchalis Baylon. IN-

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, quæ citantur in hoc Opere pro ſenſu literali.

C. *denotat Commutationem.* N. *numerum marginal.* P. *Paginam.*

EX GENESI.

CAP. 4. v. 6. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua ?* Com. 6. num. 22. pag. 69.

V. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* C. 8. n. 17. p. 292.

Ibid. *Nunc igitur maledictus eris.* C. 8. n. 18. p. 294.

Cap. 16. v. 12. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* C. 6 n. 4. p. 54.

Cap. 18. v. 3. *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis.* C. 6. n. 20. p. 67.

V. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt nimis.* C. 8. n. 17. p. 293.

Cap. 19. v. 13. *Delebimus locum iſtum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino.* C. 8. n. 18. p. 294.

V. 16. *Eò quòd parceret Dominus illi.* C. 6. n. 35. p. 82.

Cap. 20. v. 4. *Abimelec verò non tetigerat eam.* C. 6. n. 12. p. 61.

Cap. 24. v. 10. *Ex omnibus bonis eius portans ſecum.* C. 6. n. 4. p. 69. & C. 6. n. 4. p. 55.

Cap. 26. v. 11. *Qui tetigerit hominis huius uxorem, morte morietur.* C. 6. n. 12. p. 61.

V. 29. *Non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attingimus, nec fecimus quod te læderet.* C. 6. n. 15. p. 63.

Cap. 38. v. 24. *Fornicata eſt Thamar Nurus tua.* C. 5. n. 19. p. 10.

Cap. 39. v. 7. *Injecit domina ſua oculos ſuos in Joſeph.* C. 5. n. 32. p. 17.

Cap. 42. v. 23. *Neſciebant quòd intelligeret Joſeph, eò quòd per interpretem loqueretur ad eos.* C. 8. n. 12. p. 288.

Cap. 45. v. 20. *Nequè dimittatis quidquam de ſuppellectili veſtra.* C. 6. n. 34. p. 81.

EX EXODO.

Cap. 2. v. 23. *Aſcendit clamor eorum ad Deum ab operibus.* C. 8. n. 17. p. 293.

Cap. 3. v. 20. *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum.* C. 6. n. 8. p. 58.

Cap. 8. v. 15. *Digitus Dei eſt hic.* C. 6. n. 8. p. 57.

Cap. 11. v. 1. *Adhuc unâ plagâ tangam Pharaonem, & Ægyptum.* C. 6. n. 14. p. 62.

Cap. 12. v. 9. *In manu forti eduxit te Dominus de Ægypto.* C. 6. n. 4. p. 55.

Cap. 13. v. 9. *Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum ante oculos tuos; & ut lex Domini ſemper ſit in ore tuo.* C. 5. n. 14. p. 7.

Cap. 14. v. 31. *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos.* C. 6. n. 4. p. 55.

Cap. 21. v. 6. *Applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula* C. 8. n. 30. p. 305.

Cap. 34. v. 16. *Fornicari faciant, & filios tuos in deos ſuos.* C. 5. n. 19. p. 5. & n. 22. p. 11.

EX LEVITICO.

Cap. 4. v. 15. *Et ponent manus ſuper caput eius coram Domino.* C. 6. n. 9. p. 59.

Cap. 17. v. 7. *Nequaquam ultrà immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* C. 5. n. 19. p. 9.

V. 10. *Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obſirmabo faciem meam contra animam illius.* C. 6. n. 38. p. 85.

V. 15. *Nec honores vultum potentis.* C. 6. n. 18. p. 66.

Cap. 19. v. 29. *Ne proſtituas filiam tuam.* C. 5. n. 19. p. 10.

Cap. 24. v. 14. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus univerſus.* C. 6. n. 9. p. 58.

Cap. 26. v. 9. *Reſpiciam vos, & creſcere faciam.* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 32. p. 80.

EX NUMERIS.

Cap. 6. v. 25. *Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui.* C. 6. n. 25. p. 71.

V. 26. *Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* C. 6. n. 25. p. 71.

Cap. 11. v. 1. *Quod cùm audiſſet Dominus iratus eſt. Et accenſus &c.* C. 8. n. 18. p. 294.

V. 23. *Numquid manus Domini invalida eſt?* C. 6. n. 8. p. 58.

Cap. 15. v. 37. *Dixit Dominus ad Moyſen: loquere filijs Iſrael, & dices ad eos.* C. 5. n. 3. p. 2.

V. 38. *Ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* C. 5. n. 3. p. 2. & n. 11. p. 6.

V. 39. *Quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes.* C. 5. n. 3. p. 2.

Cap. 21. v. 26. *Et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat.* C. 6. n. 4. p. 55.

Cap. 24. v. 4. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt.* C. 8. n. 8. p. 8.

Cap. 31. v. 6. *Et tubas ad clangendum tradidit ei.* C. 6. n. 4. p. 55.

V. 49. *Numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra.* Ibid.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 11. v. 12. *Quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit, & oculi illius in ea ſunt a principio anni uſque ad finem eius:* C. 6. n. 25. p. 72.

V. 18. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate.* C. 5. n. 14. p. 7.

V. 19. *Docete filios veſtros, ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua: Scribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ.* Ibid.

Cap. 13. v. 8. *Neque parcat oculus tuus ut miſerearis, ſed ſtatim interficies.* C. 6. n. 17. p. 64. & n. 34. p. 81.

Cap. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua... ipſum audies.* C. 8. n. 29. p. 304.

Cap. 22. v. 5. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hoc.* C. 5. n. 9. p. 5.

Cap. 28. v. 15. *Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias, & facias omnia mandata eius: venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ.* C. 8. n. 28. p. 303.

V. 49. *Cuius linguam intelligere non poſſis.* C. 8. n. 12. p. 288.

V. 50. *Gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur parvuli.* C. 6. n. 38. p. 84.

Cap. 31. v. 16. *Populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos.* C. 5. n. 19. p. 9.

EX JOSUE.

Cap. 8. v. 20. *Non potuerunt ultra hùc, illùcque fugere.* C. 6. n. 4. p. 55. & n. 10. p. 59.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. 1. v. 27. *Manaſſes quoque non delevit Bephſan, & Thanac cum viculis ſuis.* C. 7. n. 14. p. 187.

Cap. 2. v. 17. *Fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos.* C. 5. n. 19. p. 9.

Cap. 8. v. 33. *Averſi ſunt filij Iſrael, & fornicati ſunt.* C. 5. n. 19. p. 12.

EX LIBRO RUTH.

Cap. 4. v. 4. *Audire te volui.* C. 8. n. 11. p. 228.

Pro ſenſu literali.

EX I. REGUM.

Cap. 1. v. 18. *Vultus illius non ſunt amplius in diverſa mutati.* C. 6. n. 26. p. 73.

Cap. 3. v. 10. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* C. 8. n. 15. p. 290.

Cap. 5. v. 6. *Agravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos.* C. 6. n. 4. p. 55.

V. 9. *Fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Ibid.

Cap. 9. v 15. *Dominus revelaverat auriculam Samuelis.* C. 8. n. 11. p. 287.

Cap. 16. v. 22. *Invenit gratiam in oculis meis.* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 20. p. 67.

Cap. 18. v. 8. *Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo.* C. 6. n. 22. p. 69.

V. 9. *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David.* Ibid.

Cap. 20. v. 2. *Neque enim faciet pater meus quidquam, niſi prius indicaverit mihi.* C. 8. n. 11. p. 287.

V. 13. *Revelabo aurem tuam.* Ibid.

Cap. 21. v. 13. *Extimuit valde à facie Achis.* C. 6. n. 24. p. 81.

EX II. REGUM.

Cap. 7. v. 27. *Revelaſti aurem ſervi tui.* C. 8. n. 11. p. 287.

Cap. 12. v. 4. *Parcens ille ſumere de ovibus.* C. 6. n. 35. p. 82.

Cap. 17. v. 14. *Si iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.* C. 6. n. 15. p. 63.

EX III. REGUM.

Cap. 10. v. 19. *Duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile.* C. 6. n. 11. p. 60.

Cap. 12. v. 10. *Minimus meus digitus groſſior eſt lumbis patris mei.* C. 6. n. 8. p. 58.

Cap. 13. v. 6. *Deprecare faciem Domini Dei tui.* C. 6. n. 20. p. 67.

Cap. 18. v. 26. *Baal exaudi nos.* C. 8. n. 20. p. 295.

EX IV. REGUM.

Cap. 18. v. 26. *Precamur, ut loquaris nobis ſervis tuis Syriacè, ſiquidem intelligimus hanc linguam.* C. 8. n. 12. n. 288.

Cap. 19. v. 9. *Noli timere à facie ſermonum.* C. 6. n. 19. p. 78.

EX I. PARALIPOMENON.

Cap. 5. v. 25. *Reliquerunt autem Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt.* C. 5. n. 19. p. 9.

Cap. 16. v. 22. *Nolite tangere Chriſtos meos.* C. 6. n. 15. p. 63.

EX II. PARALIPOMENON.

Cap. 9. v. 18. *Brachiola duo altrinſecùs.* C. 6. n. 11. p. 73.

Cap. 16. v. 9. *Oculi Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem.* C. 6. 17. n. p. 65.

EX I. ESDRÆ.

Cap. 5. v. 5. *Oculus Dei factus eſt ſuper ſenes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos.* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 25. p. 72.

EX II. ESDRÆ.

Cap. 4. v. 4. *Nolite timere à facie eorum.* C. 6. n. 17. p. 65.

Cap. 8. v. 3. *Et aures omnis populi erant erectæ ad librum.* C. 8. n. 24. p. 300.

EX TOBIA.

Cap. 4. v. 7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere,* C. 6. n. 17. p. 65.

Cap. 10. v. 7. *Quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes &c.* C. 7. n. 27. p. 199.

EX JUDITH.

Cap. 2. v. 6. *Non parcet oculus tuus ulli regno.* C. 6. n. 17. p. 65.

Cap. 4. v. 1. *Timuerunt valdè à facie eius.* Ibid.

Cap. 5. v. 3. *Audite reges, & auribus*

percipite principes. C. 8. n. 13. p. 289.

Cap. 16. v. 8. *Non filij Titan percuſſerunt eum.* C. 6. 30. p. 76.

Ibid. *Judith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſolvit eum.* C. 6. n. 17. p. 64.

V. 14. *Perierunt in prælio à facie Domini Dei mei.* C. 6. n. 17. p. 65.

EX ESTHER.

Cap. 2 v. 9. *Inveni gratiam in conſpectu illius.* C. 6. n. 20. p. 67.

Cap. 7. v. 6. *Vultum regis, ac reginæ ferre non ſuſtinens.* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 32. p 78.

Cap. 15. v. 10. *Cùm elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit, & .... reclinavit caput.* C. 6. n. 32. p. 78.

EX JOB.

Cap. 1. v. 11. *Tange cuncta, quæ poſsidet.* C. 6. n. 14. p. 62.

V. 16. *Ignis Dei cecidit è cælo &c.* Ibid.

Cap. 2. v. 5. *Tange os eius, & carnem.* C. 6. n. 14. p. 62.

Cap. 5. v. 20. *Eruet te in bello de manu gladij.* C. 6. n. 10. p. 59.

Cap. 7. v. 8. *Oculi tui in me.* C. 6. n. 9. p. 59. & n. 25. p. 72.

Cap. 9. v. 27. *Commuto faciem meam, & dolore torqueor.* C. 6. n. 24. p. 71.

Cap. 11. v. 19. *Deprecabuntur faciem tuam plurimi.* C. 6. n. 20. p. 67.

Cap. 13. v. 21. *Manum tuam longè fac à me.* C. 6. n. 9. p. 59.

Cap. 14. v. 15. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* C. 6. n. 9. p. 58.

Cap. 15. v. 26. *Cucurrit adverſus Deum erecto collo.* C. 7. n. 16. p. 191.

Cap. 16. v. 10. *Terribilibus oculis me intuitus eſt.* C. 6. n. 23. p. 69.

Cap. 17. v. 7. *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Ibid.

Cap. 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me.* C. 6. n. 14. p. 62.

Cap. 23. v. 2. *Manus plagæ meæ aggravata eſt ſuper gemitum meum.* C. 6. n. 4. p. 55.

V. 15 *A facie eius turbatus ſum.* C. 6. n. 17. p. 65.

Cap. 24. v. 23. *Oculi autem eius ſunt in vijs illius.* C. 6 n. 25. p. 72.

Cap. 29. v. 20. *Clamo ad te, & non exaudis.* C. 8. n. 20. p. 295.

Cap. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine.* C. 5. n. 24. p. 11. & n. 31. p. 16.

V. 7. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum.* Ibid. n. 32. p. 17

Cap. 33. v. 16. *Tunc aperit aures virorum.* C. 8. n. 11. p. 287.

Cap. 35. v. 12. *Ibi clamabunt, & non exaudies propter ſuperbiam malorum.* Ibid. n. 21. p. 296.

Cap. 41. v. 1. *Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo.* C. 6. n. 17. p. 65.

EX PSALMIS.

Pſalm. 1. v. 4. *Quem proijcit ventus à facie terræ.* C. 6. n. 19. p. 66. Ubi plurima de facie.

Pſalm. 6. v. 8. *Turbatus eſt à furore oculus meus.* C. 6. n. 23. p. 69.

Pſalm. 8. v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* C. 6. n. 8. p. 58.

V. 7. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Ibid.

Pſalm. 9. v. 4. *Peribunt à facie tua.* C. 6. n. 17. p. 64.

Pſalm. 10. v. 5. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.* C. 6. n. 25. p. 71.

Pſalm. 12. v. 1. *Uſquequo avertis faciem tuam à me.* Ibid.

Pſalm. 15. v. 11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* C. 6. n. 32. p. 79.

Pſalm. 16. v. 8. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me.* C. 6. n. 9. p. 58.

V. 9. *Protege me à facie impiorum.* C. 6. n. 17. p. 65.

V. 11. *Proijcientes me nunc : : oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* C. 6. n. 22. p. 69. & C. 7. n. 27. p. 200.

Pſalm. 17 v. 42. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvum faceret ad Dominum, nec exaudivit eos.* C. 8. n. 21. p. 296.

Pſalm. 19. v. 1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.* C. 8. n. 19. p. 291

V. 7. *Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo.* C. 8. n. 20. p. 295.

Pſalm. 20. v. 7. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* C. 6. n. 32. p. 79.

V.

V. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* C. 6. n. 4. p. 55.

Pſalm. 21. v. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* C. 6. n. 24. p. 70.

Pſalm. 26. v. 8. *Faciem tuam Domine rèquiram.* C. 6. n. 20. p. 67. & n. 25. p. 70.

V. 9. *Ne avertas faciem tuam à me.* C. 6. n. 25. p. 71.

V. 12. *Quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi* C. 8. n. 26. p. 302.

Pſalm. 29. v. 11. *Audivit Dominus, & miſertus eſt mei: Dominus factus eſt adjutor meus.* C. 8. n. 19. p. 294.

Pſalm. 30. v. 10. *Conturbatus eſt in ira oculus meus.* C. 6. n. 23. p. 69.

Pſalm. 31. v. 4. *Gravata eſt ſuper me manus tua.* C. 6. n. 4. p. 55.

Pſalm. 32. v. 18. *Oculi Domini ſuper metuentes eum.* C. 6. n. 25. p. 72.

Pſalm. 33. v. 17. *Vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 24. p. 70.

Pſalm. 34. v. 24. *Quare faciem tuam avertis?* C. 6. n. 25. p. 72.

Pſalm. 36. v. 24. *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* C. 6. n. 9. p. 58.

Pſalm. 37. v. 4. *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* C. 6. n. 19. p. 78.

Pſalm. 38. v. 13. *Auribus percipe lacrimas meas.* C. 8. n. 8. p 284.

Pſalm. 39. v. 7. *Aures autem perfeciſti mihi.* C. 8. n. 30. p. 305.

Pſalm. 43. v. 24. *Quare faciem tuam avertis.* C. 6. n. 25. p. 72.

Pſalm. 44. v. 11. *Audi filia, & vide.* C 8. n. 28. p. 303.

V. 13. *Vultum tuum deprecabuntur.* C. 6. n. 20. p. 67.

Pſalm. 50. v. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* C. 6. n. 24. p. 71.

Pſalm. 57. v. 5. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet, &c.* C. 8. n. 16. p 292.

Pſalm. 59. v. 8. *Deus locutus eſt in ſancto ſuo.* C. 8. n. 26. p. 307.

Pſalm. 62. v. 11. *Tradentur in manus gladij.* C. 6. n. 10. p. 59.

Pſalm. 67. v. 3. *Sicut fluit cera à facie ignis.* C. 6. n. 24. p. 70.

Pſalm. 72. v. 27. *Perdidiſti omnes qui fornicantur abſte.* C. 5. n. 18. p. 9.

Pſalm. 76. v. 3. *Manibus meis nocte contra eum.* C. 6. n. 4. p. 55.

Pſalm. 77. v. 19. *Et malè locuti ſunt de Deo.* C. 8. n. 7. p. 284.

V. 56. *Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum exceſſum.* Ibid.

V. 59. *Audivit Dominus*, latè. Ibid. n. 6. p. 283.

Pſalm. 79. v. 4. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* C. 6. n. 25. p. 71.

Pſalm. 80. v. 6. *Linguam, quam non noverat audivit.* C. 8. n. 12. p. 288.

Pſalm. 85. v. 16. *Reſpice in me, & miſerere mei.* C. 6. n. 25. p. 71.

Pſalm. 93. v. 9. *Qui plantavit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* C. 8. n. 10. p. 286.

Pſalm. 96. v. 11. *Lux orta eſt iuſto.* C. 6. n. 32. p. 79.

Pſalm. 101. v. 11. *A facie iræ, & indignationis tuæ.* C. 6. n. 19. p. 78.

V. 20. *Proſpexit de excelſo ſancto ſuo Dominus de cælo in terram aſpexit.* C. 6. n. 17. p. 65.

V. 21. *Ut audiret gemitus compeditorum: ut ſolveret filios interemptorum.* Ibid.

Pſalm. 103. v. 32. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere.* C. 6. n. 24. p. 70.

Ibid. *Qui tangit montes, & fumigant.* C. 6. n. 14. p. 63. & n. 24. p. 81.

Pſalm. 104. v. 4. *Quærite faciem eius ſemper.* C. 6. n. 25. p. 71.

Pſalm. 117. v. 5. *Exaudivit me in latitudine Dominus.* C. 8. n. 20. p. 295.

Pſalm. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* C. 5. n. 31. p. 16.

V. 58. *Deprecatus ſum faciem tuam.* C. 6. n. 20. p. 67.

Pſalm. 120. v. 1. *Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.* C. 7. n. 27. p. 199.

Pſalm. 122. v. 1. *Ad te leuavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Ibid. p. 200.

Pſalm. 138. v. 5. *Poſuiſti ſuper me manum tuam, & manus tua deducet me.* C. 6. n. 9. p. 58.

Pſalm. 143. v. 1. *Qui docet manus meas ad*

præ-

prælium, & digitos meos ad bellum. C. 6. n. 8. p. 58.
V. 5. *Tange montes, & fumigabunt.* C. 6. n. 14. p. 63.
V. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me.* C. 6. n. 9. p. 58.

EX PROVERBIJS.

Cap. 1. v. 5. *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* C. 8. n. 15. p. 290.
Cap. 6. v. 27. *Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* C. 5. n. 26. p. 12.
Cap. 7. v. 13. *Procaci vultu blanditur.* C. 5. n. 28. p. 14.
Cap. 8. v. 4. *O viri, ad vos clamito.* C. 7. n. 5. p. 180.
Cap. 12. v. 8. *Doctrinâ ſuâ noſcitur vir.* C. 8. n. 26. p. 301.
V. 25. *Mœror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur.* C. 8. n. 23. p. 298.
Cap. 13. v. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* C. 6. n. 35. p. 82.
Cap. 16. v. 15. *In hilaritate vultûs Regis vita* C. 6. n. 32. p. 79.
Cap. 20. v. 12. *Aurem audientem, & oculum videntem Dominus fecit utrumque.* C. 8. n. 10. p. 286.
Cap. 21. v. 13. *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur.* C. 8. n. 21. p. 296.
Cap. 25. v. 5. *Aufert impietatem de vultu regis.* C. 6. n. 17. p. 65.
Cap. 29. v. 26. *Multi requirunt faciem principis.* C. 6. n. 20. p. 67.

EX ECCLESIASTE.

Cap. 2. v. 10. *Quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis.* C. 5. n. 34. p. 19.
Cap. 8. v. 13. *Non timent faciem Domini.* C. 6. n. 17. p. 65.

EX CANTICIS.

Cap. 4. v. 4. *Sicut turris David collum tuum.* C. 7. n. 17. p. 192.
Cap. 7. v. 4. *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Ibid.

EX SAPIENTIA.

Cap. 1. v. 9. *In cogitationibus enim impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet. Quoniam auris zeli audit omnia.* C. 8. n. 23. n. 299.
Cap. 4. v. 12. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* C. 6. n. 29. p. 75.
Cap. 11. v. 18. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, &c.* C. 6. n. 32. p. 79.
Cap. 14. v. 12. *Initium fornicationis eſt exquiſitio idolorum.* C. 5. n. 19. p. 9.
Cap. 18. v. 20. *Tetigit iuſtos tentatio mortis.* C. 6. n. 14. p. 62.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 4. v. 29. *In lingua ſapientia dignoſcitur: & ſenſus, & ſcientia, &, doctrina in verbo ſenſati.* C. 8. n. 26. p. 301.
V. 32. *Noli reſiſtere contra faciem potentis.* C. 6. n. 17. p. 65.
Cap. 6. v. 34. *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam, & ſi dilexeris, ſapiens eris.* C. 8. n. 15. p. 290.
Cap. 7. v. 12. *Eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.* C. 6. n. 17. p. 65.
Cap. 9. v. 3. *Ne reſpicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius.* C. 5. n. 31. p. 16.
V. 5. *Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.* Ibid.
V. 7. *Noli circumſpicere in vicis civitatis, ne oberraveris in plateis illius.* Ibid.
V. 8. *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam.* Ibid.
V. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Ibid.
Cap. 11. v. 23. *Facilè eſt in oculis Dei honeſtare pauperem.* C. 6. n. 17. p. 65.
Cap. 13. v. 31. *Cor hominis immutat faciem illius.* C. 6. n. 26. p. 72.
Cap. 26. v. 12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcitur.* C. 5. n. 27. p. 13.
V. 13. *In filia non avertente ſe, firma cuſtodiam: ne inventa occaſione utatur ſe.* C. 5. n. 28. p. 14.

Cap.

Cap. 27. v. 8. *Ante ſermonem ne laudes virum: hęc enim tentatio eſt hominis.* C. 8. n. 26. p. 301.
Cap. 28. v. 29. *Ori tuo facito oſtia, & ſeras.* C. 8. n. 11. p. 287.
Cap. 34. v. 6. *Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur.* C. 5. n. 17. p. 9.
V. 15. *Oculi Dei in diligentes ſe.* C. 6. n. 25. p. 71.
V. 19. *Oculi Domini ſuper timentes eum,* Ibid.

EX ISAIA.

Cap. 1. v. 4. *Dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael.* C. 8. n. 7. p. 284.
V. 21. *Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis?* C. 7. n. 14. p. 189.
Cap. 3. v. 1. *Aufert validum, & fortem.* C. 7. n. 2. p. 178.
V. 8. *Ruit enim Jeruſalem, & Judas concidit.* Ibid. n. 3.
V. 12. *Populum meum exactores eius ſpoliaverunt.* C. 7. n. 14. p. 189.
V. 16. *Elevatę ſunt filiæ Sion:: & plaudebant.* C. 5. n. 27. p. 13.
Cap. 5. v. 9. *In auribus meis ſunt hæc.* C. 8. n. 8. p. 284. & n. 18. p. 294.
Cap. 6. v. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggrava, & oculos eius claude, ne, &c.* C. 8. n. 10. p. 286. & n. 16. p. 292.
Cap. 13. v. 18. *Et ſuper filios non parcet oculus eorum.* C. 6. n. 38. p. 84.
Cap. 33. v. 15. *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem.* C. 8. n. 8. p. 285. & n. 28. p. 303.
Cap. 37. v. 22. *Deſpexit te, & ſubſannavit te, virgo filia Sion.* C. 5. n. 23. p. 14.
Cap. 38. v. 14. *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum.* C. 7. n. 27. p. 200.
Cap. 42. v. 6. *Apprehendi manum tuam, & ſanavi te.* C. 6. n. 9. p. 58.
Cap. 47. v. 1. *Deſcende, ſede in pulvere virgo filia Sion, ſede in terra, &c.* C. 7. n. 14. p. 189.
Cap. 48. v. 4. *Frons tua ærea.* C. 5. n. 28. p. 14.
Ibid. *Nervus ferreus cervix tua.* C. 7. n. 16. p. 191.
V. 8. *Neque ex tunc aperta eſt auris tua.* C. 8. n. 11. p. 287.
Cap. 49. v. 2. *Sub umbra manus ſuæ protexit me.* C. 6. n. 9. p. 58.
V. 8. *In tempore placito exaudivi te.* C. 8. n. 20. p. 295.
Cap. 50. v. 4. *Dominus manè erigit mihi aurem.* C. 8. n. 24. p. 300.
Cap. 57. v. 20. *Impij quaſi mare fervens.* C. 5. n. 17. p. 9.
Cap. 59. v. 1. *Ecce non eſt abreviata manus Domini.* C. 6. n. 8. p. 58.

EX JEREMIA.

Cap. 2. v. 20. *Sub omni ligno frondoſo tu proſternevaris meretrix.* C. 7. n. 14. p. 189.
Cap. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* C. 5. n. 28. p. 14.
Cap. 5. v. 8. *Equi amatores, & emiſſarij in feminas.* C. 7. n. 10. p. 185.
Cap. 6. v. 10. *Cui loquar? Aut cui conteſtabor, ut audiat? Ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt.* C. 8. n. 16. p. 292.
Cap. 7. v. 24. *Nec inclinaverunt aurem ſuam.* C. 8. n. 24. p. 300.
V. 26. *Et non audierunt me, neque inclinaverunt aurem ſuam.* C. 8. n. 16. p. 292.
V. 27. *Revertere virgo Iſrael, revertere ad civitates tuas.* C. 5. n. 23. p. 14.
Cap. 13. v. 14. *Non parcam, & non concedam.* C. 6. n. 35. p. 81.
Cap. 18. v. 21. *Deduc filios eorum in manus gladij.* C. 6. n. 10. p. 59.
Cap. 20 v. 10. *Poſui faciem ſuper civitatem hanc in malum, & non in bonum.* C. 6. n. 38. p. 91.
Cap. 21. v. 7. *Et percutiet eos in ore gladij.* C. 6. n. 35. p 82.
Cap. 31. v. 4. *Rurſumque ędificabo te, & ædificaveris virgo Iſrael.* C. 5. n. 23. p. 14.
Cap. 39. v. 17. *Pone ſuper eum oculos tuos.* C. 6. n. 25. p. 72.
Cap. 48. v. 29. *Audivimus ſuperbiam Moab, &c.* C. 8. n. 8. p. 284.

EX THRENIS.

Cap. 3. v. 51. *Oculus meus deprędatus eſt animam meam. &c.* C. 5. n. 24. p. 11. & n. 31. p. 16.
Cap. 4. v. 16. *Facies Domini diviſit eos.* C. 6. n. 17. p. 65.

Ibid. *Facies ſacerdotum non erubuerunt.* C. 6. n. 18. p. 66.

Cap. 5. v. 6. *Ægypto dedimus manus, & Aſsyrijs, ut ſaturemur pane.* C 6. n. 5. p. 56.

EX BARUCH.

Cap. 2. v. 16. *Inclina aurem tuam, & exaudi nos.* C. 8. n. 24. p. 300.

EX EZECHIELE.

Cap. 5. v. 11. *Ego quoque confringam, & non parcet oculus meus* C. 6. n. 17. p. 65. & n. 38. p. 81.

Cap. 6. v. 9. *Contrivi cor eorum fornicans:: & oculos ſuos fornicantes poſt idola ſua.* C. 5. n. 19. p. 19.

Cap. 7. v. 3. *Nunc finis ſuper te :: & ponam contra te omnes abominationes tuas.* C. 6. n. 34. p. 88.

V. 4. *Et non parcet oculus meus ſuper te.* C 6. n. 34. p. 81.

Cap. 13. v. 17. *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui.* C. 6. n. 17. p. 65.

Cap. 16. v. 5. *Non pepercit ſuper te oculus, ut faceret tibi unum de his, miſertus tui.* C. 6. n. 17. p. 65.

V. 15. *Fornicata es in nomine tuo: & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, ut eius fieres.* C 5. n. 19. p. 9.

Cap. 23. v. 16. *Inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* C. 5. n. 34. p. 19.

Cap. 24. v. 14. *Nec parcam, nec placabor.* C. 6. n. 35. p. 82.

Cap. 36. v. 21. *Peperci nomini ſancto meo.* Ibid.

EX DANIELE.

Cap. 3. v. 19. *Aſpectus faciei illius immutatus eſt.* C. 6. n. 23. p. 69.

Cap. 6. v. 10. *Feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Jeruſalem adorabat.* C. 7. n. 27. p. 199.

Cap. 8. v. 4. *Beſtiæ non poterant liberari de manu eius.* C. 6. n. 10. p. 72.

Cap. 10. v. 8. *Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo ::: nec habui quidquam virium.* C. 6. n. 32. p. 79.

V. 18. *Tetigit me quaſi viſio hominis.* C. 6. n. 17. p. 63.

Cap. 13. v. 9. *Everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ne viderent cælum.* C. 7. n. 27. p. 200.

V. 32. *Iniqui illi iuſſerunt, ut diſcooperiretur :: ut vel ſic ſatiarentur decore eius.* C. 6. n. 34. p. 19.

V. 34. *Poſuerunt manus ſuas ſuper caput eius.* C. 6. n. 9. p. 58.

EX OSEA.

Cap. 2. v. 5. *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* C. 5. n. 21. p. 10.

V. 21. *Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Jezrahel.* C. 8. n. 20. p. 295.

Cap. 4. v. 12. *Spiritus fornicationis decepit eos.* C. 5. n. 29. p. 14.

V. 14. *Et cum effeminatis ſacrificabant.* C. 7. n. 7. p. 181.

Cap. 10. v. 5. *A facie malitiæ nequitiarum veſtrarum.* C. 6. n. 19. p. 78.

EX JOELE.

Cap. 2. v. 17. *Parce Domine, parce populo tuo,* C. 6. n. 35. p. 82.

EX AMOS.

Cap. 9. v. 4. *Ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.* C. 6. n. 25. p. 72. & n. 38. p. 85.

EX JONA.

Cap. 4. v. 10. *Tu doles ſuper heredam.* C. 6. n. 35. p. 89.

EX MICHÆA.

Cap. 1. v. 9. *Tetigit portam populi uſque ad Jeruſalem.* C. 6. n. 14. p. 63.

EX HABACUC.

Cap. 1. v. 2. *Uſquequò Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim*

vim patiens, & non ſalvabis? C. 8. n. 21. p. 296.

V. 9. *Facies eorum ventus urens.* C. 6. n. 24. p. 70.

Cap. 2. v. 3. *Et apparebit in finem, & non mentietur.* C. 8. n. 26. p. 302.

V. 11. *Lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* C. 6. n. 11. p. 60.

V. 20. *Sileat à facie eius omnis terra.* C. 6. n. 24. p. 70.

EX ZACHARIA.

Cap. 2. v. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* C. 6. n. 15. p. 63.

Cap. 4. v. 10. *Septem iſti oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* C. 7. n. 24. p. 198.

Cap. 7. v. 11. *Aures ſuas aggravaverunt, ne audirent.* C. 8. n. 16. p. 292.

Cap. 14. v. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtivitatem Tabernaculorum.* C. 5. n. 29. p. 14.

EX MALACHIA.

Cap. 2. v. 16. *Operiet autem iniquitas veſtimentum eius.* C. 5. n. 29. p. 14.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

Cap. 5. v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* C. 5. n. 1. p. 1. & n. 34. p. 19.

V. 29. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abſ te.* C. 5. n. 31. p. 16.

V. 32. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* C. 5. n. 1. p. 1. & n. 18. p. 9.

Cap. 10. v. 38. *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* C. 5. n. 16. p. 8.

Cap. 11. v. 15. *Qui habet aures audiendi, audiat.* C. 8. n. 13. p. 288.

Cap. 13. v. 14. *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, &c.* C. 8. n. 10. p. 286.

Cap. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt.* C. 8. n. 30. p. 305.

Cap. 17. v. 5. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite.* C. 8. n. 28. p. 304.

EX MARCO.

Cap. 4. v. 9. *Qui habet aures audiendi, audiat.* C. 8. n. 13. p. 288.

EX LUCA.

Cap. 9. v. 53. *Quia facies eius erat euntis in Jeruſalem.* C. 7. n. 24. p. 198.

Cap. 11. v. 20. *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* C. 6. n. 8. p. 57.

EX JOANNE.

Cap. 1. v. 13. *Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* C. 8. n. 31. p. 305.

Cap. 4. v. 48. *Nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* C. 7. n. 26. p. 190.

Cap. 8. v. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* C. 8. n. 28. p. 304.

Cap. 20. v. 29. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* C. 6. n. 17. p. 64.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 1. v. 10. *Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum.* C. 7. n. 27. p. 200.

Cap. 2. v. 33. *Quem vidiſtis, & audiſtis.* C. 8. n. 9. p. 285.

Cap. 7. v. 51. *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* C. 8. n. 16. p. 292.

Cap. 12. v. 13. *Pulſante autem eo oſtium proceſſit puella ad audiendum.* C. 8. n. 9. p. 285.

EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

Cap. 5. v. 1. *Omnino auditur inter vos forni-*

nicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. C. 5. n. 1. p. 1.

Cap. 7. v. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* C. 6. n. 12. p. 61.

V. 28. *Si nupserit virgo non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi, ego autem vobis parco.* C. 6. n. 31. p. 82.

Cap. 15. v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* C. 8. n. 29. p. 304.

EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

Cap. 11. v. 2. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* C. 5. n. 23. p. 14.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Cap. 1. v. 16. *Continuò non acquievi carni, & sanguini.* C. 8. n. 29. p. 304.

Cap. 3. v. 1. *Quis vos fascinavit non obedire veritati.* C. 6. n. 29. p. 75.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 5. v. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* C. 5. n. 1. p. 1.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 10. v. 5. *Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* C. 8. n. 30. p. 305.

EX EPISTOLA JACOBI.

Cap. 1. v. 19. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.* C. 8. n. 15. p. 290.

Cap. 5. v. 4. *Ecce merces operariorum clamat.* C. 8. n. 17. p. 293.

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. 2. v. 13. *Percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias :: in convivijs suis luxuriantes.* C. 5. n. 22. & n. 23 p. 11.

V. 14. *Oculos habentes plenos adulterij.* Ibid.

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. v. 17. *Cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.* C. 6. n. 32. p. 78.

Cap. 5. v. 6. *Et vidi agnum tamquam occisum habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.* C. 7. n. 24. p. 198.

Cap. 17. v. 4. *Mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, &c.* C. 5. n. 1. p. 1.

V. 5. *Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ.* Ibid.



INDEX
RERUM NOTABILIUM PRO ſenſu literali.

A

ADulatores cur palpones dicti. pag. 62. num. 13.
Affectiones humanæ, cùm Deo tribuuntur, quid ſignificent. p. 303. n. 27.
Amare oculitus. p 17. n. 32.
Amoris origo, & progreſſus. p. 16 n. 32.
Amor naſcitur ex viſu. Ibid.
Amor ſagittarius. p. 18. n. 33.
Amphisbena. p. 74. n. 27.
Animi motus ab auribus. p. 297. n. 23.
Animus habitat in auribus Ibid.
Animus virilis ſuam dignitatem revereatur. p. 181. n. 6.
Animorum, & oculorum conſenſus. p. 199. n. 27.
Annuli in cruribus feminarum. p. 193. n. 19.
Aſpectus curioſus damnatus. p. 19. n. 34.
Aſpectus Titanicus quid. p. 77. n. 31.
Audiendum cautè. p. 287. n. 11.
Audire pro intelligere. p. 288. n. 12.
Audire pro videre. p. 284. n. 8.
Audire pro obedire. p. 303. n. 28.
Audire, & videre interdum Synonima. p. 285. n. 9.
Audire, & auribus percipere nùm differant. p. 228. n. 13.
Auditores cur vocamus Judices. p. 291. n. 15.
Auditus, & viſus conſonantia. p. 286. n. 10.
Audire, & videre Dei voces practicæ. p. 294. n. 18.
Audire Dei pro benefacere. Ibid. n. 19.
Audire Dei, & audire noſtrum quomodo differant. Ibid.
Vide *Exaudire.*
Non audire ſanguinem, quid. p. 303. n. 28.
Aurium tinnitus. p. 201. n. 28.
Auditus ſenſus nobiliſsimus poſt viſum. p. 279. n. 1.
Auditum cur impedit oſcitatio. p. 281. n. 3.
Auditus quomodo fiat. Ibid. n. 4.
De auditu diverſa placita Philoſophorum. Ibid.
Auditus objectum, medium, & inſtrumentum. p. 282. n. 5.
Per auditum ſignificatur intellectus, cur. p. 290. n. 15.
Auditus ob ſuam certitudinem videre dictus. p. 298. n. 25.
Auditu melius quàm viſu dignoſcitur homo. Ibid.
Auditus certior viſu. p. 301. n. 26.
Auditus firmamentum cognitionis. Ibid.
Aurem geminam cor habet p. 289 n. 13.
Aurem obturare eſt reſpondere nolle. p. 296. n. 21.
Aures purgatæ. p. 290. n. 15.
Aures ſurrectæ, demiſſæ, cujus ſymbolum. p. 280. n. 2.
Aures, & oculi opus divinum. p. 286. n. 10.
Aures cæcę, videntes. p. 287. n. 11.
Aures apertæ, & clauſæ. Ibid.
Aures audiendi, quæ. p. 289. n. 14.
Aures ſupinæ, incircumciſæ, aggravatę, obturatæ, induratæ, ſurdæ. p. 292. n. 16.
Aures hominis cur dicuntur arrigi, demitti, curvari, acui, &c. Ibid. n. 24.
Aures animantium index animi. Ibid.
Auribus percipere, & audire nùm differant. p. 288. n. 13.
Auribus, & mente cæcus, homo ſtupidus. p. 287. num. 11.
Auribus ſummis audire, quid. p. 290. n. 14.
Auribus deorum digna facta ingentia. p. 293. n. 17.
In auribus habitat animus. p. 297. n. 23.
Auris ſenſus diſciplinarum. p. 279. n. 1.
Auris interna, & externa. p. 280. n. 2.
Auris externæ figura. Ibid.
Auris arrepta melius audit. Ibid.
Auris internæ deſcriptio. Ibid. n. 3.
Auris perfecta quæ. p. 289. n. 14.
Auris Batava pro ingenio agreſti: Exotica pro pingui. p. 292. n. 16.

Auris zeli acutiſſima. p. 297. n. 23.
Auris Dei non membrum corporeum, ſed potentiam audiendi ſignificat. p. 302. n. 27.
Auris ſervo perforata obedientiæ Symbolum. p. 105. n. 30.
Aurium ethimologia. p. 280. n. 1.
D. Auguſtini modeſtia ſingularis. p. 9. n. 18.
Author cur in Expoſitionibus prolixior. p. 197. n. 23.

B

Bacchus pro vino. p. 202. n. 29.
Baſiliſci. p. 74. n. 27.
Benevolentiam aucupari muneribus, obſervantia, proſtratione. p. 67. n. 21.
Bæoti ſtupidiſſimi. p. 291. n. 16.

C

Cæcitas bona. p. 17. n. 32.
Cæci cur ſedentes. p. 203. n. 30.
Canon interpretandi S. Scripturam. p. 187. n. 12.
Caro quàm clamoſa. p. 304. n. 29.
Caro & ſanguis aliquando homines carnales ſignificat. Ibid.
Catablepæ. p. 74. n. 27.
Caphis hæbreum quid. p. 60. n. 11.
Catachreſis in Sac. Scriptura. p. 182. n. 7.
Candidati unde dicti. p. 3. n. 6.
Cauſa pro effectu. p. 14. n. 29. & p. 297. n. 23.
Ceres pro frugibus. p. 202. n. 29.
Cervice dura quid ſignificet. p. 191. n. 16.
Chriſtus more Judæorum pallio uſus. p. 6. n. 12.
Chriſtus cur à Samaritanis non receptus. p. 199. n. 26.
Civitates inſigniores filiæ regum dictæ. p. 169. n. 14.
Clavus Latus, & Anguſtus qui. p. 3. n. 6.
Clavus Latus pro Senatoria dignitate. Ibid.
Cogitationes frenandæ. p. 8. n. 17.
Collum erigere arrogantis habitus. p. 191. n. 16.
Collum erectum pulcritudo mulierum. p. 191. n. 17.
De comœdijs judicium D. Chryſoſtomi. p. 15. n. 30.
Concio de impudicitia non vitanda. p. 1. n. 1.
Cor habet gèminam aurem. p. 289. n. 13.
Cornucopiæ quid. p. 76. n. 30.
Cothurnus quid. p. 190. n. 15.
Cothurnatæ deæ. Ibid.
Cothurnatæ feminæ. Ibid.
Cothurnati viri graviores. p. 191. Ibid.
Cupido ſagittifer, & pharetratus. p. 18. n. 33.
Cruciferi quidam ridiculi. p. 8. n. 16.
Cynædi ſe poſſe concipere putabant. p. 183. n. 9.

D

Dæmones cur *ſpiritus immundi* appellati. p. 10. n. 21.
Deprecandi verbum propriè de avertendo malum. p. 60. n. 21.
Dei videre punire eſt. p. 71. n. 24.
Deus animarum ſponſus. p. 10. n. 20.
Deus (nomen) à timore præcè. p. 68. n. 21.
Deus audit peccata, quoniam ipſa loquuntur. p. 292. n. 17.
Deum audire peccata noſtra eſt illa punire. p. 293. n. 18.
Dei auris, oculi, manus. p. 301. n. 27.
Deus non exaudiet inclementes. p. 296. n. 21.
Digito filum alligare memoriæ cauſa. p. 7. n. 14.
Digitum tollere eſt victum ſe fateri. p. 56. n. 6.
Et geſtus faventis. p. 57. n. 7.
Digitus pro robore. Ibid. n. 8.

E

Eccleſia virgo. p. 11. n. 23.
Eccleſiaſtici mulieres non audiant. p. 185. n. 10.
Epiſcopi mulieres non audiant. Ibid.
Exactorum violentia. p. 179. n. 3.
Exactores avari populos racemant. Ibid. n. 4.
Exaudire eſt reſpondere precanti, & neceſſarijs. p. 295. n. 20.
Non exaudire eſt non favere. ibi. n. 21.
Exempla Ethnicorum de oculorum cautela. p. 16. n. 31.
Exempla funeſta viſus incauti. Ibid.

Exergaſia in ſac. Libris. p. 81. n. 34.

F

Facies cur turbatur irâ. p. 70. n. 23.
Facies pro ira. Ibid. n. 24.
Faciem commutare quid. p. 71. n. 24.
Faciem commutare diſſimulantis eſt bid.
Faciem obfirmare contra aliquem quid. p. 84. n. 38.
Faciebus fortis pro immiti. Ibid.
Facies ambulans. p. 198. n. 24.
Facies oſtendit quo ire velis. p. 199. n. 26.
Faciem indurare quid. p. 14. n. 28.
Facies pro oculo. p. 65. n. 17.
Facies pro perſona. p. 66. n. 18.
Facies etiam de rebus inanimatis. Idid. n. 19.
Facies apud Latinos quid. Ibid.
Facies pro præſentia cuiuſcumque rei, etiam incorporeæ. p. 67. Ibid.
Faciem deprecari eſt aucupari benevolentiam. bid. n. 21.
Feminam uti veſte virili Iudæis prohibitum. p. 3. n. 9.
Feminæ impudicę inceſſus. p. 13. n. 27.
Feminarum ornatus. p. 186. n. 12.
Feminæ etiam cauſa excidij Jeroſolymitani. p. 188. Ibid.
Feminarum nimius ornatus viris cauſa furandi. Ibid. n. 13.
Feminæ cothurnatæ ob ſuperbiam. p. 190. n. 15.
Feminæ pulcræ deſcriptio. p. 192. n. 17.
Feminarum inceſſus pompaticus. p. 193. n. 19.
Feminæ cur olim annulos in cruribus geſtare ſolitæ. Ibid.
Feminarum in calceis margaritæ ſonantes. Ibid.
Faſcinator qui invidus. p. 76. n. 29.
Faſcinum an ſit. p. 74. n. 27.
Faſcinum vetularum commentum. p. 75. n. 28.
Faſcinum res incerta. Ibid.
Fides vera virgines facit. p. 11. n. 23.
Fides incorrupta virginitas cordis. Ibid.
Filiæ diligenter cuſtodiendæ. p. 14. n. 28.
Filiæ nomine hominum cætus. p. 189. n. 14.
Filum digito alligare memorię cauſa. p. 7. n. 14.
Fimbria quid. p. 2. n. 4.
Fimbriæ ad quid. p. 7. n. 14.
Fornicatio à fornice. p. 1. n. 20.
Fornicatio pro quovis peccato mortali. p. 9. n. 18.
Pro Idolatria. p. 9. n. 19.
Pro vitio carnis. p. 11. n. 24.
Quæ ſit cauſa divortij. p. 9. n. 18.
Fornicari abſque Deo quid. Ibid.
Fornicationem inter & idolatriam analogia. p. 10. n. 20.
Fornicatio idolatriæ occaſio. p. 11. n. 22.
Frons tenera quæ. p. 14. n. 28.
Frons mereretricis qualis. bid.
Frons occipitio prior. p. 80. n. 33.

G

Gentilium converſio, ob continentiam, difficilis. p. 11. n. 22.
Græcorum habitus pallium. p. 2. n. 5.
Gladij manus quæ. p. 59. n. 10.
Gorgonum aſpectus formidabilis. p. 78. n. 31.
Gorgona nùm animal. Ibid.
Tanquam Gorgone conſpecta, quid. p. 77. Ibid.

H

Hereſis luxuriæ nutrix. p. 11. n. 22.
Hereticorum converſio, ob continentiam, difficilis. Ibid.
Hominis mens valde inquieta. p. 8. n. 17.
Hominis cætus nomine filiæ ſignificatus. p. 189. n. 14.
Hypallage in ſac. Scriptura. p. 59. n. 10.

I

Idololatræ re ipſa, & verbis blaſphemi. p. 283. n. 7.
Idololatria fomes luxuriæ. p. 10. n. 20.
Idololatriæ ceremoniæ nuptiales turpiſsimæ. Ibid.
Idolorum fana quaſi popinæ. Ibid.
Idololatria cur dicatur audita. p. 283. n. 6.
Imantoſis hebræum quid. p. 60. n. 11.
Inceſus mollis. p. 194. n. 20.
Incedere viros ut feminas ignominioſum. p. 196. n. 22.
Invidus dicitur faſcinator. p. 76. n. 26.
Ira apparet in oculis. p. 69. n. 22.
Ira vultum perturbat. Ibid. n. 23.
Irati hominis pictura. Ibid.
Ira frangenda jocis. p. 257. n. 23.

Ira in auribus. Ibid.
Ire oculis, quid. p. 197. n. 24.

J

Jocis frangenda ira. p. 297. n. 24.
Judæi infenſiſsimi Chriſtianis. p. 7. n. 12.
Judæi oblivioſi mandatorum Dei. p. 8. n. 17.
Judæi quo pacto à cæteris nationibus diſtingui ſolebant. p. 6. n. 12.
Judæi externi ſui cultus tenaciſsimi. Ibid.
Judæis prohibitum permutare veſtes. p. 5. n. 9.
Judæis nota diſtinctionis præſcripta à Chriſtianis Magiſtratibus, Concilijs, & Summis Pontificibus. p. 7. n. 12.
Judæorum opinio ridicula de veſte ſua. p. 11. n. 24.
Judæorum calamitates. p. 53. n. 2.
Judæorum excidium ob Chriſti necem. p. 177. n. 1.
Judæorum Chriſtum blaſphemantium pœnæ. p. 178. n. 3.
Judæi colebant Priapum nefandâ libidine. p. 182. n. 7.
Judæi velut equi emiſſarij. p. 185. n. 10.
Judæorum Dynaſtæ ritu muliebri incedentes. p. 196. n. 22.
Junonis paſſus. p. 195. n. 21.
Junonium incedere, quid. p. 196. Ibid.

L

Legem portare ante oculos & in manu, quomodo intelligendum. p. 7. n. 14.
Legis divinæ ſenſum non aſſequuntur homines carnales. p. 8. n. 16.
Lemnius obtutus quid. p. 77. n. 31.
Libido nefanda ex viris facit feminas. p. 180. n. 6.
Linguam non intelligere eſt non audire. p. 288. n. 12.
Littora ſurda cur ita dicta. p. 297. n. 22.
Littori loqueris de quibus dictum. Ibid.
Loquere, ut te videam quomodo dictum. p. 301. n. 25.
Loqui idem quod apparere. p. 302. n. 26.
Lumen diſſeminare quid. p. 74. n. 32.
Luxurioſus non vir eſt, ſed femina. p. 180. n. 5.

M

Manum cur pudefacti apponimus ante faciem. p. 13. n. 28.
Manus organum organorum p. 54. n. 3.
Manus pro poteſtate, fortitudine, virtute, & plaga. Ibid. n. 4.
Manus dare, victorem agnoſcere. bid. n. 5.
Manum tollere eſt victum ſe fateri. p. 56. n. 6.
Et geſtus faventis. p. 57. n. 7.
Manus pro favore, gratia, auxilio. p. 58. n. 9.
Manus pro omni inſtrumento, pro cornibus, pro pedibus. p. 59. n. 10.
Manum ponere ſuper aliquem ſignum damnationis. p. 58. n. 9.
Manus dicitur omne id quod apprehendit, tenet, & iungit. p. 59. n. 11.
Manus gladij quid. Ibid. n. 10.
Manus Dei. p. 303. n. 27.
Manus Throni Salomonici quales. p. 60. n. 11.
Manuum actiones oculis tributæ. p. 64. n. 17.
Margaritæ ſonantes in calceis feminarum. p. 193. n. 19.
Memoriam divinæ Legis externo ſigno iuvare licitum. p. 8. n. 15.
Mercurius deorum nuntius. p. 293. n. 17.
Metaleptica locutio. p. 198. n. 25.
Metalepſis in Sac. Scriptura. p. 12. n. 25. p. 84. n. 37. p. 290. n. 15. & p. 295. n. 20.
Metonimia in Sac. Scriptura p. 14. n. 29. & p. 202. n. 29.
Miſerandum vel hoſtibus. p. 83. n. 37.
Miſereri oranti eſt ipſum exaudire. p. 294. n. 19.
Monachorum habitus pallium. p. 3. n. 7.
Monachi impoſtores habiti a paganis. Ibid.
Mortuo verba facere, quid. p. 297. n. 22.
Mulier non utatur veſte ſciſſa. p. 6. n. 10.
Mulier multivola, prægnans præcipuè. p. 9. n. 17.
Mulier domi ſit. p. 13. n. 28.
Mulier imperans ingens plaga. p. 185. n. 11.
Mulieres cur viris ſubditæ eſſe debeant. Ibid.
Mulier benè imperans loco prodigij habenda. p. 186. n. 11.

N

N

Nero Pythagoræ puro nupſit ſolemnibus ceremonijs. p. 183. n. 9.
Nubere uxori quid. p. 184. n. 10.

O

Oculi an radios emittant. p. 17. n. 33.
Oculi ſagittarij igniti. Ibid.
Oculi emiſsicij. p. 18. Ibid.
Oculi cur fornicantes dicti. p. 9. n. 18.
Oculi mentis ſpeculum. p. 12. n. 25.
Oculus impudicus impudici cordis nuntius. Ibid. n. 26.
Oculorum elatio impudicitiæ ſignum. p. 13. n. 27.
Oculi demiſsi ſignum pudoris. Ibid. n. 28.
Oculus occaſio, & cauſa libidinis. p. 14. n. 29.
Oculi principium, & pronubi amoris, feneſtræ animi, & irritamenta vitiorum. p. 15. n. 30.
Oculi in amore cruces. Ibid.
Oculi inſidiatores aliorum matrimoniorum. Ibid.
De oculorum cautela Ethnicorum exempla. p. 16. n. 31.
Oculos mittere pro amare. p. 17. n. 32.
Oculitùs amare. Ibid.
Oculis tribuitur id quod eſt intellectûs, & voluntatis. p. 18. n. 34.
Oculi proxenetæ peccati. p. 19. Ibid.
Oculis non parcere, quid, p. 54. n. 3.
Oculorum eſt contemplari, non tangere. p. 64. n. 16.
Oculus pars corporis ſpiritualior. Ibid.
Oculis tributæ manuum actiones. Ibid. n. 17.
Oculi tangentes, interficientes, belligerantes, percutientes, repellentes, opprimentes, & elevantes, beneficij, roborantes, turbantes. Ibid.
In oculis invenire gratiam, quid. p. 67. n. 20.
Oculi tangentes, locutio metaleptica. p. 68. n. 22.
In oculis apparet ira. p. 69. Ibid.
Oculus Domini ſuper aliquem in bonum, & in malum. p. 72. n. 25.
Oculi, in quibus noxia vis creditur ineſſe. p. 74. n. 27.
Oculos ſuſtinere non poſſe, familiaris locutio. p. 77. n. 31.
Oculi revera conturbant, & vivificant. p. 78. n. 32.
Oculus Domini ſaginat equum. p. 80. n. 33.
Oculus Domini fertilis in agro. Ibid.
Oculis non parcere, idem ac non miſereri. p. 81. n. 34.
Oculis parcere eſt exteriore quoque geſtu miſereri. p. 83. n. 37.
Oculorum eſt ad miſericordiam commoveri. Ibid.
Oculis non parcere eſt nullum ſignum miſericordiæ dare. p. 84. n. 38.
Oculorum nutus ſignum libidinis in femina. p. 193. n. 18.
Oculis ire, quid. p. 197. n. 24.
Oculi ſeptem Domini, qui. p. 198. Ibid.
Oculorum, & animorum conſenſus. p. 199. n. 27.
Oculos in cœlum levare cuius geſtus. p. 200. Ibid.
Oculos declinare in terram cuius geſtus. Ibid.
Oculi ſaltantes quomodo. Ibid. n. 28.
Oculis ſalire quid. p. 201 Ibid.
Oculi vagi, ludibundi, ſequaces, lubrici, emiſsicij. p. 13. n. 27.
Oculis diriguntur pedes. p. 202. n. 29.
Oculi, & aures opus divinum. p. 286. n. 10.
Oculi Dei. p. 303. n. 27.
Orationis ingreſſus eſt eius acceptatio. p. 295. n. 19.
Oratio hominis talis, qualis vita. p. 300. n. 25.
Ordo in Commutationibus. p. 281. n. 3.

P

Peccata clamantia in cœlum, quæ. p. 292. n. 17.
Pęderaſtia Romanorum olim. p. 180. n. 6.
Pallio proprior tunica. p. 2. n. 5.
Pallium quid. Ibid.
Pallium Græcorum habitus. Ibid.
Pallij figura. p. 4. n. 7.
Pallium Philoſophorum inſigne, & Monachorum habitus. Ibid.
Palliata agmina. Ibid.
Pallium feminarum cultus. Ibid n. 8.
Pallia feminarum, & virorum diverſa. Ibid.
Pallium Hebræorum quale. p. 6. n. 11.

Pallio uſus Chriſtus more Judæorum. Ibid. n. 12.
Palpones cur ſic dicti adulatores. p. 62. n. 13.
Parcę ita dictæ, quòd minimè parcant. p. 82. n. 36.
Parcendi verbum pro miſereri apud Hebræos. p. 81. n. 35.
Et apud Latinos. p. 82. n. 36.
Paſſus Junonis. p. 193. n. 21.
Pedes diriguntur oculis. p. 202. n. 29.
Petimetres, & Petimetras. p. 99. n. 22.
S. Petri de Alcantara ſingularis oculorum modeſtia. p. 16. n. 31.
Phariſæorum avaratia. p. 179. n. 4.
Phylacteria quid. p. 8. n. 16.
Cur à Chriſto reprehenſa. p. 7. n. 15.
Phyſiognomia hominis luxurioſi. p. 13. n. 27.
Pictura hominis irati. p. 69. n. 23.
Pœnæ mulierum nimis ſe ornantium. p. 197. n. 23.
Pœnæ ruentis Reipublicæ. p. 178. n. 2.
Pœnæ Judæorum Chriſtum blaſphemantium. p. 178. n. 3.
Pœnæ ſceleris nefandi. p. 180. n. 6.
Pompaticus gradus quis. p. 195. n. 21.
Præcepta de honeſtè vivendo. p. 16. n. 31.
Præſentia quantum juvat. p. 80. n. 33.
Priapum nefanda libidine colebant Judæi. p. 182. n. 7.
Priapi Sacerdotes caſtrati. Ibid. n. 8.
Cur dicti Galli. Ibid.
Prophetæ non aguntur enthuſiaſmo; ſed cohærentia fundunt. p. 187. n. 12.
Proſopopœia. p. 292. n. 17.
Puerizando ire, quid. p. 193. n. 18.

R

Rei-publicæ ruentis pœnæ. p. 178. n. 2.
Regibus effeminatis imperant uxores, & ſcorta. p. 184. n. 10.
Romanorum habitus Toga. p. 3. n. 5.
Romanorum pæderaſtia olim. p. 180. n. 6.
Apud Romanos viri viros ducebant tamquam uxores. p. 183. n. 9.

S

Sanctum pro execrabili. p. 181. n. 6.
Sanguinem non audire, quid. p. 303. n. 28.
Sanguis quàm clamoſus. p. 304. n. 29.
Sanguis, & caro aliquando homines carnales ſignificat. Ibid.
Sceleris nefandi pœnæ. p. 180. n. 6.
Scorta imperant Regibus effeminatis. p. 184. n. 10.
Scribarum, & Phariſæorum avaritia. p. 179. n. 4.
Sac. Scriptura verbis interdum utitur minùs puris, ut noſtram impuritatem reprehendat. p. 1. n. 2.
Sac. Scriptura fabuloſis nominibus veritatem docet. p. 75. n. 29.
Sac. Scripturæ loca de fabulis. p. 76. n. 30.
Sedere in tenebris. p. 203. n. 30.
Senſus corporis feneſtræ animæ. p. 15. n. 30.
Senſus tertij Capitis Iſaiæ. p. 177. n. 1.
Sermo vitæ ſimulacrum. p. 301. n. 25.
Sermone agnoſcitur homo. Ibid. n. 26.
Signo externo iuvare memoriam divinæ Legis, licitum. p. 8. n. 15.
Signum pro ſignato. p. 12. n. 25. p. 68. n. 22. p. 198. n. 25. & p. 299. n. 24.
Solæciſmus conjugatorum. p. 184. n. 10.
Soni propagatio. p. 282. n. 5.
Sonitu probandus homo, ut vaſa figuli. p. 301. n. 25.
Sportula quanti pretij. p. 3. n. 5.
Statuæ togatæ. p. 4. n. 7.
Superbia veſtium. p. 3. n. 6.
Superiores tyranni, carnifices Dei. p. 179. n. 3.
Superſtitio de tinnitu aurium. p. 201. n. 28.
Surda littora cur ita dicta. p. 297. n. 22.
Surdus pro inexorabili. p. 296. Ibid.
Surdus peſsimus, qui audire non vult. Ibid.
Suſanna cur fleverit poſt manuum impoſitionem. p. 58. n. 9.
Synedoche in Sac. Scriptura. p. 66. n. 18.

T

Tangere ſignificat ſimplicem corporum conjunctionem: appellere portum: uxoricium uſum: animi commotionem: gravi damno, aut leviore afficere; item fulminum ictus p. 60 n. 12.
Tangere velus, quid. p. 62. n. 13.
Tentatio quid. p. 301. n. 26.

Titanicus aspectus quid. p. 77. n. 31.
Toga habitus Romanorum. p. 3. n. 5.
Togæ mensura. p. 3. n. 6.
Toga pacis insigne. Ibid.
Toga candida, palmata, triumphalis, verrucata. Ibid.
Tunica pallio proprior. p. 2. n. 5.
Turba Togata, quæ. p. 3. n. 5.

V

Veneris sectatores. p. 17. n. 32.
Venus cur *Scotia* dicta. p. 10. n. 20.
Verba facere mortuo, quid. p. 297. n. 22.
Verba verbis curantur, quomodo. p. 298. n. 23.
Verbum præsens pro futuro. p. 71. n. 24.
Verbum *chus* apud Hebræos, quid. p. 82. n. 35.
Verbum *casah* significat auscultare, attendere, audire, aspicere. p. 285. n. 9.
Veste scissâ mulier non utatur. p. 6. n. 10.
Veste virili feminam uti, & è contrà Judæis interdictum. p. 5. n. 9.
Vestes sexuum permutare, pernitiosum. Ibid.
Quando liceat. Ibid. n. 10.
Vestium superbia. p. 3. n. 6.
In vestitu apparet professio. p. 6. n. 12.
Visûs incauti exempla funesta. p. 10. n. 31.
Ex visu nascitur amor. Ibid. n. 32.
Visus, & auditus consonantia p. 286. n. 10.
Videre Dei punire est. p. 71. n. 24.
Videre, & audire Dei voces practicæ. p. 294. n. 18.
Videre, & audire interdum Synonyma. p. 285. n. 9.
Videre ad concupiscendum, quid. p. 19 n. 34.
Virginitas cordis fides incorrupta. p. 11. n. 23.
Virgo oculis quis. p. 14. n. 28.
Viri qui meretrices dicti. p. 181. n. 7.
Viri effeminati fugillantur. p. 5. n. 9.
Viri graviores cothurnati. p. 191. n. 15.
Virilis animus suam dignitatem revereatur. p. 181. n. 6.
Viros ut feminas incedere ignominiosum. p. 196. n. 22.
Aliud est loqui de vitijs sub deliberatione peccandi; aliud ea discutere, ut facilius evitentur. p. 1. n. 2.
Qualis vita hominis, talis oratio. p. 300. n. 25.
Vittæ Hyacintinæ cujus coloris. p. 6. n. 11.
Vitæ Hyacintinę ad quid. p. 7. n. 14.
Unda vocalis. p. 282. n. 5.
Vox hebraica *caseh* significat auscultationem, & intuitum. p. 285. n. 9.
Urbes vocantur feminæ, & meretrices, & virgines. p. 188. n. 14.
Vultum ira perturbat. p. 69. n. 23.
Vultus variare prudentis est. p. 71. n. 24.
Vultus idem, seu immutatus animi tranquilli index. p. 73. n. 26.
Vultus Regis hilaris, subditorum vita. p. 79. n. 2.
Vultu laditur pietas. p. 80. n. 33.
Uxores imperant Regibus effeminatis. p. 184. n. 10.

Z

Zeli auris acutissima. p. 299. n. 23.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, pro Dissertationibus.

N. *denotat Numerum marginal.* P. *Paginam.*

EX GENESI.

Cap. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram.* p. 97. n. 2.
V. 3. *Fiat lux.* Ibid.
V. 5. *Factum est vespere, & mane dies unus.* p. 99. n. 10.
Cap. 2. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* p. 358. n. 5.
Cap. 3. 3. *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus.* p. 336. n. 6.
V. 6. *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum.* Ibid.
V. 7. *Comedit, deditque viro suo, qui comedit: & aperti sunt oculi amborum.* n. 7. Ibid.
V. 8. *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis.* p. 99. n. 10.
V. 14. *Supra pectus tuum gradieris.* p. 173. n. 4.
V. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane.* p. 352. n. 26.
V. 21. *Fecit quoque Dominus Adæ, & uxori eius tunicas pelliceas.* p. 24. n. 2.
Cap. 4. 7. *Nonne si bene egeris recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* 304. n. 7.
V. 9. *Ubi est Abel frater tuus?* p. 329. n. 4.
V. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* p. 304. n. 5.
V. 14. *Ecce eijcies me hodie à facie terræ, & a facie tua abscondar, &c.* p. 156. n. 13.
Cap. 6. 2. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulcræ.* p. 213. n. 11.
V. 5. 6. 7. *Videns autem Deus, quòd multa malitia, &c. Tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem &c.* p. 93. n. 1. & p. 170. n. 11. & p. 213. n. 11. & p. 263. n. 18.
V. 13. *Finis universæ carnis venit coram me.* p. 213. n. 11.
Cap. 8. 21. *Nequaquam ultra maledicam terram propter homines: Sensus enim, & cogitatio, &c.* p. 317. n. 1.
Cap. 9. 11. *Nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvij.* p. 171. n. 11.
V. 16. *Erit arcus meus in nubibus, &c.* Ibid.
Cap. 11. 4. *Faciamus nobis civitatem, & turrim, &c.* p. 275. n. 12.
Cap. 12. 4. *Egressus est Abram, sicut præceperat ei Dominus.* p. 371. n. 14.
V. 15. *Nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum.* p. 207. n. 6.
Cap. 13. 13. *Homines Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coràm Deo nimis.* p. 212. n. 11.
Cap. 15. 5. *Suspice cælum.* p. 242. n. 3.
Cap. 16. 10. *Multiplicans multiplicabo semen tuum, &c.* p. 116. n. 7.
V. 13. *Vocavit autem Agar nomen Domini: tu es Deus qui vidisti me.* p. 115. n. 7.
V. 14. *Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis, & videntis me.* Ibid.
Cap. 17. 1. *Ambula coràm me, & esto perfectus* p. 344. n. 2.
V. 10. *Circumcidatur ex vobis omne masculinum.* p. 260. n. 10.
V. 26. *Eadem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius.* Ibid.
Cap. 18. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est.* p. 310. n. 12.
V. 21. *Descendam, & videbo, utrum clamorem, &c.* p. 318. n. 5.
Cap. 19. 4. *Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis valaverunt, &c.* p. 213. n. 11.

V. 17.

V. 17. *Noli reſpicere poſt tergum.* p. 36. n. 9.
Ibid. *In montem ſalvum te fac.* p. 340. n. 19.
V. 19. *Nec in monte poſſum ſalvari.* Ibid.
V. 22. *Feſtina, & ſalvare.* Ibid.
V. 26. *Reſpicens uxor Loth poſt ſe, converſa eſt in ſtatuam ſalis.* p. 36. n. 9. p. 208. n. 9.
V. 36: *Conceperunt ergo duæ filiæ de patre ſuo.* p. 340. n. 20.
Cap. 22. 2. *Vade in terram viſionis.* p. 372. n. 14.
V. 10. *Extendit manum, & arripuit gladium.* p. 372. n. 14.
V14. *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt, &c.* p. 116. n. 9.
Cap. 23. 4. *Locutus eſt ad filios Heth dicens: advena ego ſum, & peregrinus apud vos.* p. 316. n. 12.
V. 6. *Princeps Dei eſt apud nos.* Ibid.
Cap. 27. 36. *Juſtè vocatum eſt nomen eius Jacob: Supplantavit enim me alterâ vice.* p. 146. n. 2.
V. 41. *Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fatrem meum.* p. 173. n. 6.
V. 43. 45. *Conſurgens fuge ad Laban fratrem meum. Cur utroque orbabor filio in uno die?* Ibid.
Cap. 28. 12. *Viditque ſcalam &c.* p. 256. n. 14. & p. 370. n. 10.
V. 13. 14. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. Terram, &c.* p. 350. n. 20.
V. 20. *Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, &c.* Ibid. & p. 246. n. 3.
V. 28. 32. *Numquid perdes iuſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta iuſti in civitate. &c.* p. 212. n. 11.
Cap. 29. 24. *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob.* p. 153. n. 4.
Cap. 31. 2. *Animadvertit quoque faciem Laban, quòd non eſſet erga ſe ſicut heri.* p. 257, n. 15.
V. 40. *Die noctuque eſtu urebar, & gelu, &c.* p. 256. n. 14.
V. 41. *Immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus.* Ibid.
Cap. 32. 29. *Die mihi quo appellaris nomine? Reſpondit. &c.* p. 312. n. 3.
V. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem, &c.* p. 371. n. 11.
Cap. 34. 2. *Unum eſt, quo differtur tantum bonum: ſi circumcidamus maſculos noſtos. Aſſenſique ſunt omnes.* p. 259. n. 8.
Cap. 35. 22. *Abijt Ruben, & dormivit cum Bala, &c.* p. 307. n. 3.
Cap. 37. 7. *Putabam nos ligare manipulos, &c.* p. 175. n. 10.
V. 9. *Vidi per ſomnium quaſi ſolem, &c.* Ibid.
V. 19. 20. *Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum, &c.* Ibid.
Cap. 38. 10. *Percuſsit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret.* p. 307. n. 3.
V. 15. *Operuerat vultum ſuum.* p. 211. n. 7.
V. 18. *Ad unum coitum mulier concepit.* Ibid.
V 24. *Ecce autèm poſt tres menſes nuntiaverunt Judæ dicentes: fornicata eſt Thamar.* p. 321. n. 12.
V. 26. *Attamen ultra non cognovit eam.* p. 211. n. 7.
Cap. 39. 7. *Injecit domina ſua oculos ſuos in Joſeph, & ait: dormi mecum.* p. 35. n. 4.
V. 10. *Per ſingulos dies & mulier moleſta erat adoleſcenti.* p. 29. n. 3.
V. 12. *Relicto in manu eius pallio, fugit.* Ibid. & p. 46. n. 13.
V. 13. *Cùmque vidiſſet mulier veſtem in manibus, & ſe eſſe comptentam vocavit, &c.* p. 46. n. 13. & p. 321. n. 13.
V. 16. *In argumentum fidei retentum pallium oſtendit marito.* p. 221. n. 13.
V. 19. *His auditis Dominus & nimium credulus.* Ibid.
Cap. 40. 45. *Vocavit eum linguâ Ægyptiaca Salvatorem mundi.* p. 168. n. 5.
Cap. 47. 15. *Salus noſtra in manu tua eſt: reſpiciat nos tantùm dominus noſter.* Ibid. n. 4.

EX EXODO.

Cap. 1. v. 22. *Quidquid maſculini ſexûs natum fuerit, in flumen proijcite.* p. 48. n. 5.
Cap. 2. 2. *Videns eum elegantem* Ibid.
V. 6. *De infantibus Hebræorum eſt hic.* Ibid.
V. 9. *Accipe puerum iſtum, & nutri mihi.* Ibid.
V. 10. *Quæ illa adoptavit, &c.* Ibid.

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Cap. 3. 2. *Videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* p. 218. n. 16.

V. 5. *Videbo viſionem hanc magnam. ſolve calceamentum de pedibus tuis.* Ibid. & p. 322. n. 2.

V. 7. *Vidi afflictionem populi mei, & clamorem eius audivi.* p. 310. n. 12.

Cap. 4. 10. *Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* p. 218. n. 16.

V. 14. *Aaron frater tuus Levites, ſcio, quòd eloquens ſit, &c.* p. 376. n. 12.

Cap. 5. 2. *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? Neſcio Dominum.* p. 355. n. 8. & p. 376. n. 13.

Cap. 7. 4. *Ille loquetur ad Pharaonem, &c. & non audiet vos. Immittam manum meam ſuper Ægyptum.* Ibid. n. 12.

Cap. 12. 31. *Neque enim erat domus, in qua non jaceret infirmus. Vocatiſque Pharao.* Ibid. n. 13.

Cap. 19. 8. *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* p. 375. n. 10.

V. 9. *Jam nunc veniam ad te in caligine, ut audiat me populus, &c.* Ibid.

V. 16. *Et cœperunt audiri tonitrua.* Ibid.

Cap. 32. 4. *Fecit vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi ſunt dij tui, &c.* p. 356. n. 10.

Cap. 33. 13. *Oſtende mihi faciem tuam.* p. 98. n. 4.

V. 23. *Uldebis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Ibid.

Cap. 34. 33. *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* p. 328. n. 1.

EX LEVITICO.

Cap. 7. 24. *Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* p. 89. n. 3.

Cap. 17. 10. *Homo ſi comederit ſanguinem, obſirmabo faciem meam contra animam illius.* Ibid.

Cap. 25. 4. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* p. 263. n. 19.

Cap. 26. 9. *Reſpicium vos, & creſcere faciam.* p. 102. n. 1.

EX NUMERIS.

Cap. 4. 9. *Aaron, & filij eius intrabunt... Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario. &c.* p. 342. n. 23.

Cap. 13. 33. *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus, &c.* p. 341. n. 21.

V. 34. *Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra. &c.* p. 134. n. 10.

Cap. 14. n. 9. *Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius: quia &c.* Ibid. n. 11.

V. 36. *Omnes viri illi, quos miſerat Moyſes... mortui ſunt, ac percuſi in conſpectu Domini.* p. 341. n. 21.

Cap. 15. 38. 39. *Faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum. &c. Nec ſequantur oculos ſuos per res varias fornicantes.* p. 33. n. 4. & ſæpè deinceps.

Cap. 20. 8. *Tolle virgam. Loquimini ad petram.* p. 161. n. 3. & p. 344. n. 4.

V. 11. *Cumque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ.* p. 160. n. 2.

Cap. 21. 9. *Fecitque Moyſes ſerpentem æneum, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* p. 158. n. 9.

Cap. 22. 17. *Paratus ſum honorare te: Veni, & maledic populo iſti.* p. 329. n. 5.

V. 18. *Si dederit Balac plenam domum ſuam argenti, &c.* Ibid.

V. 20. *Venit Deus ad Balaam nocte, & ait ei: vade cum eis.* p. 372. n. 2.

V. 31. *Vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio.* Ibid. n. 1.

Cap. 24. 3. 4. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus eſt oculus. Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius.* p. 323. n. 3. & in ſeqq. DD. ſæpè.

Cap. 25. 5. *Dixitque Moyſes ad filios Iſrael: occidat unuſquiſque proximos ſuos.* p. 269. n. 16. & p. 331. n. 10.

V. 9. *Occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.* Ibid.

V. 13. *Ecce dabo ei partem fœderis mei, & erit tàm ipſi, &c.* Ibid.

V. 14. *Erat autem nomen viri Iſraelitæ, qui occiſus eſt, &c.* Ibid.

Cap. 24. v. 5. *Quàm pulchra tabernacula tua, Jacob, & tentoria tua Iſrael.* p. 22. n. 5.

V. 6. *Ut valles nemoroſæ, ut hortijuxta fluviòs irrigui, ut tabernacula, &c.* Ibid.

Cap.

Cap. 25. 2. *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua.* p. 33. n. 12. p. 210. n. 4.

EX DEUTERONONIO.

Cap. 9. 9. *Perſeveravit in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non manducans, & aquam non bibens.* p. 255. n. 10.

Cap. 13. 8. *Neque parcat ei oculus tuus; ſed ſtatim interficies.* p. 108. n. 7. & p. 121. n. 1.

Cap. 28. 66. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te.* p. 159. n. 12.

Cap. 32. 19. 20. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt ... & ait: abſcondam faciem meam ab eis.* p. 95. n. 9.

V. 26. *Dixi: ubinam ſunt? Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Ibid. & p. 96. n. 10.

EX JOSUE.

Cap. 10. 13. *Steteruntque Sol, & luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.* p. 144. n. 22.

EX JUDICIBUS.

Cap. 14. 2. *Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſtinorum, quam queſo, ut accipiatis mihi uxorem.* p. 211. n. 8.

V. 3. *Numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum ... Dixitque Samſon. Hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis.* p. 212. n. 9.

V. 7. *Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnatha.* Ibid. n. 10.

Cap. 20. 26. *Omnes filij Iſrael ... jejunaverunt die illo uſque ad veſperam.* p. 255. n. 11.

Cap. 21. 24. *In diebus illis non erat rex in Iſrael; ſed unuſquiſque quod rectum ſibi videbatur hoc faciebat.* p. 377. n. 17.

EX I. REGUM.

Cap. 2. 17. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* p. 373. n. 4.

V. 23. *Quare feciſtis res hujuſcemodi? Nolite filij mei.* Ibid.

Cap. 3. 13. *Prædixi enim ei, quod judicaturus eſſem domum ejus propter iniquitatem, eòquòd noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* Ibid.

Cap. 4. 18. *Fractis cervicibus mortuus eſt.* p. 377. n. 15.

Cap. 5. 2. 3. *Tulerunt Philiſthijm arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon. Ecce Dagon jacebat.* p. 240. n. 8.

Cap. 15. 9. *Et pepercit Saul, & populus Agag, &c.* p. 250. n. 11.

V. 11. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul regem.* Ibid.

V. 34. 35. *Abijt autèm Samuel in Ramatha: Saul vero aſcendit in domum ſuam: & non vidit Samuel ultra Saul, &c.* p. 220. n. 19.

Cap. 16. 17. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autèm intuetur cor.* p. 319. n. 7.

V. 18. *Vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſsimum, &c.* p. 315. n. 10.

Cap. 17. 40. *Tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* p. 141. n. 15.

Ibid. *Et fundam manu tulit, & proceſsit adverſus Philiſthæum.* Ibi n. 16.

V. 43. *Numquid ego canis ſum, quòd tu venis ad me cum baculo?* Ibid.

V. 49. *Infixus eſt in fronte ejus, & cecidit.* Ibid. n. 15.

Cap. 18. 6. *Egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus Iſrael cantantes, choroſque ducentes.* p. 31. n. 6.

V. 7. *Præcinebant mulieres, &c.* p. 175. n. 11.

V. 8. *Dederunt David decemmillia, & mihi mille dederunt: quid ei ſuperſt niſi ſolum regnum.* p. 172. n. 3. & p. 175. 11.

V. 9. *Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat David à die illâ, & deinceps.* Ibid.

Cap. 22. 8. *Non eſt qui vicem meam doleat.* p. 172. n. 3.

Cap. 24. 11. *Cogitavi, ut occiderem te; ſed pepercit tibi oculus meus.* p. 93. n. 2.

Cap. 27. 7. *Vel quinquè pancs da mihi.* p. 246. n. 3.

Cap. 28. 7. *Quærite mihi mulierem habentem ſpiritum Pythonem, & vadam ad eam.* p. 220. n. 19.

V. 18. *Quia non obediſti voci Domini,*

neque feciſti iram furoris eius. p. 250. n. 11.

V. 25. *Poſuit antè Saul, & antè ſervos eius. Qui cùm comediſſent, ſurrexerant.* p. 220. n. 19.

EX II. LIBRO REGUM.

Cap. 6. 11. *Et habitavit arca Domini in domo Obededom: & bene dixit Dominus Obededom.* p. 247. n. 6.

V. 12. *Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei.* Ibid.

V. 20. *Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael diſcooperiens ſe antè ancillas.* p. 50. n. 14.

Cap. 11. 2. *Vidit mulierem ſe labantem ex adverſo.* p. 29. n. 3. & p. 207. n. 6.

V. 4. *Dormivit cum ea.* p. 30. n. 3. & p. 211. n. 6.

V. 27. *Facta eſt ei uxor.* p. 211. n. 7.

Cap. 12. 1. *Miſit Dominus Nathan ad David.* Ibid. n. 6.

V. 10. *Non recedet gladius de domo tua.* p. 90. n. 4.

V. 12. *Tu enim feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael.* p. 307. n. 2.

V. 14. *Blaſphemare feciſti inimicos Domini.* p. 262. n. 15.

Cap. 13. 2. *Quia cùm eſſet virgo, difficile ei videbatur, ut &c.* p. 28. n. 11.

V. 8. *In oculis ſuis coxit ſorbitiunculas.* p. 28. n. 11.

V. 14. *Prævalens viribus oppreſit eam, & cubavit cum ea.* Ibid.

Cap. 15. 1. *Fecit ſibi currus.* p. 275. n. 11.

Cap. 17. 45. *Venio ad te.* p. 232. n. 4.

EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 1. 16. 17. *Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit regem. Domine mi tu juraſti ... Salomon filius tuus regnabit, &c.* p. 114. n. 4.

Cap. 15. 5. *Eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini.* p. 261. n. 14.

Cap. 18. 21. *Accedens autèm Elias ad omnem populum, ait: Uſquequò claudicatis in duas partes? &c.* p. 248. n. 7.

Cap. 19. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* p. 255. n. 10.

V. 11. *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis. &c. Non in commotione Dominus.* p. 378. n. 18.

EX LIBRO IV. REGUM.

Cap. 2. 9. *Obſecro, ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* p. 343. n. 9.

V. 10. *Si videris me, quando tollar àte, erit tibi. &c.* Ibid.

V. 12. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* p. 267. n. 9.

Cap. 5. 15. *Verè ſcio, quòd non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantùm in Iſrael.* p. 270. n. 18.

Cap. 12. 2. *Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Joiada ſacerdos.* p. 253. n. 5.

Cap. 17. 33. *Et cùm Deum colerent, dijs quoque ſuis ſerviebant.* p. 249. n. 9.

EX LIBRO II. PARALIPOM.

Cap. 12. 1. *Cumquè roboratum eſſet regnum Roboam, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael.* p. 261. n. 12.

Cap. 24. 17. *Poſtquam autèm obiit Joiada ... dereliquerunt Templum Domini Dei. &c.* p. 253. n. 5.

Cap. 28. 24. *Direptis omnibus vaſis domus Dei: clauſit januas templi Dei.* p. 261. n. 12.

Cap. 36. 12. 14. *Fecit Sedecias malum ... ſed & univerſi principes ſacerdotum, & populus prævaricati ſunt.* Ibid.

EX LIBRO I. ESDRÆ.

Cap. 8. 21. *Affligeremur coram Domino.* p. 256. n. 13.

Cap. 9. 5. *Scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos, &c.* p. 269. n. 16.

Cap. 10. 1. *Sic ergo orante Eſdra, & implorante Deum. &c.* Ibid.

EX LIBRO II. ESDRÆ.

Cap. 1. 6. *Fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, ut audias orationem ſervi tui.* p. 329. n. 3.

Cap. 4. 8. *Et congregati ſunt omnes pariter, ut venirent, & pugnarent contra Jeruſalem,* p. 131. n. 2.

V. 14. *Nolite timere à facie eorum.* Ibid.

Cap. 6. 15. *Completus eſt autem murus quinquaginta duobus diebus.* Ibid.

EX LIBRO TOBIA.

Cap. 1. 20. *Eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, &c.* p. 277. n. 19.

Cap. 2. 19. *Anna uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidiè, &c.* p. 278. Ibid.

Cap. 4. 7. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* p. 115. n. 5. & p. 122. n. 2.

V. 23. *Pauperem quidèm vitam gerimus.* p. 277. n. 19.

Cap. 5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, &c.* p. 25. n. 1. & p. 114. n. 2.

EX JUDITH.

Cap. 2. 3. *Ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio.* p. 223. n. 8.

V. 5. *Egredere adversùs omne regnum occidentis.* Ibid.

V. 6. *Non parcet oculus tuus ulli regno.* p. 102. n. 1. & 126. n. 1. & 123. n. 8.

Cap. 9. 13. *Percuties eum ex labijs charitatis mee.* p. 359. n. 8.

Cap. 10. 3. 4. *Unxit ſe miro optimo. Cui etiam Dominus contulit pulcritudinem.* p. 39. n. 6. & 7.

Cap. 12. 12. *Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem eius.* p. 38. n. 6.

Cap. 13. 20. *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Ibid.

Cap. 16. 4. *Perierunt in prælio à facie Domini.* p. 148. n. 8.

EX LIBRO JOB.

Cap. 2. 12. 13. *Condixerant, ut pariter venientes viſitarent ... Sederunt cum eo in terra, &c.* p. 123. n. 6.

Cap. 5. 2. *Parvulum occidit invidia.* p. 175. n. 11.

Cap. 7. 7. *Et non revertetur oculus meus, ut videat bona.* p. 127. n. 5.

Cap. 9. 31. *Sordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.* p. 23. n. 7.

Cap. 10. 4. 6. *Numquid oculi carnei tibi ſunt ... ut quæras iniquitatem meam, &c.* p. 318. n. 6.

V. 8. *Manus tuæ fecerunt me.* p. 253. n. 4.

Cap. 13. 24. *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* p. 96. n. 12.

V. 27. *Poſuiſti in nervo pedem meum, & obſervaſti, &c.* p. 224. n. 10.

Cap. 14. 21. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſerijs.* p. 129. n. 9.

Cap. 15. 26. *Cucurrit adverſus eum erecto collo.* p. 105. n. 11.

Cap. 16. 19. *Terra nè operias ſanguinem meum: nec habeat locum latendi clamor meus.* p. 125. n. 10.

Cap. 19. 21. *Manus Domini tetigit me.* p. 90. n. 4.

V. 25. *Scio, quòd Redemptor meus vivit & in noviſsimo die de terra ſurrecturus ſum.* p. 369. n. 6.

Cap. 30. 21. *Mutatus eſt mihi in crudelem.* p. 109. n. 9.

Cap. 31. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine.* p. 27. n. 9.

V. 12. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, &c.* p. 34. n. 2.

V. 35. *Quis mihi tribuat auditorem, ut deſiderium meum audiat Omnipotens?* p. 333. n. 14.

Cap. 34. 25. *Novit Deus opera eorum: ideo inducet noctem, & conterentur.* p. 254. n. 8.

Cap. 39. 19. *Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.* p. 107. n. 4.

EX PSALMIS.

Pſalm. 1. 1. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum ... & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* p. 259. n. 7.

Pſalm. 2. 6. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ... prædicans præceptum eius.* p. 161. n. 5.

V. 9. *Reges eos in virga ferrea.* p. 93. n. 3.

Pſalm. 5. 5. *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* p. 318. n. 4.

Pſalm. 7. 7. *Exurge Domine in præcepto, quod mandaſti: & Synanoga populorum circundabit te.* p. 268. n. 11.

V. 15. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* p. 307. n. 1.

Pſalm. 16. 11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* p. 245. n. 12. & p. 246. n. 2.

V. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* p. 369. n. 5.

Pſalm. 17. 28. *Tu populum humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.* p. 149. n. 12.

V. 45. *Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.* p. 336. n. 5.

V. 49. *Filij alieni mentiti ſunt mihi... & claudicaverunt à ſemitis ſuis.* p. 250. n. 13.

Pſalm. 18. 19. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* p. 362. n. 16.

V. 13. *Ab occultis meis munda me Domine, &c.* p. 262. n. 15.

Pſalm. 23. 1. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus.* p. 246. n. 2.

Pſalm. 24. 5. *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* p. 208. n. 11.

Pſalm. 25. 2. *Tenta me Domine, & proba me: ure renes meos, & cor meum.* p. 27. n. 8.

Pſalm. 26. 9. *Nè avertas faciem tuam à me. &c.* p. 96. n. 13.

Pſalm. 31. 4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* p. 357. n. 12.

Pſalm. 36. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* p. 344. n. 2.

Pſalm. 39. 11. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.* p. 335. n. 1.

V. 13. *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, &c.* p. 261. n. 14.

Pſalm. 40. 1. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* p. 226. n. 14.

Pſalm. 42. 2. *Quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam.* p. 245. n. 15.

Pſalm. 44. 1. *In finem pro ijs, qui commutabuntur.* p. 138. n. 8.

V. 3. *Speciosus forma præ filijs hominum.* p. 48. n. 6. & p. 365. n. 8.

V. 4. 5. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Sagittæ tuæ acutæ, &c.* p. 138. n. 8.

Pſalm. 45. 2. *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* p. 32. n. 11.

V. 5. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* p. 98. n. 4.

V. 6. *Adjuvavit eam Deus manè diluculo.* p. 99. n. 6.

V. 11. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* p. 98. n. 4.

Pſalm. 47. 9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum.* p. 370. n. 8.

Pſalm. 50. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* p. 90. n. 4. & p. 95. n. 9.

V. 10. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.* p. 369. n. 5.

V. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* p. 102. n. 18.

Pſalm. 62. 1. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* p. 346. n. 9.

V. 3. *In terra deſerta, & invia, & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi.* Ibidem.

Pſalm. 68. 24. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, &c.* p. 125. n. 12.

V. 27. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Ibid.

Pſalm. 71. 6. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia, &c.* p. 161. n. 5.

Pſalm. 77. 24. *Panem cæli dedit eis.* p. 351. n. 23.

V. 30. *Adhuc eſcæ erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos. &c.* p. 331. n. 9.

Pſalm. 81. 1. *Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* p. 330. n. 7.

V. 2. *Uſquequò judicatis iniquitatem, & & facies peccatorum ſumitis.* p. 133. n. 8. & p. 330. n. 7.

V. 3. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Ibi n. 8.

V. 6. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Ibid.

Pſalm. 86. 4. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* p. 138. n. 6.

Pſalm. 87. 9. *Longè feciſti notos meos à me.* p. 121. n. 11.

Pſalm. 88. 22. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum, &c.* p. 99. n. 8.

V. 49. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* p. 128. n. 6.

Pſalm. 89. 15. *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, &c.* p. 129. n. 10.

Pſalm. 96. 5. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ... montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, &c.* p. 163. n. 9.

V. 7. *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia. &c.* p. 128. n. 8.

Pſalm. 101. 20. 21. *Dominus de cælo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum.* p. 153. n. 6.

V. 26. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* p. 101. n. 16.

Psalm. 105. 29. *Irritaverunt eum in adinventionibus suis.* p. 33. n. 12.

V. 37. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonijs.* p. 107. n. 4.

Psalm. 109. 8. *De torrente in via bibet.* p. 234. n. 8.

Psalm. 117. 12. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* p. 173. n. 7.

V. 16. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* p. 148. n. 8.

Psalm. 118. 31. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* p. 27. n. 8.

V. 74. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur; quia in verbis tuis supersperavi.* p. 348. n. 14.

V. 171. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.* p. 314. n. 9.

Psalm. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* p. 246. n. 2.

Psalm. 229. 3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* p. 311. n. 13.

Psalm. 138. 7. *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum. &c.* p. 176. n. 13.

V. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo.* p. 167 n. 2.

Psalm. 140. 6. *Absorti sunt juncti petræ judices eorum: audient verba mea, quoniam potuerunt.* p. 354. n. 6.

Psalm. 143. 6. *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos.* p. 148. n. 9.

EX PROVERBIJS.

Cap. 2. 16. *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* p. 210. n. 5.

Cap. 14. 15. *Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos.* p. 322. n. 16.

V. 18. *Spectabunt astuti scientiam.* p. 339. n. 15.

Cap. 16. 15. *In hilaritate vultûs regis vita.* p. 152. n. 3.

Cap. 20. 8. *Rex, qui sedet in solio judicij, dissipat omne malum intuitu suo.* p. 169. n. 1.

Cap. 22. 22. *Non facias violentiam pauperi, neque conteras eum in porta.* p. 309. n. 8.

Cap. 28. 21. *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: iste & pro bucella panis deserit veritatem.* p. 333. n. 15.

Cap. 31. 20. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* p. 115. n. 5.

V. 23. *Nobilis in portis vir ejus.* p. 309. n. 8.

EX ECCLESIASTE.

Cap. 2. 7. *Possedi servos, & ancillas, multamque familiam habui.* p. 275. n. 11.

Cap. 4. 8. *Nec satiantur oculi ejus divitijs.* p. 127. n. 4.

Cap. 5. 10. *Quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis.* p. 126. n. 2.

Cap. 7. 4. *Per tristitiam vultûs corripitur animus delinquentis.* p. 374. n. 2.

Cap. 11. 7. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* p. 32. n. 2.

EX CANTICIS.

Cap. 1. 3. *Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus, & lætabimur in te.* p. 50. n. 12.

V. 4. *Nigra sum, sed formosa.* p. 42. n. 4.

V. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Ibid.

V. 12. *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* p. 108. n. 5.

V. 14. *Oculi tui columbarum.* p. 104. n. 6.

Cap. 2. 14. *Ostende mihi faciem tuam.* p. 40. n. 11.

Cap. 3. 1. *In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea.* p. 254. n. 7.

Cap. 4. 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* p. 251. n. 15. & p. 104. n. 6.

V. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* p. 162. n. 7.

Cap. 5. 2. *Aperi mihi soror mea, amica mea, &c.* p. 339. n. 16.

V. 3. *Spoliavi me tunicâ meâ, quomodo, &c.* Ibid.

V. 5. *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* p. 39. n. 9.

Ibid. *Manus meæ stillaverunt mirrhâ.* p. 104. n. 6. & p. 108. n. 5.

V. 6. *At ille declinaverat, atque transierat.* p. 40. n. 9.
V. 7. *Tulerunt pallium mihi.* p. 206. n. 3.
V. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* p. 48. n. 6.
V. 12. *Oculi ejus ſicut columbæ.* p. 91. n. 8.
Cap. 6. 3. *Averte oculos tuos, quia ipſi me avolare fecerunt.* p. 104. n. 6. & p. 152. n. 16.
Cap. 7. 1. *Quid videtis in Sulamite, niſi choros caſtrorum.* p. 142. n. 18.
Ibid. *Quàm pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Junctura femorum tuorum ſicut monilia.* p. 224. n. 11.
V. 4. *Oculi tui ſicut piſcinę in Heſebon.* p. 104. n. 6.
V. 11. 12. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum. Videamus ſi floruit vinea.* p. 246. n. 3.
Cap. 8. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio.* p. 43. n. 7.
V. 9. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eam propugnacula argentea.* p. 46. n. 5.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 10. 3. 4. *Ab hac ut receſsit injuſtus in ira ſua, per iram homicidij fraterni deperijt. Propter quem cùm aqua deleret terram.* p. 283. n. 18.
V. 9. *Hos, qui ſe obſervant, à doloribus liberavit.* p. 307. n. 1.
Cap. 11. 18. 19. 20. *Non enim impoſsibilis erat Omnipotens manus tua immitere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones. Aut novi generis irâ plenos ignotas veſtias... Quarum... & aſpectus per timorem occidere.* p. 149. n. 11.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

Cap. 7. 12. *Eſt qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus.* p. 157. n. 3.
Cap. 9. 9 *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, &c.* p. 34. n. 2.
V. 11. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt, &c.* Ibid.
Cap. 10. 2. *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus.* p. 257. n. 2.
Cap. 19. 27. *Amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* p. 24. n. 10.
Cap. 21. 2. *Quaſi à facie colubri fuge peccata, &c.* p. 32. n. 10.
Cap. 23. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem.* p. 319. n. 7.
Cap. 24. 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* p. 98. n. 4.
V. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* p. 101. n. 17.
V. 19. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* p. 138. n. 6.
V. 24. *Ego mater pulcræ dilectionis.* p. 47. n. 3.
Cap. 35. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* p. 123. n. 4.
Cap. 46. 5. *An non in iracundia eius impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo?* p. 145. n. 24.
Cap. 48. 13. *Elias quidem in turbine tectus eſt.* p. 170. n. 10.
Cap. 49. 10. *Ezechiel vidit conſpectum gloriæ, quàm oſtendit illi in curru Cherubim.* p. 230. n. 11.

EX ISAIA.

Cap. 1. 2. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* p. 251. n. 13.
V. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate. Semini nequam, &c.* p. 355. n. 9.
V. 5. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis, &c.* p. 258. n. 5.
Cap. 2. 8. *Repleta eſt terra idolis. Et incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir.* p. 217. n. 14.
Cap. 3. 12. *Populę meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, &c.* p. 360. n. 11.
V. 16. *Pro eò quòd elevatę ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant.* p. 206. n. 3. & p. 273. n. 3.
V. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Ibid.
V. 18. *Ornamenta calceamentorum & lunulas, &c.* Ibid. n. 2.
Cap. 5. 9. *In auribus meis ſunt hæc. Niſi domus multæ deſertæ fuerint, &c.* p. 311. n. 13.
Cap. 6. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſo-*

ſolium excelſum, & elevatum. p. 94. n. 7.

V. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud ... velabant faciem ejus.* Ibid. & p. 336. n. 8.

V. 11. *Donec deſolentur civitates*, &c. p. 95. n. 7.

Cap. 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* p. 47. n. 2.

Cap. 9. 6. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* p. 137. n. 3. & p. 234. n. 9.

Cap. 10. 3. *Quid facietis in die viſitationis? Ubi relinquetis gloriam veſtram?* p. 278. n. 20.

Cap. 11. 4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: & erit juſtitia*, &c. p. 266. n. 6.

V. 14. *Simul prædabuntur filios orientis. Idumæa, Moab præceptum manûs eorum, & filij Amon obedientes erunt.* p. 269. n. 15.

Cap. 13. 13. *Super hoc cælum turvabo, & movebitur terra de loco ſuo.* p. 258. n. 3.

Cap. 14. 13. *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.* p. 105. n. 10.

V. 29. *De radice colubri egredietur regulus, & ſemen ejus abſorvens volucrem.* p. 169. n. 9.

Cap. 21. 15. *A facie gladiorum fugerunt, à facie*, &c. p. 130. n. 13.

Cap. 29. 18. *Et audient in die illa ſurdi verba libri*, &c. p. 362. n. 16.

Cap. 33. 16. *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, iſte in excelſis habitabit*, &c. p. 345. n. 6. p. 353. n. 2.

Cap. 36. 18. *Hæc dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me.* p. 219. n. 18.

Cap. 38. 11. *Non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.* p. 25. n. 3.

Cap. 40. 9. *Omnis caro fœnum.* p. 35. n. 4.

Cap. 41. 3. *Semita in pedibus ejus non apparebit.* p. 222. n. 5.

Cap. 58. 7. *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* p. 115. n. 6.

EX JEREMIA.

Cap. 1. 5. *Antequàm exires de vulva, ſanctificavi te.* p. 101. n. 14.

V. 8. *Nè timeas eos: neque metuas à facie eorum.* p. 132. n. 5.

V. 10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna.* p. 155. n. 12.

V. 11. *Virgam vigilantem ego video.* p. 93. n. 3.

V. 13. *Ollam ſuccenſam ego video.* p. 165. n. 14.

V. 16. *Dereliquerunt me, libaverunt dijs alienis, & adoraverunt*, &c. p. 165. n. 13.

Cap. 5. 1. *Circuite vias Jeruſalem, & aſpicite, & conſiderate, an inveniatis virum*, &c. p. 165. n. 13.

Cap. 7. 11. *Ego ſum: ego vidi.* p. 318. n. 4.

V. 16. *Noli orare pro populo hoc... quia non exaudiam te.* Ibid.

Cap. 9. 20. *Docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum.* p. 213. n. 12.

V. 21. *Aſcendit mors per feneſtras, ingreſſa eſt domos noſtras.* p. 28. n. 9. & p. 213. n. 12.

Cap. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo.* p. 246. n. 2.

Cap. 25. 38. *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* p. 91. n. 9.

Cap. 48. 29. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde.* p. 311. n. 13.

V. 31. *Ideo ſuper Moab ejulabo*, &c. Ibid.

EX THRENIS

Cap. 3. 15. *Replevit me amaritudine*, &c. p. 108. n. 5.

V. 51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, &c. p. 111. n. 14.

Cap. 4. 3. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis.* p. 107. n. 4.

EX EZECHIELE.

Cap. 1. 5. *Et in medio ignis ſimilitudo quatuor animalium*, &c. p. 226. n. 3.

V. 6. *Quatuor facies uni.* p. 227. Ibi.

V. 9. *Non revertebantur, cùm incederent, ſed unumquodque coram facie ſuâ ambulabat.* Ibi n. 10.

V. 12. *Ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* p. 229. n. 10.

V. 14. *Animalia ibant, & revertebantur*

in ſimilitudinem fulguris coruſcantes. p. 230. n. 12.

V. 22. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium tamquam aſpectus criſtali.* p. 241. n. 2.

Cap. 3. 7. *Omnis quippè domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde.* p. 132. n. 4.

V. 4. *Vade ad domum Iſrael, & loquere, &c.* p. 374. n. 8.

V. 8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* p. 131. n. 3. & p. 374. n. 8.

V. 9. *Ut adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam.* p. 131. n. 4.

V. 17. *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* p. 132. Ibi.

Cap. 5. 9. *Et faciam in te quod non feci... propter omnes abominationes tuas.* p. 89. n. 2.

V. 11. *Ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, nec miſerebor.* Ibid.

Cap. 10. 12. *Plena oculis.* p. 104. n. 7.

Cap. 13. 10. *Eò quòd deceperint populum meum dicentes: Pax, & non eſt pax. Ipſe ædificabat, &c.* p. 361. n. 13.

Cap. 16. 51. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit.* p. 249. n. 9.

Cap. 21. 3. *Ejiciam gladium de vagina ſua, & occidam in te juſtum, & impium.* p. 89. n. 1.

Cap. 41. 18. *Duas facies habebat cherub. Faciem hominis juxta palmam.* p. 227. n. 4.

EX DANIELE.

Cap. 2. 22. *Novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt.* p. 319. n. 7.

Cap. 3. 21. *Miſsi ſunt in medium fornacis ardentis.* p. 234. n. 9.

V. 49. *Deſcendit cum Azaria, & ſocijs ejus in fornacem.* Ibid.

V. 92. *Ecce video quatuor viros... & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Ibid.

Cap. 5. 3. *Bibebant vinum, & laudabant deos ſuos argenteos, &c.* p. 356. n. 11.

Cap. 8. 5. *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram.* p. 222. n. 5.

Cap. 10. 5. *Et ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo, &c.* p. 265. n. 4.

V. 10. *Et ecce manus tetigit me.* p. 164. n. 10.

V. 11. *Erexit me ſuper genua mea. Steti tremens.* Ibi n. 11.

V. 18. *Tetigit me quaſi viſio hominis, & confortavit me.* Ibid.

V. 19. *Loquere Domine mi, quia confortaſti me.* Ibid.

Cap. 13. 5. *Conſtituti ſunt de populo duo ſenes.* p. 36. n. 7.

V. 8. *Videbant eam ſenes. ... & exarſerunt.* Ibid.

EX OSEA.

Cap. 1. 6. *Non addam ultra miſereri domui Iſrael.* p. 249. n. 9.

Cap. 2. 2. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſuâ.* p. 37. n. 2. & p. 42. n. 1.

Cap. 5. 4. *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.* p. 210. n. 5.

EX JOELE.

Cap. 3. 16. *Dominus de Sion rugiet.* p. 162. n. 6.

EX JONA.

Cap. 1. 2. 3. *Surge, & vade in Niniven... Et ſurrexit Jonas, ut fugeret, &c.* p. 340. n. 18.

V. 10. *Cognoverunt viri, quòd à facie Domini fugeret.* Ibid.

Cap. 2. 1. *Et præparavit Dominus piſcem grandem, & deglutivit Jonam.* Ibid.

Cap. 4. 2. *Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharſis: ſcio enim, quia tu Deus clemens.* Ibid.

EX HABACUC.

Cap. 3. 4. 5. 6. *Cornua in manibus ejus. Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus. Egredietur diabolus... Aſpexit, & diſſolvit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi. Incurbati,* &c. p. 139. n. 10. & p. 169. n. 8.

EX SOPHONIA.

Cap. 1. 3. *Diſperdam homines à facie terra, dicit Dominus.* p. 24. n. 11.

V. 5. *Diſperdam... eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchom.* p. 249. n. 10.

V. 8. *Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* p. 24. n. 11.

EX ZACHARIA.

Cap. 3. 9. *Super lapidem unum ſeptem oculi.* p. 114. n. 4.

Cap. 4. 10. *Iſti ſunt oculi Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram.* p. 222. n. 4.

Cap. 6. 1. *Et vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.* p. 273. n. 5.

V. 2. *In quadrigâ primâ equi rufi, & in quadrigâ ſecunda equi nigri*, &c. p. 274. n. 5.

V. 4. 5. *Quid ſunt hæc? iſti ſunt quatuor venti.* Ibi n. 8.

Cap. 9. 1. *Domini eſt oculus hominis.* p. 253. n. 4.

EX MALACHIA.

Cap. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* p. 167. n. 1.

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

Cap. 1. 1. *Percuſſit Darium Regem Perſarum, conſtituit prælia multa.* &c. p. 222. n. 6.

V. 11. *Exijt ex eis radix peccatrix, Antiochus illuſtris.* p. 262. n. 17.

EX LIBRO II. MACHABÆORUM.

Cap. 7. 28. *Peto, nate, ut aſpicias ad cælum.* p. 243. n. 8.

V. 39. *Rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudelius deſævit.* Ibid.

Cap. 10 24. *Timotheus convocato exercitu peregrinæ multitudinis, &c.* p. 150. n. 14.

V. 29. *Cùm vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſarijs de cælo viri quinque*, &c. Ibid.

V. 30. *In adverſarios autem tela, & fulmina jactebant.* p. 151. n. 16.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

Cap. 2. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus, &c.* p. 50. n. 10. & p. 216. n. 9. & p. 265. n. 3.

V. 7. *Ut & ego veniens adorem eum.* p. 216. n. 9.

V. 9. *Stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos uſque*, &c. p. 52. n. 15.

V. 11. *Invenerunt puerum cum matre ejus.* p. 50. n. 10.

Ibid. *Procidentes adoraverunt eum.* p. 48. n. 7.

V. 13. *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* p. 233. n. 7.

V. 14. *Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius, &c.* p. 338. n. 14.

Cap. 3. 16. *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*, &c. p. 368. n. 2.

Cap. 4. 2. *Cùm jeiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* p. 255. n. 10.

V. 3. *Si filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* p. 313. n. 4.

V. 8. *Oſtendit ei omnia regna mundi, & dixit, &c.* p. 116. n. 10.

V. 11. *Tunc reliquit eum diabolus.* p. 117. n. 11.

Cap. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* p. 372. n. 15.

V. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* p. 265. n. 3.

V. 29. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* p. 206. n. 4.

Cap. 6. 1. *Attendite nè juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* p. 253. n. 3.

V. 3. *Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* p. 113. n. 1. & p. 256. n. 12.

V. 23. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* p. 35. n. 5.

Cap. 7. 11. *Si vos, cùm ſitis mali, ſcitis bona dare filijs veſtris: quanto magis pater veſter, &c.* p. 347. n. 12.

Cap. 8. 5. *Acceſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, &c.* p. 327. n. 14.

V. 7. *Ego veniam, & curabo eum.* p. 118. n. 14.

V. 10. *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* p. 327. n. 15.

V. 31. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite.* p. 271. n. 22.

V. 34.

V. 34. *Et ecce tota civitas*, &c. Ibid.
Cap. 9. 10. *Impone manum tuam super eam, & vivet.* p. 167. n. 3.
V. 25. *Tenuit manum ejus. Et surrexit puella.* p. 166. n. 16.
Cap. 10. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* p. 363. n. 17.
Cap. 11. 15. *Qui habet aures audiendi, audiat.* p. 319. n. 9.
V. 25. *Pater, Domine cæli, & terra.* p. 378. n. 20.
V. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* p. 351. n. 24.
Cap. 12. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* p. 314. n. 7.
Cap. 13. 44. *Præ gaudio illius vadit, & vendit universa.* p. 237. n. 18.
Cap. 14. 28. *Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas.* p. 345. n. 5.
V. 30. *Videns verò ventum validum, timuit*, &c. Ibid.
Cap. 15. 22. *Miserere mei Domine fili David, filia mea male à dæmonio vexatur.* p. 262. n. 15.
Cap. 16. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi.* 324. n. 6.
V. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona. Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Ibi n. 8.
Cap. 17. 5. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus*, &c p. 312. n. 2.
V. 26. *Vade ad mare, & mitte hamum*, &c. p. 338. n. 13.
Cap. 18. 8. 9. *Si autem pes tuus scandalizat te ... & si oculus tuus scandalizat te, erue eum ... Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm*, &c. p. 44. n. 10. & p. 206. n. 5. & p. 252. n. 17.
Cap. 19. 22. *Abijt tristis.* p. 237. n. 18.
V. 27. *Reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* p. 246. n. 3.
Cap. 20. 20. *Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi adorans.* p. 215. n. 5. & p. 246. n. 3.
V. 21. *Dic, ut sedeant ij duo filij mei, unus*, &c. Ibid.
V. 22. *Respondens autem Jesus dixit: Nescitis quid petatis.* Ibi n. 7.
Cap. 23. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ.* p. 259. n. 7.
V. 5. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* p. 253. n. 2.
V. 15. *Circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proselytum.* p. 259. n. 9.
Cap. 24. 27. *Sicut fulgur exit ab oriente: ita erit adventus filij hominis.* p. 161. n. 5.
Cap. 25. 12. *Amen dico vobis, nescio vos.* p. 334. n. 16.
Cap. 26. 36. *Tunc discipuli relicto eo fugerunt.* p. 233. n. 5.
V. 64. *Dico vobis, amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.* p. 92. n. 10.
Cap. 27. 35. *Crucifixerunt eum.* p. 235. n. 12.
V. 42. *Descendat nunc de cruce, & credimus ei.* p. 239. n. 24.
V. 54. *Verè filius Dei erat iste.* p. 213. n. 5.

EX MARCO.

Cap. 3. 15. *Dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* p. 254. n. 9.
Cap. 6. 27. *Decollavit eum in carcere.* p. 235. n. 12.
Cap. 10. 32. *Et præcedebat illos, & stupebant.* p. 241. n. 1.
V. 38. *Potestis bibere calicem?* p. 237. n. 20.
Cap. 14. 65. *Cœperunt velare faciem ejus.* p. 319. n. 8.
Cap. 15. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* p. 125. n. 11.
Cap. 16. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* p. 316. n. 13.
V. 17. *Linguis loquentur novis.* Ibid.
Ibid. *In nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent*, &c. p. 152. n. 5.
Cap. 22. 44. *Apparuit autem illi Angelus confortans eum.* p. 238. n. 21.

EX LUCA.

Cap. 1. 15. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* p. 101. n. 14.
V. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* p. 98. n. 5.
V. 36. *Ecce Elisabeth ... Vocatur sterilis.* p. 321. n. 12.
V. 66. *Etenim manus Domini erat cum illo.* p. 101. n. 15.
Cap. 2. 29. *Nunc dimitis servum tuum*

Domine ſecundum verbum tuum in pace. 112. n. 15.

V. 34. 35. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem ... Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* p. 109. n. x. & p. 112. n. 15.

Cap. 4. 7. *Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia.* p. 217. n. 13.

V. 29. 30. *Duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis. Ipſe tranſiens*, &c. p. 233. n. 7.

Cap. 6. 18. *Venerant, ut audirent eum, & ſanarentur*, &c. p. 364. n. 4.

Cap. 7. 3. *Miſit ad eum ſeniores Judæorum, rogans eum, ut veniret.* p. 327. n. 15.

V. 12. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ ... Tibi dico: ſurge.* p. 117. n. 11. & p. 166. n. 16.

V. 25. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid*, &c. p. 23. n. 8.

V. 39. *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret, quæ, & qualis eſt mulier*, &c. p. 320. n. 11.

Cap. 8. 18. *Videte, quomodo audiatis.* p. 357. n. 1.

V. 43. *In medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam: nec ab ullo potuit curari.* p. 275. n. 9.

Cap. 9. 9. *Et quærebat videre eum.* p. 364. n. 2.

V. 14. *Facite illos diſcumbere.* p. 352. n. 25.

V. 16. *Reſpexit in cælum, & benedixit*, &c. Ibi n. 26.

V. 23. *Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam.* p. 234. n. 9.

V. 29. 31. *Et facta eſt ſpecies vultûs eius altera. Dicebant exceſſum*, &c. p. 230. n. 15.

V. 33. *Neſciens quid diceret.* p. 367. n. 12.

V. 38. *Magiſter reſpice filium meum*, &c. p. 168. n. 3.

V. 53. *Et non receperunt eum: quia facies eius erat euntis in Jeruſalem.* p. 230. n. 14. & p. 120. n. 19.

V. 62. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* p. 207. n. 7.

Cap. 10. 31. *Accidit ut ſacerdos quidam deſcenderet, ſimiliter & Levita*, &c. p. 121. n. 19.

V. 40. *Martha ſatagebat circa frequens miniſterium: quę ſtetit, & ait Domine, non eſt tibi curæ*, &c. p. 277. n. 18.

Cap. 11. 34. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus*, &c. p. 26. n. 7. & p. 34. n. 4.

V. 46. *Et vobis Legis peritis væ: quia oneratis homines oneribus ... & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* p. 267. n. 10.

Cap. 12. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te.* p. 311. n. 14.

V. 35. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris.* p. 268. n. 13.

V. 50. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor*, &c. p. 237. n. 20.

Cap. 14. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.* p. 276. n. 14.

V. 21. *Exi citò in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, & deviles*, &c. Ibi n. 15.

V. 22. *Ait ſervus, Domine, factum eſt, ut imperaſti*, &c. Ibid.

Cap. 15. 20. *Vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt*, &c. p. 96. n. 12.

Cap. 16. 31. *Si Moyſem, & prophetas non audiunt, neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.* p. 326. n. 11.

Cap. 21. 9. *Cùm audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri ... ſurget gens contra gentem*, &c. p. 138. n. 7.

V. 27. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate*, &c. p. 92. n. 10.

Cap. 22. 33. *Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire.* p. 233. n. 6.

V. 38. *Ecce duo gladij. Satis eſt.* p. 268. n. 13.

V. 43. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.* p. 124. n. 8.

V. 61. *Converſus Dominus reſpexit Petrum. Et egreſſus foras Petrus flevit amare.* p. 169. n. 7.

Cap. 23. 8. *Erat cupiens ex multo tempore videre eum.* p. 364. n. 2.

V. 11. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit*, &c. Ibid.

V. 48. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum ... percutientes pectora ſua revertebantur*, p. 272. n. 22.

V. 49. *Stabant autem omnes noti eius à longe.* n. 11. p. 125.

EX JOANNE.

Cap. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* p. 162. n. 5.
V. 20. *Non ſum ego Chriſtus*, &c. *Ego vox clamantis.* p. 342. n. 25.
Cap. 3. n. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit*, &c. p. 159. n. 11.
V. 31. *Qui de terra eſt, de terra eſt, & de terra loquitur.* p. 313. n. 6.
Cap. 4. 9. *Quomodo tu Judæus cùm ſis, bibere a me poſcis?* p. 120. n. 19.
Ibi. *Non coutuntur Judæi Samaritanis.* p. 121. n. 20.
Cap. 5. 14. *Ecce ſanus factus es: noli peccare: nè deteriùs tibi aliquid contingat.* p. 166. n. 16.
Cap. 6. 12. *Ut autem impleti ſunt... impleverunt duodecim cophinos*, &c. p. 247. n. 4.
V. 56. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* p. 325. n. 10.
V. 69. *Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes.* p. 367. n. 13.
Cap. 8. 59. *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe.* p. 233. n. 7.
Cap. 9. 7. *Vade, & lava in natatoria Siloe. Abijt ergo, & lavit, & venit videns.* p. 362. n. 15.
Cap. 11. 2. *Lazarus infirmabatur.* p. 118. n. 13.
V. 3. *Miſerunt ſorores ejus ad eum*, &c. p. 117. n. 11.
V. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* p. 119. n. 15.
V. 11. *Lazarus amicus noſter dormit.* p. 118. n. 14.
V. 16. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* p. 233. n. 5.
V. 35. *Lacrymatus eſt Jeſus.* p. 108. n. 4.
V. 43. *Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt ... ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies ejus ſudario erat ligata.* p. 337. n. 9.
V. 44. *Solvite, & ſinite abire*, p. 166. n. 16.
Cap. 12. 32. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* p. 271. n. 21.
Cap. 14. 7. *Amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.* p. 312. n. 2.
V. 8. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Ibid.
Cap. 19. 28. 29. *Sitio. Spongiam plenam aceto*, &c. *Tradidit ſpiritum.* p. 240. n. 27.
Cap. 20. 1. 3. *Maria Magdalene venit manè ... Exit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.* p. 325. n. 10.
V. 12. *Vidit duos Angelos in albis.* Ibid.
V. 19. *Cùm eſſet ſerò die illo ... venit Jeſus.* p. 99. n. 10.
V. 28. *Dominus meus, & Deus meus.* p. 324. n. 5.
V. 29. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* p. 114. n. 3. & p. 323. n. 5.
Ibid. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* p. 325. n. 8.
Cap. 21. 15. 16. 17. *Paſce agnos meos. Paſce agnos meos. Paſce oves meas.* p. 166. n. 15. & p. 270. n. 19.
V. 18. *Cùm autem ſenueris, alius te cinget*, &c. p. 235. n. 14.
V. 19. *Hoc autem dixit, ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deum.* Ibid. & p. 270. n. 19.

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 1. 11. *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum.* p. 244. n. 12.
Cap. 2. 4. 11. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui ... Magnalia Dei.* p. 316. n. 13.
Cap. 3. 9. *Vidit omnis populus eum ambulantem*, &c. p. 271. n. 20.
Cap. 4. 1. 3. *Loquentibus autem illis ad populum, injecerunt in eos manus.* p. 271. n. 20.
Cap. 5. 12. *Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna.* p. 167. n. 5.
V. 15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos ... ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret*, &c. Ibid.
Cap. 7. 58. *Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* p. 242. n. 5.
V. 55. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis*, &c. Ibid.
Cap. 9. 4. 5. *Et cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule*, &c. p. 355. n. 7.
V. 9. *Surrexit autem Saulus de terra, aper-*

apertiſque oculis nihil videbat. p. 368. n. 3.

Cap. 12. 2. *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* p. 146. n. 4.

V. 5. *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri*, &c. p. 55. n. 12.

EX EPISTOLA PAULI AD ROMANOS.

Cap. 2. 22. *Qui dicis non mœchandum mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis?* p. 267. n. 9.

Cap. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia?* &c. p. 31. n. 8.

V. 38. *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita*, &c. Ibid.

Cap. 10. 15. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* p. 224. n. 11.

Cap. 15. 18. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus.* p. 266. n. 8.

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap. 4. 21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* p. 93. n. 3.

Cap. 6. 18. *Fugite fornicationem.* p. 31. n. 8.

Cap. 9. 19. *Cùm eſſem liber ex omnibus, omnium me ſervum feci... & factus ſum Judæis tanquam Judæus... omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* p. 228. n. 6.

Cap. 13. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* p. 324. n. 6.

Cap. 15. 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſsimus Adam in ſpiritum vivificantem.* p. 49. n. 9.

V. 47. *Primus homo de terra terrenus: ſecundus autem de cælo cæleſtis.* Ibid.

V. 50. *Caro, & ſanguis regnum Dei poſsidere non poſſunt.* p. 345. n. 6.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 1. 16. *Continuo non acquievi carni, & ſanguini.* p. 345. n. 6.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 6. 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem.* p. 345. n. 6.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. 8. *Factus obediens uſque ad mortem.* p. 268. 9. 11.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 2. 14. 15. *Chirographum decreti... tulit de medio affligens illud cruci: & expolians*, &c. p. 137. n. 3.

Cap. 3. 22. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes.* p. 252. n. 2.

EX EPIST. II. AD TIMOTHEUM.

Cap. 3. 2. *Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſine affectione.* p. 107. n. 2.

Cap. 4. 7. *Bonum certamen certavi.* p. 242. n. 4.

V. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Ibid.

EX EPIST. AD. TITUM.

Cap. 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos.* p. 366. n. 9.

Cap. 3. 4. *Humanitas apparuit Salvatoris noſtri.* Ibid.

EX EPISTOLA JACOBI.

Cap. 1. 26. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio.* p. 314. n. 8.

Cap. 2. 2. 3. *Si introjerit in conventum veſtrum vir aureum anulum habens, introjerit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara*, &c. p. 132. n. 6.

V. 10. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* p. 371. n. 13.

Cap. 3. 5. *Ecce quantus ignis, quàm magnam ſylvam incendit.* p. 34. n. 1.

Cap. 5. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſerijs veſtris.* p. 309. n. 9.

V. 3. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſsimis diebus.* p. 310. n. 10.

V. 4. *Ecce merces operariorum, qui meſſue-*

ſuerunt regiones veſtras... clamat. Ibid.

EX EPIST. I. PETRI.

Cap. 1. 8. *Jeſu-Chriſti, quem cùm non videritis, diligitis... credentes autem exultabitis lętitia in enarrabili.* p. 369. n. 4.

EX EPIST. II. PETRI.

Cap. 1. 5. 6. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam,* &c. p. 152. n. 2.

V. 9. *Cui non preſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans.* Ibid.

V. 16. 19. *Speculatores facti illius magnitudinis. Habemus firmiorem propheticum ſermonem,* &c. p. 325. n. 9.

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. 10. 12. 17. *Audivi poſt me vocem magnam,* &c. *Converſus ſum, ut viderem vocem... Et cùm vidiſſem, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus... De ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat.* p. 375. n. 9.

V. 13. 14. 16. *Similem filio hominis... Oculi ejus tamquam flamma ignis... Et facies ejus ſicut ſol,* &c. p. 90. n. 6. & p. 91. n. 8.

Cap. 2. 5. *Memento unde excideris, & age pœnitentiam.* p. 90. n. 6.

Cap. 4. 6. *Quatuor animalia plena ſunt oculis.* p. 104. n. 7. & p. 117. n. 10. & p. 121. n. 2.

Cap. 5. 6. *Et vidi agnum tamquam occiſum habentem oculos ſeptem... miſſi in omnem terram.* p. 221. n. 4.

Cap. 6. 15. *Aſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium,* &c. p. 113. n. 18.

Cap. 7. 9. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* p. 43. n. 7.

Cap. 14. 14. *Et vidi, & ecce... ſimilem filio hominis habentem in manu ſuâ falcem acutam.* p. 332. n. 11.

Cap. 19. 16. *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* p. 225. n. 12.





INDEX
RERUM NOTABILIUM PRO Diſſertationibus.

A

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum abſit à templis. p. 302. n. 6.

Acceptio perſonarum non eſt apud Deum. p. 264. n. 19.

Adinventiones.

Adinventiones peccatorum quàm Deum irritent. p. 33. n. 13.

Admiratio.

Admiratio melior laus. p. 224. n. 11.

Adoratio.

Adoratio ambitioſa. p. 215. n. 5.

Adoratio impia. p. 216. n. 9.

Adverſitas.

Adverſitate reddimur ſapientiores p. 354. n. 5.

Adulatio. Vide *Aſſentatio.*

Adulatio erga principes. p. 175. n. 12.

Adulatio peſtis Regum. p. 254. n. 5.

Adulatio cavenda perfectis. Ibid.

Adulatio eſt velamen oculorum. p. 360. n. 10.

Adulatio diſsipat viam ſalutis. p. 361. n. 12.

Adulationis finis decipere. Ibid.

Adulatores.

Adulatores vitandi. p. 359. n. 5.

Adulatores velut corvi. p. 360. n. 10.

Ædificia.

Ædificia ad pompam. p. 275. n. 12.

Ærumnæ.

Ærumnæ viſę plus movent, quàm auditæ. p. 177. n. 11.

Ætas.

Ætas non obeſt caſtitati. p. 30. n. 4.

Æterna.

Æterna tantùm p. 207. n. 7. & p. 208. n. 9. & p. 231. n. 15. & p. 242. n. 6. & p. 246. n. 2.

Æternorum faſtidium. p. 237. n. 18.

Æternorum oblivio fons tepiditatis. p. 244. n. 10.

Æternorum cognitio. p. 245. n. 15.

Æternorum memoria pericula deſpicit. p. 346. n. 7.

Æterna quærentibus temporalia deeſſe non poſſunt. p. 350. n. 18.

Affectiones.

Affectiones animi in ſapientem cadunt. p. 106. n. 2.

Agricultura.

Agricultura ſpiritalis. p. 207. n. 7.

Agricultura melior. p. 352. n. 26.

Alatus.

Alatus qui oculatus. p. 117. n. 10.

Alexander.

Alexandri mores cum veſte corruptæ. p. 23. n. 9.

Alexandri celeritas. p. 222. n. 5.

Alphonſus rex Caſtellæ.

Alphonſi regis laus. p. 136. n. 1. & p. 144. n. 23.

Alphonſi regis Luſitaniæ fides egregia. p. 327. n. 14.

Ambitio.

Ambitio vilis, & turpis. p. 214. n. 3.

Ambitio crudelis, & timida. p. 216. n. 9.

Ambitio ſervilis. p. 218. n. 16.

Ambitio tirana. p. 223. n. 7.

Ambitio inexplebilis. p. 216. n. 10. & 18.

Ambitio fortior diaboli machina. p. 217. n. 11.

Ambitio etiam reges tangit, & turpiter humiliat. p. 219. n. 18.

Ambitionis depreſsio turpior in viris, quàm in feminis. p. 215. n. 7.

Ambitio pietate velatur. Ibid. n. 8.

Ambitioſus.

Ambitioſus ſimilis camello. p. 214. n. 3.

Ambitioſus ſua curat, non patroni. Ibid. n. 4.

Ambitioſus adorabit vel dæmonem, & truncos. p. 217. n. 12. & p. 219. n. 16.

Ambitioſus Idolatra. p. 217. n. 14.

Ambitioſus ſe dejicit ad ſordida, & ridicula. p. 218. n. 15.

Ambitioſi labor. Ibid. n. 16.

Index Rerum notabilium.

Ab Ambitioſis dedignatur diabolus adorari. p. 217. n. 12.

Amici.

Amici veri. p. 124. n. 7.
Amicorum præſentia miſerorum ſolatium. p. 123. n. 7.
Amicis non fidendum. p. 225. n. 11.
Ab amicis deſeri quanta pœna. Ibid.

Amor.

Amores contrarij *Cupido*, & *Anteros*. p. 43. n. 6.
Amores duo: purus, & impurus; uterque puer p. 46. n. 1.
Amor amore vincitur. p. 43. n. 6.
Amor durus. Ibid. n. 7.
Amor profanus turpis. p. 47. n. 3.
Amorem turpem libido finxit deum. p. 46. n. 1.
Amor curioſus. p. 226. n. 1.
Amor ab oculis. p. 47. n. 4.
Amor divinus puer factus à Virginitate. Ibid. n. 2.
Amor verus. p. 254. n. 7.
Amor nihil timet. p. 48. n. 5.
Amor nudum Chriſtum amat. p. 50. n. 12.
Veri amoris idea, & examen. p. 51. n. 14.
Amoris ſancti vinculum. p. 229. n. 10.

Dei Amor.

Dei amor in nos. p. 117. n. 11.
Amor in Deum. Vide *Nil præter Deum.*
Deus amandus cùm deprimit. p. 248. n. 6.
In Deo aliquid præter Deum amamus. Ibid. n. 3.
Deus propter ſe ſolum quærendus. Ibid. n. 5.
Aut nullum, aut totum Deus requirit affectum. p. 250. n. 10.

Amor proprius.

Amor proprius erga alios impius. p. 107. n. 3.
Amor proprius zelo caret animarum. p. 340. n. 18.
Amor ſui. p. 339. n. 17.

S. Andreas Apoſtolus.

Andreas primus Chriſti aſſecla. p. 231. n. 1.
Andreæ ad Chriſtum conformitas. p. 332. n. 2.
Andreæ amor erga crucem ferventiſſimus. p. 236. n. 17.
Andreæ fortitudo. Provocavit crucem Davide animoſior. p. 232. n. 4.
Andreas fugit crucem in horto, ut ardentius invaderet. p. 234. n. 7.
Andreas homo divinus. Deo ſimilis. Ibid. n. 9. & 10.
Andreæ, & Chriſti inſigne, crux. Ibid. n. 11.
Quare crux Andreæ reſſera, & non Petri. p. 235. n. 14.
Andreæ tormentum extra crucem. p. 237. n. 19.
Andreæ crux dulcis. p. 238. n. 21.
Andreas dupliciter martyr: & deſiderio, & cruce. Ibid. n. 23.
Andreæ ſummum gaudium in cruce. p. 239. n. 24.
Andreas mortuus eſt defectu tormentorum. p. 240. n. 7.

Angeli.

Angeli pro fidelibus militantes. p. 150. n. 14.
Angeli fulminibus dimicant. Ibid. n. 16.
Angeli exactores Dei. p. 311. n. 14.

Anima.

Animæ ſalus vilior eſt nobis, quàm corporis. p. 32. n. 10.
Anima pendet ab oculis. p. 208. n. 9.
Animæ ſalus incerta. p. 262. n. 15.

Animalia.

Animalia infirma celeriora fortioribus. p. 31. n. 7.

Apatia.

Apatia, ſivè indolentia vitium maximum, & radix caterorum. p. 107. n. 2.

Apoſtatæ.

Apoſtatæ blanditijs trahendi. p. 166. n. 16.

Apoſtoli.

Apoſtolus idem, quod miſſus. p. 222. n. 4.
Apoſtolorum ornatus plurimæ facies. p. 228. n. 6.
Apoſtolorum inſignia. p. 234. n. 11.
Apoſtolorum tolerantias potentior miraculis. p. 271. n. 20.
Apoſtoli ab Angelis caſtigati, cur. p. 245. n. 13.
Apoſtolis cur novæ linguæ datæ. p. 316. n. 13.
Apoſtolicorum virorum pedes oculati. p. 221. n. 2.
Apoſtoli Chriſti prædones. p. 269. n. 15.

Argumentum.

Argumentum de S. Lucia Virg. p. 41. n. 1.
Argumentum in Chriſti Nativitate. p. 46. n. 1.
Argumentum pro die judicij. p. 89. n. 1.
Argumentum in Conceptione Beatiſsimæ Virg.

Virg. Mariæ. p. 97. n. 1.
Argumentum in festo Triùmphi S. Crucis. p. 136. n. 1.
Argumentum de S. Jacobo Apostolo. p. 145. n. 1.
Argumentum de S. Benedicto Abbate. p. 150. n. 1.
Argumentum de S. Ignatio Loiolæ. p. 156. n. 1.
Argumentum de S. Francisco Xaverio. p. 220. n. 1. & p. 226 n. 1.
Argumentum de S. Andrea Apostolo. p. 231. n. 1.
Argumentum de S. P. N. Francisco. p. 343. n. 1.
Argumentum de S. Ludovico Rege. p. 322. n. 1.

Assentatio. Vide. *Adulatio.*

Assentatio vilis. p. 261. n. 12.

Aspectus.

Aspectus impudici. p. 211. n. 7.

Avaritia.

Avaritiæ clamore provocatur ira Dei. p. 309. n. 10.

Avarus.

Avaros Æterna pœna manet. p. 309. n. 10.
Avarorum peccata. p. 310. n. 11.

Audacia. Audax.

Audacia summa prædicare, quę non facis. p. 266. n. 8.
Audaces ad luxuriam, in cæteris delicati. p. 32. n. 9.

Audire. Auditus. Auditor.

Audire cur videre est. p. 312. n. 1.
Audire obedire est. p. 370. n. 9.
Auditus falax: oculus veracior. p. 357. n. 1.
Auditu exacuitur visus. Ibid. n. 3.
Auditus ad meritum, visus ad præmium. p. 369. n. 5.
Auditus dux ad beatitudinem. p. 370. n. 8.
Notitia ab auditu, quàm à visu certior. p. 313. n. 8.
Auditores diaboli, cæci. p. 358. n. 4.

Auris.

Aures ad videndum habent credentes facilè. p. 319. n. 1. & 2.
Aures illuminatæ luce divinâ. p. 322. n. 1.
Aures meliùs quàm oculi divina speculantur. p. 323. n. 3.
Aures ut oculis feliciores. p. 363. n. 1.
Aures aperiuntur timore pœnę. p. 373. n. 2.
Auris purganda, ut oculus colluſtretur. p. 362. n. 17.

B

Beneficencia.

Beneficentia est videre miseros. p. 115. n. 6.

Beneficia.

Beneficia memoranda. p. 115. n. 7.
Beneficia clàm conferenda. p. 312. n. 3.

Bona temporalia. Vide *Vanitas.*

Bona temporalia solos oculos oblectant. p. 127. n. 4.
Bona terrena solo nomine jucunda. p. 357. n. 2.

Bona opera.

Bona opera occultanda. p. 253. n. 3.

C

Cæcitas.

Cæcitas est carentia virtutum. p. 152. n. 2.
Cæcitas allegorica. p. 335. n. 2. & p. 345. n. 6.
Cæcitas origo surditatis. p. 353. n. 2.

Cæcus.

Qui cæcus idem & mancus. p. 114. n. 2.
Cæci sagacioris auditus, & ingenij esse solent. p. 353. n. 1.
Cæci qui doctissimi. Ibid.
Cæci cur melius audiant. Ibid.
In spiritualibus cæci, qui surdi. Ibi n. 2.

Cælum. Vide *Præmium.*

Pro cælo laborandum. p. 242. n. 6.
Constantia ex contemplatione cęli. Ibi n. 5.
Cælum æquè patet omnibus. p. 243. n. 8.
Cæli cogitatio ad martyrium inflammat vel pueros. Ibid.
Cæli contemplatio doctrina morum. Ibi n. 9.
Cælum intueri solius est hominis. p. 245. n. 12.
Cælum spectant oculi justorum; impiorum terram. Ibid.
Cælum vix amamus, nisi à mundo spreti. p. 257. n. 15.

Cain.

Cain cur causa diluvij. p. 263. n. 18.

Cantilenæ.

Cantilenæ turpes. p. 315. n. 11.

Caro.

Carnis peccata fugâ vincuntur. p. 31. n. 7.

Caſtitas.

Caſtitas non ſine pugna. p. 43. n. 7. Caſtitatis cura. p. 307. n. 3.

Charadrius.

Charadrij oculi ſalutares. Eſt Chriſti figura. p. 168. n. 6.

Charitas.

Charitas erga proximum. p. 46. n. 12.

Charitas congaudet proximorum bonis. p. 348. n. 14.

Chariſsima, eadem damnoſiſsima. p. 25. n. 1.

Cathedra.

Cathedra peſtilentię quæ. p. 259. n. 7.

Chriſtianus.

Chriſtianorum gloria hoſtes fidei debellare. p. 146. n. 3.

Chriſtianos milites multitudo infidelium non terreat. p. 150. n. 14.

Chriſtianè non vivit, qui Chriſtianè non loquitur. p. 314. n. 8.

Semi-Chriſtiani Deo valde exoſi. p. 249. n. 10.

Chriſtus. Vide *Jeſus.*

Chriſtus pulcerrimus omnium. p. 48. n. 6.

Chriſti pulcritudo tempeſtiva, & ſolida. p. 49. n. 8.

Chriſtus cur infans natus eſt, ſecùs atque Adam. Ibi n. 8.

Chriſtus ſecundus Adam, cæleſtis. Ibid.

Chriſtum naſci parvulum, ingenium amoris. Ibid.

Chriſtus piè quęrendus. p. 50. n. 10.

In Chriſto nil præter Chriſtum. Ibi n. 12.

Chriſtus in ſumma paupertate natus. p. 51. n. 13.

Chriſtus, quâ columba, maximè timendus. p. 91. n. 9.

Chriſtus ut homo, ſeveriſsimus Judex. p. 92. n. 10.

Chriſtus cum tranquillitate iraſcitur. Ibi n. 11.

Chriſtus in cruce ſignum ad ſagittam. p. 109. n. 8.

Chriſtus caput Martyrum: nobiliſsimum membrum Maria. p. 110. n. 11.

Chriſtus vitæ, & mortis arbiter. p. 119. n. 15.

Chriſtus minora beneficia negat, ut majora donet. Ibid.

Chriſtus qualiter ab Angelo conformatus. p. 124. n. 8. & 9.

Chriſtus moriendo vicit. p. 137. n. 4.

Chriſtus enſe armatus, & ſagittis. p. 138. n. 8.

Chriſtus in cruce pereuntium ſalus. p. 159. n. 9.

Chriſtus fulgur, & pluvia. p. 161. n. 5.

Chriſtus ut Agnus tollit peccata: ut Leo perdit peccatores. p. 162. n. 6.

Chriſtus baſiliſcus; ſed qui occidit ad vitam. p. 170. n. 9.

Chriſtus erga peccatores patientiſsimus omnium. Ibi n. 10.

Chriſtus ſoli comparatus. Apollo noſter. p. 167. n. 1.

Chriſtus duriorem mortem elegit. p. 233. n. 7.

Chriſtus in horto. p. 237. n. 21.

Chriſtus per ardua ſequendus. p. 248. n. 6.

Chriſtus non damnavit publica opera virtutum. p. 256. n. 12.

Chriſtus quomodo quærendus. p. 327. n. 15.

Chriſtus audiendus, vel cùm maximè fulget. p. 367. n. 12.

Chriſti benignitas amorem ſerit. p. 50. n. 10.

Chriſti humilitas. p. 51. n. 13.

Chriſti facies, vel cùm docet, exterret. p. 90. n. 6.

Chriſti facies in judicio quomodo diverſa. p. 92. n. 11.

Chriſti irati facies terribilior morte. p. 113. n. 18.

Chriſti facies velata malum Judæorum omen. p. 171. n. 12.

Chriſti facies terribilior quàm vox. p. 375. n. 9.

Chriſti plurimæ facies. p. 231. n. 15.

Chriſti patientis majeſtas vultus. p. 171. n. 12.

Chriſti conſpectus reſurrectio mortuorum. p. 118. n. 12.

Chriſti præſentia vitam halat: abſentiâ moritur homo. p. 119. n. 16.

Chriſti oculi tàm ſalutares, quàm manus. p. 167. n. 1.

Chriſti reſpectus lacrymas elicit. p. 160. n. 2.

A Chriſto non videri mors infeliciſsima. p. 171. n. 12.

Chriſti imago ſalutaris. p. 159. n. 9.

Chriſti præſentia in mente. p. 327. n. 15.

Chriſti Incarnatio mundum ſubjugavit. p. 268. n. 11.

Chriſti Epiphania. p. 48. n. 7.

Chriſti Transfiguratio. p. 366. n. 11.

Chriſti Paſsio duriſsimum pijs mentibus ſpectaculum. p. 116. n. 8.

Chriſti Paſsio. p. 125. n. 11. & p. 156. n. 2.

Chriſti Aſcenſio fervoris ſtimulus. p. 245. n. 13.
Chriſti Adventus duplex ; ſed valde diſpar. p. 161. n. 5.
Chriſti erga crucem affectus. p. 232. n. 1.
Chriſti extra crucem anguſtiæ. p. 237. n. 20.
Chriſti delitiæ, ſuplicia , & crux. p. 238. n. 22. & 24.
Chriſti feſtinatio in mortem. p. 241. n. 1.
Chriſti ſitis in cruce. p. 240. n. 27.
Chriſti imitatio. p. 239. n. 24.
Chriſti ſequela ob commoditates temporales. p. 246. n. 3. & ob pellendam famen. p. 247. n. 4.
Chriſti liberalitas. p. 119. n. 16.
Chriſti patientia non irritanda. p. 139. n. 9.
Chriſti doctrina potentiſsima ad trahendas animas. p. 367. n. 13.
Chriſto magis animo , & fide , quàm corpore proximamus. p. 327. n. 15.
Chriſtum audire , melius quàm videre. p. 363. n. 1.
Chriſtum videre velle , & non audire herodianum eſt. Ibid. n. 2.
Chriſti humanitas tota vocalis. p. 366. n. 9.

Chriſopæia.

Chryſopæia ſpiritualis. 236. n. 17.

Circumſpectio.

Circumſpectio omnibus neceſſaria. p. 35. n. 5.
Circumſpectio etiam viris perfectis neceſſaria. p. 207. n. 6.

Claudicantes.

Claudicantes præ omnibus infelices: alieni reputantur à Deo. p. 250. n. 13.

Clementia.

Clementia priùs. p. 165. n. 14.
Clementia in Superiore. p. 245. n. 15.
Clementia impia. p. 250. n. 12.

Climax.

Climax , ſeu gradatio in Scriptura. p. 152. n. 2.

Cogitatio.

Cogitatio quæ ab oculis validior omnibus. p. 27. n. 9.
Cogitationum pravarum damna. Ibid.

Color.

Color hyacinthinus cæleſtia repræſentat. p. 21. n. 4.

Comœdię.

Comediæ. p. 210. n. 4.

Commoditas.

Commoditates privatę. p. 94. n. 4.

Compaſsio.

Compaſsio æquivalet paſsioni. p. 109. n. 9.

Compati.

Compati renuentes. p. 120. n. 18.
Afflictis non compati valde impium. p. 125. n. 12.
Compati infirmis. p. 234. n. 9.
Compati lapſis. 262. n. 13.
Compati neſcientes , imperfectiores eſſe ſolent. p. 317. n. 3. & p. 318. n. 6.

Concionator.

Concionator faciem induret contra obſtinatos. p. 132. n. 4.
Concionator nullum expaveat. Ibi n. 5.
Concionator audeat in rebelles. p. 134. n. 10.
Concionator ſine operibus , prędica. p. 266. n. 7.
Concionatores ſunt voces Dei. p. 343. n. 25.
Concionatores falſi. p. 361. n. 13.
Concionatoris vultus acer in impios. p. 374. n. 8.
Concionatores blandi. p. 378. n. 18.

Concordia.

Concordia fratrum. p. 252. n. 16.

Confeſſarij.

Confeſſarij non facilè moveantur ad preces feminarum. p. 118. n. 14.
Confeſſarij ſi ſint erga inopes acres , & blandi erga divites. p. 132. n. 6.
Confeſſarij divitum peccata non palpent. p. 133. n. 7.
Confeſſarij nimis auſteri. p. 166. n. 17.
Confeſſariorum nimia blanditie obſtinantur ſuperbi. p. 134. n. 9.

Confidentia.

Confidentia vana in Deo. p. 32. n. 11.
Confidentia vana peccatorum. p. 9 .n. 7.
Confidentia in Deum. p. 117. n. 11. & p. 352. n. 26.
Confidentia in Deum omnia vincit. p. 344. n. 3.
Confidentiæ in Deum fructus. Ibid.
Confidentia in Deum difficilis. Ibi n. 4. & p. 340. n. 19. & p. 350. n. 20.
Confidentia in Deo , non in homine. p. 348. n. 12.
Confidentia in Deum omnem confidentiam ſuperat. Ibi n. 14.
Confidentia hominum multipliciter diviſa. Ibi n. 13.

Conſcientia.

Conſcientia bona judicem non timet: ma-

la torquet. p. 92. n. 11.

Conſiliarius.

Conſilarij impij indigni miſeratione. p. 121. n. 1.

Conſiliarij impij interdum gratiores. p. 220. n. 19.

Conſiliarij impij. p. 358. n. 5.

Conſiliarij veri. p. 329. n. 5.

Conſolatio.

Conſolatio potior ab oculis, quàm à linguâ. p. 123. n. 7.

Conſtantia.

Conſtantia ex contemplatione cęli. p. 242. n. 5.

Contemplatio.

Contemplationis fons. p. 368. n. 3.

Converſio.

Converſio ficta. p. 163. n. 9.

Converſio vera. p. 348. n. 15.

Converſio peccatorum ſolius Chriſti aſpectus eſt opus. p. 169. n. 6.

Converſio ſemi-bonorum rara. p. 251. n. 14.

Converſio animarum, & Gentilium ex Sanctis concionibus. p. 316. n. 13.

Convivia.

Convivia ad pompam. p. 276. n. 14.

Conviviorum luxus in oculorum paſtum. p. 277. n. 16.

Convivia quomodo celebranda. p. 356. n. 11.

Conviviorum luxuria. Ibid.

Cor.

Cordis durities agrè tollitur aſperitate. p. 160. n. 2.

Corda dura leniter caſtiganda: ne magis indureſcant. p. 161. n. 3.

Cordis pœna dirior quàm corporis. p. 238. n. 21.

Correctio.

Correctionis impatiens. p. 130. n. 11.

Correctio ſuavis potentior. p. 266. n. 6.

Correctio oculorum efficatior, quàm virgæ. Ibi n. 2.

Correctio mitis vel duriſsima eliquat. p. 163. n. 9.

Correctio mitis potior zelo, & ſeveritate. p. 269. n. 16.

Correctio indiſcreta. p. 166. n. 15.

Credere.

Credere omnia parvulorum eſt. p. 322. n. 16.

Crux.

Ubi crux, ibi Dominus. p. 116. n. 8.

Crux apparet in cælo regi Alphonſo. p. 136. n. 2.

Crux vexillum Chriſti, & ſceptrum. p. 137. n. 3.

In Triumpho S. Crucis miræ commutationes. p. 138. n. 8.

Crux in gladium, & ſagitam, & lanceam converſa. Ibid.

Crux quomodo in manibus Chriſti. p. 140. n. 11.

A Cruce duplex victoria. Ibi n. 12.

Crux viſa terror hoſtium. Ibi n. 14.

Crux militantium robur. p. 141. n. 14.

Coram Cruce vel monſtra cadunt. Ibi n. 15.

Crux baculus davidicus. Ibid.

Crux amore dulceſcit. p. 236. n. 17. & p. 237. n. 20.

Crucis potentia major quàm miraculorum. p. 271. n. 21.

Culpa.

Quodvis damnum potius eligendum, quàm culpa. p. 44. n. 9.

Curioſitas. Vide *Occaſio.*

Curioſitas periculoſa. p. 37. n. 10.

Curioſitas vitanda. p. 208. n. 10.

Currere.

Pro Deo vinciri currere eſt. p. 224. n. 10.

Currus.

Currus ad pompam. p. 275. n. 11.

D

David.

David caſtior adoleſcens, quàm ſenex. p. 31. n. 6.

Davidis lapſus, & cęcitas. p. 211. n. 6.

Davidis peccata quo pacto innumerabilia. p. 262. n. 14.

Deipara. Vide *Maria Virgo.*

Deiparæ excellentia omnium gratiarum fons. p. 101. n. 15.

Delatio. Delator.

Delationes non omnino ſpernantur. p. 120. n. 17.

Delatores. p. 308. n. 6.

Delatoribus & acuſatoribus non facile credendum. p. 321. n. 14. & 15.

Deſiderium.

Longa deſideria torquent. p. 236. n. 17.

Deus.

Deum deſerentes infeliciſsimi. p. 95. n. 9.

Prima Dei vox in creatione lucis. p. 97.

97. n. 2.
Deus totus oculus, manus, pes. p. 100. n. 13.
Deus laborantibus adstat. p. 116. n. 8.
Deus, quandoque erga chariores durior. p. 117. n. 11.
Deus nobis est vilis. p. 250. n. 11. & p. 340. n. 18.
Deo serviendum hilariter. p. 253. n. 4.
Deus est qui ut deus loquitur. p. 313. n. 4.
Deum nos intingere sordibus quid. p. 23. n. 7.
Deus tentatis adest; sed tentationes non quærentibus. p. 32. n. 11.

Dei facies, oculi.

Deo irato oculi sunt pro manibus. p. 89. n. 1.
Ab oculis Dei vis mira nocendi. Ibid. n. 2.
Dei oculi suâ manu graviores. p. 90. n. 4. & p. 99. n. 9.
Dei facies irata intolerabilis. Ibid. n. 6.
Dei oculi plagis peccatorum vulnerantur. p. 94. n. 5.
Dei faciem velant Seraphim, nè videat Judeorum stragem. Ibid. n. 6.
Deus puniturus faciem abscondit. p. 95. n. 9.
Aliud est Deum abscondere faciem à peccatis, aliud à peccatoribus. p. 95. n. 9.
A Deo non respici, fons totius calamitatis. p. 96. n. 10.
Deum faciem abscondere punire est: quia sævire nequit, ni faciem abscondat. Ibid. n. 12.
Dei oculi excubant pro Beatissima Virg. p. 99. n. 10.
Dei oculi manè favent. p. 100. n. 12.
Dei oculus ab æterno videt; manus operatur in tempore. p. 101. n. 16.
Dei oculi bonorum omnium scaturigines. p. 115. n. 7.
Dei oculi non steriles, sed fœcundi. p. 117. n. 9.
A Deo aspici, afflictorum solatium. p. 153. n. 6.
Dei oculi sedile Omnipotentiæ. p. 157. n. 3.
Deus ni oculos alio convertat severè punit peccata. p. 170. n. 11.
Divinos oculos nullum peccatum latet; humanos plura. p. 319. n. 7.
Humanum oculum plus reveremur, quàm divinum. Ibid.

Dei Clementia. Misericordia. Patientia.

Dei Clementia. p. 93. n. 1. & p. 340. n. 18.
Dei Clementiâ non abutendum. p. 91. n. 9.
Dei Misericordia. p. 94. n. 5. & p. 165. n. 13.
Dei Misericordia erga lapsos. p. 317. n. 1.
Dei Misericordia vel in ira. p. 169. n. 8.
Deus ad mercedem promptus; ad pœnam tardus. p. 309. n. 9.
Dei patientia timenda. p. 91. n. 9.
Dei pacientia abutentes. p. 319. n. 8.

Dei Cor.

Cor Dei vulneratur, cùm vulnerat. p. 93. n. 1.

Dei Ira.

Dei ira clemens. p. 94. n. 5.
Dei ira à suis oculis cavet. p. 95. n. 8. & p. 170. n. 11.
Deum declinare in ira quid. p. 96. n. 13.
Deum nemo effugere valet. p. 176. n. 13.
Deus mitiùs agit cum Infideli quàm cum Fideli diviso. p. 249. n. 9.
Dei ira in potentes maior. p. 331. n. 8.
Deus nullam personam reveretur. Ibid. n. 9.
Deus blandus cum blandis, durus cum duris. p. 378. n. 18.
Verus Deus, & clementiâ fulget, & severitate. Ibid. n. 20.

Dei Præsentia.

Dei præsentia in mente. p. 208. n. 11.

Dei providentia.

Dei providentia. p. 94. n. 3. & p. 326. n. 10.
Deus neminem cogit. p. 272. n. 23.
Dei curę se permitere. p. 351. n. 23.
Nil non possumus in Deo. p. 153. n. 5.

Dei Voluntas.

Dei voluntati conformari. p. 119. n. 15.
Ubi Deus pręcipit arma sumenda. p. 341. n. 21.
Deo parendum in arduis. p. 371. n. 14.

Diabolus.

Diaboli superbia. p. 105. n. 10.

Dignitas.

Dignitas non solis nobilibus conferenda. p. 116. n. 7.
Dignitas non temerè acceptanda. p. 221. n. 2.
Dignitas ad honorem. p. 267. n. 10.

Dij.

Dij terræ ſupremum Judicem timeant. p. 330. n. 7.

Deus Marcionis.

Deus Martionis nulla delicta puniens. p. 378. n. 19.

Divites.

Divites oculati miſericordes. p. 117. n. 10.
Divitis, & pauperis penes oculos differentia. p. 126. n. 2.
Divitum ingluvies. p. 276. n. 14. & 15.
Divites ſe ſe excuſantes a danda eleemoſyna. p. 277. n. 17.
Divitum miſeriæ. p. 309. n. 10.

Divitiæ.

Divitiarum vanitas. p. 126. n. 3.
Divitiarum fames. p. 275. n. 10.
Divitiæ cæleſtes terrenis poſt habitæ. p. 237. n. 18.
Divitiæ non nocent aſpicientibus cælum. p. 242. n. 3.

Doctor.

Doctores nimis blandi. p. 37. n. 3.

Doctus.

Docti, quos Sac. Scriptura non movet, miraculis non moventur. p. 326. n. 11.

Dolor.

Dolor ſupra dolorem, carere conſolatore. p. 125. n. 12.
Dolor pro peccato. p. 307. n. 10.

S Dominicus.

S. Dominicus. p. 244. n. 11.

Donum:

Donum hilare duplex eleemoſyna. p. 123. n. 5.
Dona exploranda. p. 221. n. 2.

E

Eccleſia.

Eccleſia fulcitur potentiâ, & armis. p. 146. n. 4.

Eccleſiaſticus.

Eccleſiaſticorum impietas gravior aliquando. p. 121. n. 21.
Eccleſiaſtici bona temporalia in Chriſto nè quærant. p. 247. n. 3.
Eccleſiaſtici armati. p. 269. n. 14.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna beatos efficit. p. 126. n. 14.
Eleemoſyna non jactanda. p. 253. n. 3.
Eleemoſynarum penuria ex conviviorum luxu, & pompa ſervorum. p. 277. n. 17. & 18.
Eleemoſyna divitias parit; inhumanitas extinguit. p. 278. n. 19.
Eleemoſynarum fons luxus devitatus Ibid.

Eloquentia.

Eloquentia nil valet apud impios. p. 376. n. 12.

Equus.

Equus terrenarum felicitatum ſymbolum. p. 274. n. 5.

Erubeſcentia.

Erubeſcentia Evangelij. p. 349. n. 16.

Eva.

Eva præceptum auditum malè examinavit oculis. p. 336. n. 6.
Evæ oculos pervertit pravus auditus. p. 358. n. 5.

SS. Euchariſtia.

Euchariſtiam modeſto ornatu revereantur feminæ. p. 40. n. 10.

Excuſatio.

Excuſationes frivolæ. p. 141. n. 2. & p. 338. n. 11. & 16.

Exempla. Vide *Superior.*

Exempla majorum bona. p. 260. n. 10.
Exempla Principum imitantur Subditi. p. 261. n. 13.
Exempla Superiorum efficaciſsima. p. 265. n. 2.
Exempla validiora, quàm verba. Ibi n. 3.
Exempla validiora, quàm ſupplicia. p. 268. n. 13.
Exempla validiora, quàm funera, & quàm miracula. p. 269. n. 16. & p. 270. n. 18.
Exempla, non ſeveritas. Ibi n. 15.
Exemplum Chriſti paſsi omnia ad ſe rapit; quomodo. p. 272. n. 22.
Exempla bona lætitiam pariunt. p. 348. n. 14.

Exteriora.

Exteriora ſola valent apud mundiales. p. 50. n. 11.

F

Facies. Vide *Frons, Deus.*

Facies fornicantes quæ. p. 37. n. 2.
Faciem ſcribere, cur feminæ dicantur. p. 38. n. 4.
Facies picta quę. Ibid.
Faciem fucatam averſatur Deus. p. 40. n. 10.
Facies plurimas habet mulier fucata. Ibi n. 11.
Facies nulla Deo deformis niſi fucata. Ibid.

Facies fucatas Deus non agnoſcit. p. 41. n. 13.
Facies ſeverâ judicis graviſsima reis. p. 89. n. 3.
Facies torva pauperem contriſtat, & perdit beneficij gratiam. p. 123. 3. & 4
Faciem peccatorum ſuſcipere quid. p. 133. n. 8.
Facies potentior fulmine. p. 163. n. 9.
Facies ſevera potentior, quàm lingua. p. 374. n. 7.
Facies quomodo ambulare dicitur. p. 230. n. 14.
Facies animalium apud Ezechielem an veræ. p. 227. n. 3.
Fama.
Famæ cura. p. 307. n. 3. & 308. n. 7.
Fama quàm vita carior. Ibid.
Fama vix recuperatur. p. 320. n. 11.
Fames.
Famem non timere difficile. p. 350. n. 19.
Fames non timenda ſervis Dei. p. 351. n. 19.
Familiaritas.
Familiaritas cum mulieribus. p. 33. n. 12. & p. 34. n. 1. & p. 220. n. 19.
Felicitas. Felix.
Felicitas mundi colorata, & vana. p. 126. n. 1.
Felicitas terrena non admiranda. p. 346. n. 9.
Felicitas à Deo. p. 352. n. 26.
Felicitas oblivionem æternitatis parit. p. 353. n. 3.
Felicitas obturat aures: adverſitas reſerat. p. 354. n. 6.
Felicitas temporalis corruptio morum, fons idololatriæ, & origo atheiſmi. p. 355. n. 8. 9. & 10.
Felicium rara converſio. p. 357. n. 12.
Femina. Vide *Mulier.*
Feminarum ſe pingentium excuſatio frivola. p. 38. n. 5.
Feminas corrumpere, apud aulicos honorare eſt. Ibid. n. 6.
Feminæ non raro malunt audiri pulcræ, quàm honeſtæ. p. 43. n. 6.
Feminæ de ornatu ſolicitæ. p. 206. n. 3.
Feminarum blanditiæ cavendæ. p. 210. n. 4.
Feminæ ut crura ſibi ligabant. p. 225. n. 12.
Feminarum ſtultitia. Ibid.
Feminarum honeſtas magis acuit amorem. p. 251. n. 15.
Feminarum inceſſus crepitans. p. 273. n. 4.
Feminæ nobiles non dedignentur ſervilia munera exercere. p. 277. n. 18.
Feminarum luxuria furioſa. p. 321. n. 13.
Feminarum colloquia. p. 359. n. 8.
Femur.
Femur pro veſte femoris. p. 225. n. 12
Fideles.
Fideles reſument proprios oculos in cælo. p. 370. n. 7.
Fides.
Fides auribus videt. p. 369. n. 6.
Fides magna oculos recuſat. p. 323. n. 5.
Fides ubi magis meritoria. Ibid. n. 8
Fidei lux viſione oculorum illuſtrior. Ibid. n. 9.
Fides tubus opticus. Ibid. n. 16.
Fides, & obedientia ſimiliter cæcæ. p. 341. n. 22.
Fides potius, quàm viſiones. p. 367. n. 13.
Fidei præmium viſio Dei. Ibid. n. 3.
Filiationes.
Filiationes, & paternitates politicæ religionum peſtes. p. 377. n. 16.
Filius.
Filiorum educatio. p. 243. n. 8.
Filij ſuppoſiticij. p. 307. n. 2.
Filiorum odium propter Deum. p. 371. n. 14.
Filiorum amor cæcus. p. 377. n. 16.
Forma. Vide *Pulcritudo.*
Formę vitia excuſare muliebre ingenium. p. 42. n. 4.
Formæ præconia, quæ negligit, honeſtior. p. 43. n. 5.
Formæ & pudicitiæ rara concordia. p. 44. n. 8.
Forma, quæ deceat viros. p. 49. n. 9.
Forma virilis reverentiam; puerilis amorem conciliat. Ibid.
Fornicaria.
Fornicaria unde dicta. p. 37. n. 3.
Fornicariæ ab adulterâ diferentia. Ibid.
Fortitudo.
Fortitudo inſignis maiora audet. p. 233. n. 7.
Fortuna.
Fortuna mediocris ad fidem aptior. p. 357. n. 12.
S. P. N. Franciſcus.
Franciſci virtutes mirabiles. p. 343. n. 1.
Franciſcus auribus cæcus. p. 445. n. 6.

Franciſci habitatio altiſsima, & munitiſsima. p. 346. n. 8.
Franciſci in Deum fiducia. Ibid.
Franciſci cæcitas allegorica mundi contemptum parturivit. p. 347. n. 10.
Franciſcus patrem terrenum abnegat, & unum cæleſtem agnoſcit. Ibid. n. 11.
Franciſcus jucundum mundo ſpectaculum, & Orbis lætitia. p. 348. n. 13. & 15.
Franciſci publica in Deum confidentia. p. 349. n. 16.
Franciſci verba plena fiduciæ in Deum. p. 350. n. 18.
Franciſco factæ revelationes de ſuo Ordine. Ibid. n. 19.
Franciſcus reparator Eccleſiæ. Ibid.
Franciſci confidentia maior quàm Jacobi. Ibid. n. 21.
Franciſci horreum. p. 351. n. 22.
Franciſcus velut alter Moyſes. Ibid. n. 23.
Franciſcus ſanctè otiando panem lucratur. Ibid. n. 24.
Franciſci agricultura. p. 352. n. 26.
S. Franciſcus Xaverius.
Franciſcus Orientis Apoſtolus. p. 220. n. 1.
Franciſci evangelicæ peregrinationes. Ibid.
Franciſcus inſtar oculi velox: quippè Oculus à Deo miſſus. Ibid. & p. 221. n. 4.
Franciſcus terram ſic tangebat, quaſi non tangeret. p. 222. n. 5.
Franciſci ad Alexandrum comparatio, & exceſſus. p. 223. n. 7.
Franciſco non ſatis unus Orbis. Ibid.
Unus Franciſcus plus ædificavit Chriſto, quàm hæretici omnes deſtruxere. Ibid.
Franciſcus ut poſſet dici *Indicus*, & *Divinus*. Ibid.
Franciſcus graditur ligatis cruribus: & inde velocior. p. 224. n. 9. & p. 225. n. 14.
Franciſci pedes quàm ſpecioſi. Ibid. n. 11.
Franciſcus multi formis: monſtrum plurium facierum. p. 226. n. 1.
Franciſcus cæleſtis protheus. Omnibus omnia. p. 227. n. 5.
Franciſci facies. p. 228. Ibid.
Franciſcus Paulo ſimilis: Ibid. n. 6.
Franciſci politica. p. 228. n. 9.
Franciſci unus inceſſus. Ibid. n. 10.
Franciſci zelus idem ibique. p. 230. n. 11. & p. 231. n. 16.
Franciſcus ſemper ſibi conſtans, etiam cùm minùs conſtare videbatur. Ibi n. 13.
Franciſcus omnibus ſimilis, nemo ſibi. p. 231. n. 16.
Fucus. Vide *Ornatus. Facies.*
Fucus mulierum tentationum occaſio. p. 39. n. 7.
Fucata mulier vix creditur honeſta. Ibid.
Fucatam faciem averſatur Deus. p. 40. n. 11.
Fucatis feminis quàm timenda dies judicij. p. 41. n. 13.
Fulmina.
Fulmina, Dei arma. p. 89. n. 1.

G

Gaudium.

Gaudium Apoſtolicum. p. 237. n. 19.

Genus.

Genus, & patria virtuti non obſunt. p. 120. n. 19.

Gladius.

Gladius nonnullorum Prælatorum otioſus. p. 376. n. 14.

Gloria æterna.

Gloria Sanctorum provocat ad laborem p. 243. n. 1.
Gloria ſuorum Patriarcharum contemplanda Religioſis. p. 244. n. 10.

Gloria vana.

Gloria vana magis tangit imperfectiores. p. 43. n. 5.
Gloria Principum mundi ab ornamentis. p. 50. n. 11.
Gloriæ vanę ſtudium. p. 252. n. 2. & p. 276. n. 12.
Gloria vana latiſsimè dominatur. p. 253. n. 4.
Gloriæ vanæ ſtudium, conſpici. p. 272. n. 1.
Gloria vanâ omnes aſſantur. p. 273. n. 5.
Gloriæ vanæ oſtentatio, & ſurepitus. p. 274. n. 6. & 7.
Gloriæ vanæ odium. p. 312. n. 8.

Gratia divina.

Gratię neceſsitas. p. 169. n. 7.

Gratitudo.

Gratitudo. p. 115. n. 7.

Gubernator.

Gubernator imprudens. p. 205. n. 1.

H

Habitus.

De habitu Eccleſiaſticorum error hæreticorum. p. 22. n. 5.

Habitus qualiter facit, vel non facit ſanctos. Ibi n. 6.

Habitus mali. p. 270. n. 17.

Hecate.

Hecate triformis. p. 227. n. 4.

Hæretici.

Hæretici. p. 248. n. 7.

Hæreticorum colloquia vitanda. p. 359. n. 5.

Hiſpana Gens.

Ab Hiſpanâ Gente novo Orbi fides. p. 146. n. 4.

Hiſpanum Proverbium : *caer del aſno*, unde ortum. p. 354. n. 4.

Homicidium.

Homicidia clamantia ad Deum. p. 308. n. 5.

Homo.

Homo homini deus. Homo homini lupus. p. 130. n. 1.

Homines ſolo aſpectu terribiles. p. 131. n. 1.

Hominum potentia in oculis. p. 149. n. 12.

Homines non timendi. Ibid.

Hominibus non placendum. p. 252. n. 2.

Hominibus nolle placere, arduum. p. 256. n. 15.

Homines citiùs mala vident, quàm bona. p. 321. n. 12.

Humana. Vide *Vanitas.*

In rebus humanis color tantum, & ſimulacra felicitatis. p. 128. 7. & 8.

Humilitas.

Humilitas ſuperba, & falſa. p. 214. n. 1. & 2.

Honor.

Honor infamis. p. 38. n. 6.

Hypallage.

Hypallage in Sac. Scriptura. p. 140. n. 11. & p. 222. n. 5.

Hypocriſis.

Hypocriſis. p. 214. n. 2. & p. 216. n. 8.

Hypocriſis ambitioſa. p. 215. n. 5. & p. 254. n. 7.

Hypocrita.

Hypocritam fuę veſtes abominantur. p. 23. n. 7.

Hypocritas facit timor humanus. p. 163. n. 8.

Hypocritæ. p. 252. n. 2.

Hypocritarum technæ. p. 255. n. 9.

Hiſterologia.

Hiſterologia in Sac. Scriptura. p. 217. n. 11.

Idiotæ.

Idiotæ obedientes ſapientibus refractarijs feliciores. p. 335. n. 1.

Idololatria.

Idololatria Deum provocat. p. 95. n. 9.

Jejunium.

Jejunia diſſimulanda. p. 253. n. 3.

Jejunia Judæorum. p. 225. n. 11.

Jeſus puerulus. Vide *Chriſtus.*

Jeſus puerulus inſpirat amorem intuentibus eum. p. 47. n. 4.

Eius pulcritudo corda rapit. p. 48. n. 6.

Et Extraneos, & Idolatras, & Reges ſua venuſtate devincit. Ibi n. 7.

Jeſus puerulus ſe ſolo corda trahit. p. 50. n. 11.

Jeſus parvulus omnem terrenam gloriam obſcurat. p. 51. n. 14.

S. Ignatius Loiolæ.

Ignatij Imago miraculoſa. p. 156. n. 1.

Vis illius portentoſa. Ibi n. 2.

In facie picta Loiolæ Dei vultus micat. p. 157. n. 3.

Comparatio D. Ignatij ad Apoſtolum Petrum. Ibi n. 5.

Virtus miraculoſa Loiolæ quàm longè diffuſa. p. 158. n. 8.

Loiolæ Imago quaſi ſerpens æneus. Ibi n. 9.

Ignatius cur in ſua Imagine vivus. p. 159. n. 12.

Imago.

Imagines Sanctorum venerandæ. p. 158. n. 7.

Sancti vivunt in ſuis Imaginibus miraculoſis. p. 159. n. 12.

Imago Crucifixi vita noſtra. Ibid.

Impietas.

Impietas non patitur oculos divinos. p. 171. n. 12.

Impietas parentum erga filios pluſquam ferina. p. 107. n. 4.

Inceſſus.

Inceſsûs venuſtas à ligamine cruruum. p. 225. n. 13.

Inconſtantia.

Inconſtantia. p. 345. n. 5.

Ingenium.

Ingenia funambula. p. 124. n. 8.

Index Rerum notabilium.

Ingratitudo.

Ingratitudo Principum. p. 220. n. 19.
Ingratitudo p. 271. n. 22.
Ingratitudo erga Deum p. 347. n. 12.

Iniuria.

Injuriam inferre nocivum. p. 174. n. 7.

Inobedientia. Inobediens.

Inobedientia Deo valde exosa. p. 36. n. 9.
Inobedientia prima inter vitia. p. 335. n. 1.
Inobedientia facit oculatos. p. 336. n. 7.
Inobedientium quæstiunculæ superioribus exosæ. p. 339. n. 15. & 16.
Inobedientium timor vanus, & nullus eis locus securus. p. 340. n. 20.

Intentio.

Intentio recta. p. 207. n. 7.
Intentio in Unum Deum. p. 208. n. 8.
Intentio recta rara. p. 245. n. 2.
Intentio prava. p. 215. n. 8. & p. 246. n. 1.
Intentio occulta. p. 256. n. 12.

Invidia. Invidus.

Invidia inter æquales. p. 43. n. 5. & p. 216. n. 8.
Invidiæ descriptio. p. 172. n. 1.
Invidia res justissima: quippe sui ultrix. p. 171. n. 1.
Invidiam malorum Principum excitant merita eximia. p. 172. n. 2.
Invidiæ schema, & cibus. p. 173. n. 4. & 5.
Invidus, & homicida sibi mortem inferunt. Ibi. n. 6.
Invidus apibus comparatur, & igni. p. 174. n. 8.
Invidia infelix, timida, suspiciosa. p. 175. n. 10. 11. 12.
Invidia inter fratres. Ibid.
Invidia etiam reges rangit. Ibid.
Invidia facit ex Gigantibus Pygmeos. Ibid.

S. Jacobus Apostolus.

Jacobi apparitiones in bello. p. 145. n. 1.
Jacobi potentissima facies. Ibid.
Jacobus Eques bellator, galeatus, supplantator. Ibi n. 2.
Jacobus cur armis celebris. p. 146. n. 3.
Jacobus Ecclesiæ murus, & propugnaculum. p. 147. n. 6.
Jacobus sola præsentia vincit. Ibi n. 7.
Jacobi victoriæ Domini victoriis quàm similes. p. 146. n. 9.
Jacobus fulmen. Ibi n. 10.
Jacobus solo splendore lethalis. Ibid.
Jacobus quàm terribilis Mauris. p. 149. n. 11.
Jacobus hostes expugnat, eorum oculos expugnando. Ibi n. 12.
Jacobus pro Hispania, ut olim Dominus pro Juda pugnavit. p. 150. n. 13.
Unus Eques Jacobus pro multis Cælitibus. Ibi n. 14.
Apostrophe ad Divum Jacobum. p. 151. n. 16.

S. Joannes Baptista.

Joannis Baptistæ laus à veste. p. 23. n. 8.
Joannes Baptista cur vox. p. 342. n. 25.

S. Joannes de Capistrano.

S. Joannis de Capistrano laus ab ardore belli. p. 147. n. 6.

S. Joseph sponsus B.V.

Josephi obedientia. p. 338. n. 14.

Joseph Patriarcha.

Josephi ætas, cum tentaretur à Domina. p. 30. n. 3.
Josephi oculi vitales. p. 168. n. 4.
Josephi, & Christi collatio. Ibi n. 5.

Josue.

Josue triumphat sole, & luna. p. 144. n. 22.
Josue victoriæ Regis Alphonsi victoria comparata. Ibid. n. 23.

Irrisores.

Irrisores Prælatorum. p. 338. n. 12.

S. Isidorus Agricola.

Isidorus Agricola. p. 241. n. 3.

Judæi.

Judæorum immanitas. p. 121. n. 21.
Judæi cur dicti *apellæ, curti, & recutiti.* p. 259. n. 9.
Judæi felicitate corrupti. p. 355. n. 10.
Judæi an idola colnerint in Ægypto. Ibid.
Judaica religio quàm invisa Gentilibus. p. 259. n. 9.

Judex.

Judicis præsentia terret malos; lætificat bonos. p. 92. n. 12.
Judicum vigilantia. p. 94. n. 4.
Judices non oblectentur reorum supplicijs. p. 95. n. 8.
Judex oculos suos caveat. p. 96. n. 11.
Judex severus sit, non avarus. p. 13. n. 8.
Judex malus bonam sententiam dehonestat. p. 266. n. 7.
Judex ne solis utatur auribus. p. 321. n. 13.

Ju-

Judices ſine oculis. p. 328. n. 1.
Judicibus neceſſaria mortis memoria. Ibid.
Judices ſint auriti: ut quæ vident, explorent ad aurem. Ibid., & p. 329. n. 3.
Judex audiat reos. Ibi n. 4.
Judex cæcus muneribus non flectitur. Ibi n. 5.
Judices oculati ſententiam pervertunt. p. 330. n. 7.
Judicum cæcitas, perſonam á perſona diſtinguere. Ibi n. 8.
Judex acceptator perſonarum conturbat Orbem. p. 331. Ibi.
Judices frequenter populares caſtigant, rarò principes. p. 332. n. 10.
Judices armentur falce, non bippeni. Ibi n. 11.
Judices ſint Auditores, non Videntes. p. 333. n. 14.
Judex iniquus, qui novit facies in judicio Ibi n. 15.
Judicum ſancta neſcientia. p. 334. n. 16.
Lætitia Judicum viſo numo. Ibi n. 17.
Judicum avaritia. p. 332. n. 12.

Judicare.

Judicare iniquitatem quid. p. 133. n. 8.
Judicantes temerè oculos in auribus geſtant p. 220. n. 10.
Judicantes impiè. Ibi n. 11.
Quiſque judicat cæteros de ſuo affectu. p. 326. n. 12.

Judicia.

Judicia apud Hebræos in portis. p. 309. n. 8.

Judicij dies.

Judicij dies rubore confundet ſæcularem pompam. p. 278. n. 20.

Jugum.

Jugum Chriſti ſuave. p. 352. n. 24.
Jugum Chriſti ſuave duro mundi jugo poſt habitum. p. 279. n. 8.

Juriſdictio.

Juriſdictio eccleſiaſtica audeat in Magnates, ſi bona ſit cauſa. p. 135. n. 14.

Juſtitia.

Juſtitia æqua omnibus, rara. p. 330. n. 6.
Juſtitia Dei æqua omnibus; aut infimis blandior. p. 332. n. 11.

Juſtus.

Vir juſtus Civium protectio. p. 165. n. 13.
Juſtus oculos geſtat in auribus. p. 345. n. 6.

L

Labor. Laborare.

Labores acti jucundiores. p. 129. n. 10.
Labor ambitioſi. p. 218. n. 16.
Laborandum pro cælo. p. 242. n. 6.
Labor ſæcularium inutilis. p. 351. n. 24.

Lacryme.

Lacrymandi modum docuit Chriſtus. p. 108. n. 4.
Lacrymas elicit miſerorum conſpectus. p. 118. n. 12.
Lacrymis mulierum haud facile credendum. p. 213. n. 12.

Lapſi.

Lapſi cito curandi, nè peiores fiant. p. 220. n. 10.
Lapſi blandè erigendi. p. 162. n. 7. & p. 164. n. 10.
Lapſi quomodo erigendi, ut perfectiùs convaleſcant. p. 164. n. 11.
Lapſi eriguntur lacrymis Prælatorum. p. 269. n. 16.

Lazarus.

Lazari reſurrectio. p. 117. n. 11. & p. 337. n. 9.

Lex.

Leges unde intolerabiles. p. 267. n. 10.
Leges muniantur gladijs. p. 373. n. 3.
Ars divina condendi leges. p. 375. n. 11.

Liberalitas.

Liberalitas facit principes p. 247. n. 4.

Libido. Vide *Luxuria.*

Libido ignis, qui hominem fœdat. p. 34. n. 2. &. p. 35. n. 5.
Libido Senioribus non parcit: Judices etiam exurit. p. 36. n. 7. &. 8.
In libidinoſos Dei vindicta. Ibi n. 9.
Libido præpoſtera omnium peſsima. p. 213. n. 11.

Lingua. Vide *Loquela. Sermo.*

Linguæ cura. p. 158. n. 9. & p. 314. n. 8.
Sancte loqui vel impij poſſunt. p. 265. n. 4.
Linguæ virtus ab opere. Ibi n. 5.
Lingua viri ſancti potentiſsima. p. 266. n. 6.
Lingua bona Deum declarat. p. 312. n. 3.
Lingua verſat, quæ quiſque amat. p. 314. n. 7.
Status cuiuſque ex lingua dignoſcitur. Ibid.

Linguæ, & cordis conſonantia. Ibid.
Lingua bona ſanctitatis index. p. 315. n. 11.
Linguæ modeſtia. p. 316. n. 12.
Linguæ ſanctitas honor concionatoris. Ibi n. 13.
Lingua veritatis amans. p. 329. n. 5.
Locus.
Locis ſanctis oblectatur Deus. p. 116. n. 8.
Locorum indifferentia. p. 341. n. 21.
Loquela.
Loquela declarat unde quiſque ſit. p. 313. n. 6.
Sancta locutio, ubi Spiritus Sanctus. p. 316. n. 13.
S. Lucia.
Luciæ pulcritudo mira. p. 41. n. 1.
Oculos ſibi eruit, & miſsit amaſsio. p. 42. n. 1.
Pulcritudinem aſpernando ſexûs conditionem ſuperavit. Ibi n. 3.
Triumphat in Lucia caſtitatis amor amorem pulcritudinis. p. 43. n. 6.
Luciæ candor à lucta. Ibi n. 6.
Sibi non timuit, ſed alijs. p. 44. n. 8.
Plus præſtitit, quàm Chriſtus mandavit. p. 45. n. 10.
Eius in ſuos oculos ſancta ſævitia. Ibi n. 11.
Eius caſtitas incomparabilis. Ibi n. 12.
Eius oculi caſtiores pallio Joſephi. p. 46. n. 13.
Extincti amaſsium reddunt pudicum. Ibid.
S. Ludovicus Rex.
Ludovici ſumma fides. p. 323. n. 4.
Ludovicus Chriſtum in Euchariſtia apparentem cur videre noluit. Ibid.
Ludovicus auribus vidit. Ibi n. 5.
Antitheton inter S. Thomam, & Ludovicum. Ibid.
Ludovici fides, cum fide D. Petri collata. p. 325. n. 8.
Ludovicus cur oculos tàm habuit incurioſos. Ibi n. 9.
Ludovici fides haüd opus habuit revelationibus, nec miraculis confirmari. Ibi n. 10. & p. 326. n. 11.
Ludovicus fide Chriſto valde adhæret. p. 327. n. 14.
Lux.
Lux prima Dei vox in creatione lucis. p. 97. n. 2.
Lucis commendatio. p. 98. Ibi.
Luxuria. Vide *Oculus.*
Luxuria audax: nec vel nobiliſsimas feminas veretur. p. 28. n. 12.
Luxuria etiam uxoratos invadit, & grandævos. p. 30. n. 4.
Luxuria omnes invadit. p. 35. n. 6. & p. 212. n. 8.
Luxuria vel cùm extinguitur, urit, ſi expectatur. p. 36. n. 9.
Luxuria, quæ ab oculis, pugnaciſsima, & fere inſanabilis. p. 207. n. 6. & p. 209. n. 2.
Luxuria vix expellitur, ſemel admiſſa. p. 210. n. 5.
Luxuria imprudens, obſtinata. Ibi n. 9. & 10.
Luxuria nec ſuplicijs edomatur. p. 270. n. 16.
Luxuria latere non poteſt. p. 307. n. 2.
Luxuria mendacijs triumphat. p. 321. n. 13.
Luxuria grande ſcelus. p. 331. n. 10.
Luxurioſi.
Luxurioſi tamquam mortui deflendi: quippè raro convertuntur. p. 213. n. 12.

M

SS. Machabæi.
Machabæi cur in Eccleſia celebrantur. p. 146. n. 3.
Machabæorum mater filijs ſuis ſuperior. p. 110. n. 10.
Magiſter.
Magiſtros ſpiritales audiant filiæ: non videant. p. 365. n. 6.
Magnanimitas.
Magnanimitas pericula ſpernit. p. 134. n. 11.
SS. Magi.
Magorum iter mirabile. p. 245. n. 14.
Mala. Vide *Labor.*
Mala prætérita non ſentiuntur. p. 129. n. 10.
Mala mundi ſolo aſpectu terribilia. p. 113. n. 13.
Mali.
Malorum conſortium. p. 308. n. 6.
Manſuetudo.
Manſuetudo irata terribilior: ideo manſueti homines cavendi. p. 91. n. 8.
Manus.
Manus ſponſæ cur ſponſus non laudat. p. 104. n. 6.
Manus præcipuum miſericordiæ inſtrumentum. p. 113. n. 1.

Manus oculata: quia palpando videt. p. 114. n. 3.
Manus oculatæ symbolum hominis liberalis. p. 154. n. 8.
Manus eò efficacior quò blandior. p. 164. n. 1.
Maria Virgo. Vide *Virgo.*
Martyr. Martyrium.
Martyres Ecclesiæ muri. p. 147. n. 6.
Martyrum robur undè. p. 242. n. 6.
Martyrium quærere, divinum. p. 234. n. 9.
Ad martyrium cogitatio cæli inflamat vel pueros. p. 243. n. 8.
Mater.
Matrum erga filios amor immodicus. p. 215. n. 6.
Matres uniuntur in filijs. Ibi n. 7.
Matrimonia.
Matrimonia ob libidinem. p. 212. n. 10.
S. Maurus Monachus.
S. Mauri Monachi obedientia. p. 339. n. 14.
Medicus.
Medicis parum fidendum. p. 275. n. 9.
Merces. Vide *Præmium.*
Mercedis contemplatio fervoris fons. p. 242. n. 4.
Merces detenta clamat ad Deum: maximeque irritat. p. 310. n. 10. & 11.
Metus.
Metus pericula adauget. p. 134. n. 10.
Metus mortis. p. 236. n. 14.
Metus ex amore: ex ignavia. p. 240. n. 25.
Metus legum custos. p. 375. n. 10.
Miles.
Miles pusillanimus. p. 233. n. 5. & p. 341. n. 21.
Minima.
Minima non spernenda. p. 34. n. 1.
Vel à minimis cavendum. p. 141. n. 16.
Minores Fratres.
Minorum vita summe ardua. p. 349. n. 17.
Singularis Dei providentia erga Religionem Minorum. p. 351. n. 22.
Miracula.
Miracula aliquando ex prece, aliquando ex potestate. p. 154. n. 9.
Miracula ex prece interdum & peccatores faciunt. p. 155. n. 10.
Miracula ex potestate argumentum eximiæ sanctitatis. Ibid.
Miracula omnia paria quo ad virtutem; sed quo ad res diversa. p. 157. n. 6.
Miracula pro rudibus. p. 326. n. 13.
Miraculis non nimis fidendum; quia falsa potest diabolus exhibere. p. 327. Ibid.
Miseratio.
Ultima miseria miserationem perdere. p. 121. n. 1.
Misericordia.
Misericordiæ instrumenta durissima impijs. p. 92. n. 10.
Misericordiæ imperium in manus, & oculos bipartitum. p. 122. n. 2.
Misericordia apparet in facie. p. 125. n. 13.
Misericordia in pauperes. p. 154. n. 8.
Miseria.
Miseriæ hujus vitæ apparentes. p. 129. n. 9.
Mitraton.
Mitraton quid. p. 227. n. 4.
Moria Mons.
Mons Moria idem ac Calvariæ: maximum theatrum beneficiorum Dei. p. 116. n. 8. & 9.
Mors.
Mors animæ quàm corporis infelicior. p. 90. n. 5.
Mors solo visu rerum privat. p. 127. n. 5.
Mors cur videri dicatur. Ibi n. 6.
Mors lux allegorica: detegit rerum humanarum fallaciam. p. 128. n. 16.
Mortis memoria vitæ renovatio est. p. 166. n. 16.
Mortem fugere, interdum valor est. p. 233. n. 7.
Morte mortem fugere, dementia, & furor. p. 240. n. 26.
Mortis metus. p. 236. n. 14.
Mors crucis glorioſissima. p. 235. n. 12.
In mortuum desævire immanissimum. p. 238. n. 22.
Mortificatio.
Mortificatio quærenda. p. 31. n. 9.
Mortificationis amor. p. 130. n. 4.
Mortificationum sitis. p. 238. n. 21. & p. 240. n. 27. & p. 241. n. 1.
Mortificationum litis rara. p. 236. n. 15.
Mortificatio carnis. p. 137. n. 4.
Mortificatio dulcescit amore. p. 236. n. 17.
Mortificationis præmium. p. 244. n. 9.
Mortificatio ob vanam gloriam. p. 256. n. 12.
Mulier. Vide *Femina.*
Mulieres consulant bonæ suæ famæ. p. 38. n. 5.

Mulier non putatur caſta, quæ vultu non apparet. Ibid.
Mulier impudica pedes geſtat in oculis. p. 206. n. 3.
Mulierum luxus, & phaleræ ad oſtentationem. p. 273. n. 2.
Mulier phalerata, ambulatrix. Ibi n. 3.

Mundus.

Tota mundi gloria nil niſi ventus. p. 274. n. 8.
Mundi gloria carò emitur. p. 275. n. 9.
Mundus quibus floret? Quibus aret? p. 347. n. 10.

Murmuratio. Murmuratores.

Murmurantium pœna. p. 158. n. 9.
Murmuratores plus auribus, quàm oculis credunt. p. 320. n. 11.

N

Nobiles. Nobilitas.

Nobilium peccata plebem corrumpunt. p. 259. n. 6.
Nobilium mores interdum corruptiores. p. 264. n. 20.
Nobiliores præſertim luxuria inficit. Ibid.
Nobilitatis jactantia. p. 275. n. 10.
Nobilium proprior clementia: vindicta ignobilium. p. 308. n. 6.
Nobilium punitio Deo valde grata. p. 331. n. 10.

Nox.

Nox diſcernit juſtum ab injuſto. p. 255. n. 8.
Noctes cur in jejunio Chriſti notantur. Ibi n. 9.
Nomine dierum noctes quoque ſignificantur. Ibid.

O

Obedientia. Vide *Inobedientia.*

Obedientia dimidiata inviſa Deo. p. 335. n. 1.
Obedientia prima inter virtutes. Ibid.
Obedientia cæca auribus videt. Ibi n. 2.
Obedientia cæca, vera obedientia. Ibi n. 4.
Obedientia vera ſolis auribus audit. p. 336. n. 5.
In auditu auris obedire quid. Ibid.
Veri obedientes oculos ſuos contegunt. Ibi n. 7.
Obedientia cæca ſecurior. p. 337. n. 8.
Obedientia cæca iter tutum ad Chriſtum. Ibi n. 10.
Obedientia cæca nullam excuſationem obtendit. Ibi n. 11.
Obedientia cæca omnia impedimenta vincit. p. 338. n. 11.
Obediendum Prælatis etiam in arduis. Ibi n. 12.
Obedientia nè humanæ prudentiæ innitatur: nè ve diſcurſiva ſit. Ibi n. 13.
Obedientiæ mirabiles effectus. Ibid.
Obedientia pericula ſpernit. p. 339. n. 14.
Obedientia ſine ſcientia. Ibi n. 15.
Obedientiæ oculatæ lapſus, & errores. p. 340. n. 18.
Obedientia, & fides ſimiliter cæcę. p. 341. n. 22
Obedientia non imperata, ſed imperantem reſpicit. Ibid.
Obedientia indifferens rara. p. 342. n. 24.
Obedientia ſit indifferens, etiam ad oppoſita p. 371. n. 11.
Obedientia ducimur in viſionem Dei. p. 370. n. 8.
Obedientium vel ſomnia Deo grata. p. 371. n. 12.
Obedientiæ felicitas. p. 372. n. 15.

Obſtinati.

Obſtinati indurantur ſermonibus, & prodigijs p. 271. n. 20.

Occaſio. Vide *Curioſitas.*

Occaſio mala vitanda. Tollenda. Fugienda. p. 29. n. 1. p. 44. n. 9. p. 210. n. 4.
Occaſio mala fugienda vel cum diſpendio temporalium bonorum. p. 208. n. 9.
Occaſionem malam, qui non recuſat, etiam oblatam adinveniſſe dicitur, p. 33. n. 12.

Oculus.

Oculorum officia, utilitates, & damna. p. 25. n. 2. & 3.
Oculi fornicantes, quia fornicationis authores. Ibid.
Oculi vexilliferi luxuriæ. p. 26. n. 5.
Oculus quaſi vita reliquorum ſenſuum. Ibi n. 6.
Oculus ſimplex, & nequam quis. p. 27. n. 7.
Ab oculo totius corporis caſtitas. Ibid.
Ab oculo magis timendum, quàm à corde. Ibi n. 8.
Oculis quàm mente pugnacior luxuria. p. 28. n. 11.

Oculos fornicantes ſequi, fornicare eſt. p. 29. 2.
Oculorum ſcintilla totum hominem ardere facit. p. 25. n. 5.
Oculos eruere, quomodo intelligendum. p. 44. n. 9.
Oculi præ omnibus membris mitiſsimi. p. 93. n. 2.
Oculi ubi parcunt, totus homo parcit. Ibid.
Ab oculis mors, & vita. p. 102. n. 1.
Oculi dolorum artifices. p. 108. n. 7.
Oculus tyrannorum maximus. p. 111. n. 14.
Oculum animam deprædari quid. Ibid.
Oculus terribilior morte, & pœnis inferni. p. 112. n. 17. & 18.
Oculi quaſi anima manuum. p. 114. n. 4.
Oculi ubi adſunt vel lapides vivunt. Ibid.
Oculi miſericordiæ fons. Ibi n. 5.
Oculi quem non emolliunt, duriſsimus. p. 120. n. 18.
Oculi ſpectantium recreant animos dolentes. p. 122. n. 2.
Oculi eleemoſynarij. Ibi n. 3.
Oculis non fidendum. p. 129. n. 8.
Oculus, timoris fomes. p. 135. n. 13.
Qui oculos vincit, totum hominem vincit. p. 149. n. 12.
In oculis regnat ſuperbia. Ibid.
Oculi ad benefaciendum. Benefici. p. 152. n. 2. & 3.
Oculi veriores. Ibid. & p. 335. n. 2.
Oculis tangere, quid. p. 164. n. 10.
Oculis eadem virtus ſalutaris, ac manibus. p. 168. n. 4.
Oculo vagante illicò pes corruit. p. 206. n. 3.
Oculis cur tribuitur ſcandalum. Ibi n. 4.
Oculis graditur homo impurus. Ibid.
Oculi & pedis conſenſſus. Ibi n. 5.
Oculus totius corporis ductor. p. 207. n. 7.
Oculi arantes. Ibid.
Oculi totum hominem rapiunt. p. 208. n. 10.
Oculi levandi, nè pedes impingant. Ibi n. 11.
Oculis labi infeliciſsimum. p. 209. n. 10.
Ab oculis præcipuè cavendum. Ibi n. 2.
Oculi calcaria pedum. p. 241. n. 1.
Oculi claudicantes. p. 246. n. 1.
Unus oculus magis inflammat. p. 251. n. 15.
Unus oculus ad unum Deum. Ibi n. 16.
Quales oculi, tales pedes. p. 257. n. 2.
Oculi, Prælatorum ſymbolum. Ibid. & p. 264. n. 1.
Oculum humanum plus reveremur, quàm divinum. p. 319. n. 7.
Oculi humani inclementiores divinis. Ibid.
Oculi veriores. p. 323. n. 3.
Oculi audientes. p. 329. n. 3.
Oculatus ad divina, cæcus eſt ad terrena. p. 346. n. 5.
Oculorum modeſtia. p. 27. n. 8. & p. 28. n. 10.
Oculorum cuſtodia. p. 35. n. 4.
Oculorum miſericordia, & beneficia. p. 93. n. 2. & p. 120. n. 18.
Oculorum operatio velociſsima. p. 100. n. 13.
Oculorum impietas. Tyrannis. Violentia. Strages. p. 122. n. 3. p. 252. n. 4. p. 210. n. 4. & p. 207. n. 6.
Oculorum velocitas. p. 220. n. 1.
Oculorum nequitia nulla maior. p. 209. n. 2.
Oculorum imperium ſupra pedes. p. 252. n. 1.
Oculorum animoſitas. p. 149. n. 12.
Oculorum licentiam ſeverè punit Deus, & cur. p. 206. n. 3.

Opprobrium.

Opprobrium pro Chriſto. p. 349. n. 16.

Optima.

Optima fiunt peſsima. p. 25. n. 1. & p. 356. n. 9.
Optimi poſſunt labi. p. 211. n. 6.
Optimorum caſus gravior. Ibid.
Optimi fiunt ex peſsimis. p. 251. n. 14.

Oratio.

Oratio in abſcondito. p. 253. n. 3. & p. 254. n. 7.

Orator.

Orator quis. p. 266. n. 7.

Orbis Novus.

Novi Orbis fides à Gente Hiſpana. p. 144. n. 4.

Ornamentum.

Ab ornamentis gloria Principum mundi. p. 50. n. 11.

Ornatus.

Ornatus mulierum vanus improbatur. p. 37. n. 1.
Ornatus mulierum laſcivus. p. 225. n. 13.

Otium.

Otium ſanctum. p. 352. n. 24.

Oves.

Oves Chriſti in Leones verſi. p. 139. n. 9.

Oves Chriſti paſcendæ, non vulnerandę. p. 166. n. 15.

P

Panes.

Panes propoſitionis faciales dicti & virtuales. p. 143. n. 19. & p. 227. n. 4.

Parens. Pater.

Qualis vita parentum, talis doctrina. p. 115. n. 1.

Parentes vocationi filiorum non reſiſtant. p. 116. n. 8.

Parentum in filios pietas. p. 262. n. 15.

Parentum carnalium odium difficile. p. 347. n. 12.

Parentibus obediendum. p. 370. n. 10.

Parens vocati. p. 372. n. 14.

Patres erga filios impij. p. 347. n. 12.

Pater Cæleſtis.

Pater Cæleſtis ſuâ voce agnitus. p. 312. n. 2.

Pater Cæleſtis nobis vilis eſt. p. 347. n. 12.

Paternitates.

Paternitates, & filiationes politicę Religionum peſtes. p. 377. n. 16.

Patientia. Pati.

Patientia, Chriſtianorum armarium. p. 138. n. 7.

Patiendi ardor ipſâ pœnâ durior. p. 237. n. 21.

Pati pro Chriſto. p. 239. n. 24.

Patria.

Patria, & genus virtuti non obſunt. p. 120. n. 19.

Patriæ oblivio. p. 208. n. 9.

Patria cæleſtis ſuſpiranda. p. 231. n. 14.

Patria juſtorum cælum eſt; impiorum terra. p. 313. n. 6.

S. Paulus Apoſtolus.

Pauli Apoſtoli innumeræ facies. p. 228. n. 6.

Paulus quomodo omnia omnibus factus. Ibi n. 8.

Pauli politica. p. 229. n. 9.

Paulus cur gladio interijt; Petrus autem cruce. p. 335. n. 12.

Pauperes.

Pauperum erumnæ recreantur viſu. p. 115. n. 5.

Pauperum fortunæ ab oculis. Ibi n. 6.

Pauperum contemptores. p. 118. n. 13.

Pauperum erumnæ internæ, & externæ. p. 122. n. 2.

Pauperis, & divitis penès oculos differentia. p. 126. n. 2.

Pauperum oppreſſores. p. 133. n. 8. & p. 310. n. 11.

Pauperum converſio frequentior. p. 357. n. 12.

Paupertas.

Paupertas beata. p. 126. n. 14.

Paupertas miraculis potentior ad Infideles convertendos. p. 270. n. 18.

Paupertatis horreum. p. 351. n. 23.

Pax.

Pax omne bonum ſignificat. p. 361. n. 13.

Peccator.

Peccatores graviores mitius tractandi. p. 166. n. 16.

Peccator faber ſuæ infelicitatis. p. 174. n. 7.

Peccatoris punitio ob clamorem peccati. p. 309. n. 9.

Peccator vellet Deum cæcum. p. 319. n. 8.

Peccatorum falſa ſecuritas. p. 361. n. 13.

Peccatum.

Peccata ex malitia, graviſsima. p. 33. n. 13.

Peccata incorrecta creſcunt. p. 134. n. 9. & p. 377. n. 17.

Peccati pondus. p. 169. n. 7.

Peccati damna. p. 174. n. 8.

Peccatorum origo. p. 258. n. 5.

Peccatum Principis nobiliores priùs inficit. Ibi n. 6.

Peccata occulta ut timenda. p. 262. n. 15.

Peccata Magnatorum nocentiora: quia latêre non poſſunt. Ibi n. 16.

Peccata parentum ruina filiorum. p. 263. n. 18.

Peccata latere non poſſunt: quia vocalia. p. 307. n. 1. & p. 309. n. 7.

Peccata vindictam de authore à Deo poſcunt. p. 308. n. 4.

Peccati pœna celerrima. p. 309. n. 7.

Peccati infamia latiſsime paret. Ibid.

Peccatum clamitat ad fores aulæ Dei. Ibi n. 8.

Peccatorum clamorem certa pœna ſequitur. p. 310. n. 12.

Peccata clamantia pro vindicta, quæ. Ibid.

Peccata minùs timenda, quàm eorum clamor. p. 311. n. 12.
Peccatorum fraus. p. 311. n. 14.
Peccatum accuſator violentiſsimus p. 312. n. 15.
Perſonarum acceptio. Vide. *Reſpectus humani.*
Perſonarum acceptio. p. 330. n. 6.
Perfectus.
Perfectiſsimi quoque ſuos patiuntur defectus. p. 339. n. 16.
Periculum.
Periculum qui ambit, in illo peribit. p. 29. n. 1.
Periculum caſtitatis ferè idem ac ruina. Ibid.
Periculum aliud oblatum, aliud quæſitum. Ibi n. 2.
Pericula qui ambiunt Deum irritant. p. 33. n. 11.
Pericula peccati adinvenire, peccare eſt. Ibi n. 12.
Perſeverantia.
Perſeverantia ardua. p. 233. n. 6.
Perſeverantia in tribulatione. p. 239. n. 24.
Pes.
Pedes animantur luce cæleſti. p. 245. n. 15.
Pedes ſymbolum Subditorum. p. 257. n. 2. & p. 264. n. 1.
D. Petrus Apoſtolus.
Petrus ob fidem quomodo beatus. p. 324. n. 6.
Petri fides fide Thomæ nobilior. Ibi n. 8.
Petri umbra ſalutaris. p. 157. n. 5.
Petrus per umbram; alij Apoſtoli per manus, aut verba miracula faciebant. Ibid.
Petri præſentia, non umbra, ſanabat. p. 158. n. 8.
Petri converſio. p. 160. n. 2. & p. 169. n. 7.
Petrum è carcere fugientem Chriſtus revocat. p. 236. n. 15.
S. Petrus Baptiſta.
Petrus Baptiſta, meus, & alij Prothomartyres Japonienſes Crucibus affixi. p. 235. n. 12.
Pictura.
Pictura nata ex umbris. p. 158. n. 7.
Pietas.
Pietas acerbiùs, quàm impietas torquet. p. 110. n. 11.
Pietatis oculus durior gehennâ. p. 113. n. 18.
Pietatis ſtudium erga pauperes, p. 114. n. 2.
Pietas & impietas inſociabiles. p. 249. n. 8.
Pœnitentia.
Pœnitentiæ inflictæ in bonum puniti. p. 169. n. 8.
Pœnitentia, & converſio non vera. p. 249. n. 8.
Pœna.
Pœna maior obſcurat minorem p. 111. n. 14.
Pœnas videre duriùs, quàm ſuſtinere. p. 129. n. 9.
Pœnæ à Deo inflictæ patienter tolerandæ. Ibi n. 11.
Pœna ſuſpendij ignominioſiſsima. p. 263. n. 19.
Pigmenta. Vide *Fucus.*
Pigmenta Chriſtum excludunt. p. 40. n. 9.
Pigmenta dedecent Chriſti ſponſas. Ibid.
Politica. Politici.
Politica ſancta. p. 229. n. 8.
Politici omnium religioni ſe accommodant. Ibi n. 8.
Politici claudicantes in duas partes. p. 248. n. 7.
Poſſidere.
Poſſidere noſtrum videre eſt. p. 126. n. 1.
Præceptum.
Præcepta omnia ſervanda. p. 371. n. 13.
Præcepta aut non condenda, aut defendenda. p. 378. n. 19.
Predatio.
Prędatio ſpiritalis. p. 269. n. 15.
Prælatus. Vide *Præſul. Superior.*
Prælatorum afflictiones ſublevandæ à Subditis. p. 95. n. 7.
Prælatorum abſentia mors Inferiorum. p. 118. n. 13. & p. 119. n. 16.
Prælati abſentiâ mali fiunt peſsimi. p. 131. n. 4.
Prælatus pluvia ſit, non fulgur; Agnus, non Leo; Auſter, non Aquilo. p. 161. n. 5. & p. 162. n. 6. & 7.
Prælati ſævitia terret Subditos, non convertit. p. 163. n. 9.
Prælati qualiter manibus uti debeant. Ibi n. 10.
Prędati blandi ſint etiam cum impijs. p. 165. n. 13.
Vita Subditorum in oculis Prælati. p. 168. n. 4.
Prælatorum reſidentia. Præſenria. p. 218. n. 16. & p. 254. n. 6.
Mali Prælati pejores Subditi. p. 258. n. 4.

Prælati mala vita Subditorum peſtis. p. 259. n. 7.
Prælatus obediat ipſe Deo, & ſibi obedient Subditi. p. 260. n. 10.
Prælatus bonus currus, & auriga. p. 267. n. 9.
Prælatorum tyrannis. Ibi n. 10.
Prælatis potius lucerna convenit, quam enſis. p. 269. n. 14.
Prælati videant quid imperent; Subditi cęcè obediant. p. 341. n. 23.
In Prælatis non dotes perſonæ, ſed officij dignitas ſpectanda: nihilque aliud attendendum, quàm quòd ſunt vox Dei. p. 342. n. 25.
Prælati audiendi tantum, non videndi. p. 343. n. 26.
Prælati & manu utantur, & linguâ. p. 376. n. 12.
Prælati boniſsimi, peſsimi Ibi n. 14.
Prælatis non ſufficit bonitas privata. p. 377. n. 15.
Prælatus non eſt, qui ſolis verbis agit. Ibi n. 17.

Prælium Toloſanum.

In Prælio Toloſano nullum ſanguinis veſtigium. p. 141. n. 14.

Præſul.

Præſulum vigilantia torpentes ſtimulat. p. 114. n. 4.
Præſulum formidoloſa conditio. p. 264. n. 20.

Præmium. Vide *Merces. Spes.*

Pręmij ſpes. p. 244. n. 12.
Præmij ſpes volare facit vel tardiſsimos. p. 241. n. 1.
Præmium conſiderandum, non labor. p. 244. n. 6.

Princeps. Vide *Prælatus.*

Principum ingratitudo. p. 220. n. 19.
Principis peccatum nobiliores prius inficit. p. 158. n. 6.
Principum exempla potentiſsima. p. 259. n. 8.
Principum verbis magis movemur, quàm Dei. Ibid.
Principibus terrenis facilius paremus, quàm Deo. p. 260. n. 11.
Princeps malus radix peccatrix. p. 262. n. 17.
In Principes ſeverius animadvetit Deus, quàm in Subditos. p. 263. n. 19.

Propheta.

Prophetæ, & Concionatores falſi. p. 361. n. 13.

Propoſitum.

Propoſita retinenda. p. 233. n. 5.

Prudentia.

Prudentia humana ſe ipſam falit. p. 339. n. 17.

Pudor.

Pudor malus. p. 261. n. 12.

Puellæ.

Puellę cautè adeant viros, vel infirmos. p. 28. n. 11.

Pulcritudo. Pulcri.

Pulcritudo non nocet gravitati adjuncta. p. 39. n. 6.
Pulcritudo nativa gratioſior. p. 40. n. 12.
Pulcritudo neglecta laudabilior. p. 41. n. 1.
Pulcritudinem plus amant fœminæ, quàm vitam. p. 42. n. 2.
Pulcritudinis amor etiam tangit honeſtas. Ibi. n. 4.
Pulcritudo non eſt accuſanda. p. 44. n. 8.
Pulcritudo caſtis non nocet. Ibid.
Pulcritudo Infantium mirificè concitat amorem. p. 48. n. 4.
Pulcritudine ſervatur Moyſes. Ibi. n. 5.
Pulcritudo etiam hoſtes inflectit. Ibid.
Pulcritudo florida gratioſior. p. 49. n. 8.
Pulcritudo ſit ſeria. p. 143. n. 19.
Pulcritudo ficta. p. 275. n. 9.
Pulcri raro caſti. p. 315. n. 10.

Puſillanimes.

Puſillanimes. p. 233. n. 5. & p. 340. n. 19.

Pyrobolus.

Pyroboli lapidis natura. p. 35. n. 6.

R

Regnum.

Regnum Dei non eſt eſca, & potus. p. 247. n. 5.

Religio.

Religio quid. p. 314. n. 8.
Religionis munera ejuſdem ſunt omnia meriti apud Deum. p. 230. n. 12.
Religionis munera viliora non dedignanda etiam poſt præſtantiſsima. p. 342. n. 24.

Religioſus.

Religioſi obliviſcantur ſæculi. p. 208. n. 9.
Religioſorum fervor, aut tepiditas, unde. p. 244. n. 10.
Religioſi degentes in aulis. p. 364. n. 3.

Religiosorum familiaritas cum sęcularibus severa sit, non ridicula. Ibid.
Religiosorum iter ad infideles. p. 370. n. 10.

Reprehensio.

Reprehensio fiat visibilis, ut audiatur. p. 372. n. 1.
Reprehensio nimis blanda, nulla. p. 374. n. 5.
Reprehensio munienda gladijs. Ibi n. 9.

Respectus humani.

Respectus humani justitiam evertunt. p. 377. n. 16.

Resurrectio.

Resurrectionis spes fons tolerantiæ christianæ. p. 369. n. 6.

Revelationes. Vide *Visiones.*

Revelationibus simplices firmantur in fide. p. 325. n. 10.
Visiones, & revelationes in doctrinam simplicibus. p. 326. n. 11.
Revelationes non appetendæ. p. 365. n. 7.

Reus.

Reorum paupertas quàm illis nociva; Divitiæ grandè illorum patrocinium. p. 332. n. 12.

Rex.

Regum sanctitas temperat iram Dei. p. 249. n. 9.
Regis ad exemplum mutatur religio. p. 260. n. 9.
Rege cadente omne regnum coruit. p. 261. n. 12.

S

Sacerdos.

Sacerdotes coli debent à nobilibus. p. 220. n. 9.

Salus.

Salus animæ vilior est nobis, quàm corporis. p. 32. n. 10.
Nullius salus desperanda. p. 120. n. 17. & p. 161. n. 4.
Salutem corporis impensè diligimus. p. 275. n. 9.
Salutis via laboriosa. p. 371. n. 13.

Salutator.

Salutatores matutini. p. 218. n. 15.

Sanctus.

De Sanctorum deffectibus modestè loquendum. p. 339. n. 17.

Sanguis.

Sanguis terrenos affectus designat. p. 345. n. 6.
Sanguine denotatur rerum abundantia. p. 353. n. 3.

Sapiens. Sapientia.

Sapiens explorat audita. p. 322. n. 16.
Sapientes firmantur in fide testimonio Scripturæ. p. 325. n. 10.
Sapientia non sit servilis. p. 329. n. 5.

Scandalum. Scandalosi.

Scandala quænam vitare tenemur. p. 45. n. 10.
Scandalizari faciles. Ibid.
Scandalum proprie quid. p. 206. n. 4.
Scandalosi non verbis, sed supplicijs coercendi. p. 377. n. 15.
Scandalosi officio privandi. Ibi n. 16.

Scriptura Sacra.

Sac. Scripturæ energia. p. 326. n. 12.

Scrupulosi.

Scrupulosi dum accedunt ad Eucharistiam. p. 339. n. 17.

Senes.

Senes quandoque juvenibus lasciviores. p. 211. n. 7.

Sensus.

Sensus corporis feneſtræ mortis: ideo custodiendi. p. 27. n. 10.
Sensuum ingenia. p. 322. n. 1.

Serapis.

Serapis triformis. p. 227. n. 4.

Sermo.

Sermo mœrenti animo importunus. p. 124. n. 9.
Sermones actionum umbræ. p. 266. n. 7.
Sermo imago mentis. p. 312. n. 1.
Sermo distinguit discipulos Christi, & diaboli. p. 315. n. 9.
Sermo Dei illuminat oculos. p. 358. n. 4. & p. 362. n. 16.

Serpens.

Serpens æneus typus Christi. p. 159. n. 9.

Servi.

Servi, & aulici sua commoda quęrunt. p. 51. n. 13.
Servi exaltati imago, rubus. p. 218. n. 16.
Servorum imperium durissimum. Ibid.
Servi mercenarij Christo exosi. p. 247. n. 5.
Servi ad pompam. p. 275. n. 11.

Servire. Servitus.

Servire Deo, & mundo nemo potest. p. 207. n. 7. & p. 248. n. 7.
Servire Deo tantum. p. 249. n. 8.
Qui Deo serviunt, unicum habent oculum.

lum, manum, pedemque. p. 252. n. 17.
Servire mundo infelix. p. 256. n. 14.
Servire Deo felix. p. 352. n. 24.
Servire Deo palàm. p. 349. n. 16.
Servitus Dei libertas eſt. p. 224. n. 10.

Severitas.

Severitas contra optimates, ſi peccent. p. 133. n. 8.
Severitas nimia Prælatorum extinguit peccatores; clementia tollit peccata. p. 162. n. 6.

Soceri.

Soceri avari generibus moleſti. p. 256. n. 14.

Sol.

Sol ſalutifer, & Medicus. Cur dictus Apollo. p. 167. n. 1.
Sol velut Avis. Eius pennæ quæ? Ibi n. 2.

Solicitudo.

Solicitudo veſtitus viros etiam ſanctiſsimos tangit. p. 350. n. 20.

Solon.

Solonis lex contra neutrales. p. 250. n. 10.

Spectacula.

Spectaculum triſte mutos reddit ſpectantes. p. 123. n. 6.
Spectacula impia cavenda. p. 209. n. 3.
Spectacula ſeveritatis terror impiorum. p. 376. n. 13.

Spectator.

Spectatore carere acerbiſsima pœna. p. 125. n. 11.

Spes. Vide *Præmium.*

Spes coronæ omnia vincit. p. 242. n. 4.
Spes nimia peccantium. p. 378. n. 18.

Spiritualia.

Spiritualia cæteris præferenda. p. 44. n. 9.

Sponſæ.

Sponſas Chriſti pigmenta dedecent. p. 40. n. 9.

Status.

Status virtuti non nocet. p. 241. n. 3.
Statu ſuo quiſque contentus ſit. p. 320. n. 9.

Struthio.

Struthionis inclementia erga filios. p. 107. n. 4.

Subditus.

Subditi cæcè obediant; Prælati videant quid imperent. p. 341. n. 23.
Subditi nè ſint curioſi. Ibid.

Superbia. Superbus.

Superbi magis tument obſequijs. p. 134. n. 9.
Superbia cedit ambitioni. p. 215. n. 4.
Superborum pœna. p. 274. n. 8.

Superior. Vide *Prælatus.*

Superiores non ſua curent, ſed ſuorum. p. 94. n. 4.
Superior quærat errantes, & profugos. p. 116. n. 7.
Superiorum vigilantia afflictorum ſolatium. 117. n. 10. & p. 168. n. 4.
Superior ſeverior ſit in rebelles. p. 134. n. 9.
Superior nullum revereatur. p. 135. n. 12.
Superior durus. p. 160. n. 2.
Superioris officium emollire ſaxa. p. 161. n. 4.
Superior tardus ſit ad pœnas: & clementia utatur ante ſeveritatem. Ibi n. 5.
Superior amore ducat. p. 163. n. 8. & p. 270. n. 17.
Superiorum exempla. p. 257. n. 2.
Superiorum ſcandala nocentiſsima. p. 258. n. 3. & 4.
Superior diſcat miteſcere. p. 171. n. 11.
Superiorum peccata multiplicantur in Subditis. p. 261. n. 14.
Superior ſibi blandus, Inferioribus durus. p. 277. n. 9.
Superiorum præcepta ſine exemplo, duriſsima. Ibi n. 10.
Superiorum exempla, non dogmata tantùm. p. 268. n. 11.
Superior lugens peccata Subditorum. p. 270. n. 17.
Superior eget mortificatione. p. 271. n. 19.

Supplicium.

Supplicia, non tantum verba. p. 373. n. 3.

T

Temeritas.

Temeritas occaſio ruinæ. p. 29. n. 3.
Temeritas in re luxuriæ. p. 31. n. 9.

Temporalia.

Temporalium rerum vanitas. p. 128. n. 8.
Temporalium contemptus. p. 350. n. 21.

Tempus.

Tempus matutinum rebus agendis opportuniſsimum. p. 100. n. 11.
Tempori cedendum. p. 233. n. 7.

Tentatio.

Tentatio quando vincit, quando vinciur. p. 29. n. 3.
Tentatio quæ fugienda, quæ reſiſtenda. p. 32. n. 11.
Tentatio quomodo vincenda. p. 242. n. 6.
Tentatio non timenda ſub Chriſto. p. 345. n. 5.

Tepiditas.

Tepiditas poſt fervorem. p. 233. n. 6.
Tepiditatis fons. p. 243. n. 7.
Tepiditas Deo abominabilis. p. 249. n. 8.

Theatra.

Theatra. p. 210. n. 4.

S. Thomas Apoſtolus.

Thomæ Apoſtoli manus oculatæ. p. 114. n. 3.
Thomæ vox animoſa. p. 233. n. 5.

S. Thomas Doctor.

Thomas puritate, & doctrina Angelicus. p. 30. n. 5.
Thomas caſtitatis Doctor. Ibid.
Thomæ caſtitas victrix. Ibid.

Timor.

Timores vani. Humani. p. 130. n. 13. & p. 134. n. 1. & p. 349. n. 16.
Timores humani ſpernendi. p. 131. n. 1.
Timor humanus facit hypocritas. p. 163. n. 8.
Timor artifex transformationum. p. 135. n. 13.
Timor ut valet occidere. p. 149. n. 11.
Timor vanus inobedientium. p. 340. n. 20.
Timore pœnę aperiuntur aures. p. 373. n. 2.

Tituli.

Titulorum ambitio, & faſtus. p. 275. n. 10.

Tormentum.

Tormenta dulceſcunt amore. p. 239. n. 23.

Tribulatio.

Tribulatio ducit ad Deum. p. 257. n. 15. & p. 357. n. 12.
Tribulatio tentationis remedium. p. 356. n. 10.
In tribulatione Deum colimus; in felicitate objicimus. Ibid.

Turpitudo.

Turpitudinis inditia. p. 39. n. 6.

V

Vanitas.

Vanitas temporalium rerum. p. 128. n. 8.
Vanitatis quadrigæ. p. 273. n. 5.

Verba.

Verbis non fidendum, ſed manibus. p. 114. n. 3. & p. 233. n. 5.
Verba Dei qui audit, verba Dei loquitur. p. 314. n. 9.
Verborum ſanctitas Dei amicos declarat. p. 316. n. 12.
Verba Sanctorum efficaciſsima ad ſalutem. p. 326. n. 12.
Verbo Dei quis actus. p. 355. n. 7.
Verbo Dei apta tribulatio. p. 357. n. 12.
Verbum Dei collyrium cæcitatis noſtræ. p. 362. n. 15.
Verbum Dei diligenter audiendum. Ibi n. 17.
Verba Dei tenebræ ſurdis. p. 363. n. 18.
Ubi verba non proficiunt, deveniendum ad verbera. p. 376. n. 12.

Veritas.

Veritas exploranda ad oculum, non ad aures. p. 321. n. 13.

Veſtis.

Veſtis ſchola morum. p. 21. n. 1.
In veſtitu apparet profeſsio. Ibi n. 2.
Veſtium luxus vitandus. Ibid.
Veſtes primorum Parentum quales. Ibid.
Veſtis cuſtos dignitatis. Ibid.
Veſtes peculiares cuique Ordini. Ibi n. 3.
Veſtis ſancta libidinis frenum. Ibi n. 4.
Veſtem ſanctam ſancti mores decent. p. 22. n. 5.
Ex varietate veſtium pulcritudo Ordinis Eccleſiaſtici. Ibid.
Veſtium honeſtarum dedecus, vita inhoneſta. p. 23. n. 7.
Veſtes ſuæ abominantur hypocritam. Ibid.
Veſtes fomenta morum. Ibi n. 8. & 9. & p. 24. n. 11.
Veſtis delicata homines facit arundines. p. 23. n. 8.
Veſtis index mentis. Ibi n. 10. & p. 24. n. 13.
Qualis veſtis, talis vita. Ibi n. 12.
Veſtium hypocriſis. Ibi n. 10.
Veſte ſui ſtatus quiſque contentus ſit. Ibi n. 13.

Videre.

Videre vivere eſt; non videre mors. p. 25. n. 2.

Vinum.

Vino efrenatur lingua. p. 357. n. 11.

Virga.

Virga designat justitiam. p. 93. n. 3.
Virgæ insignia Magistratuum. Ibid.
Virga oculata symbolum Prælatorum. p. 165. n. 12.

Virgo.

Virginis aspectus vitandus p. 27. n. 9.
Virginis aspectus periculosissimus. p. 28. n. 11.

Virgo Beatissima.

Beatiss. Virginis Conceptio.

Virginis Conceptio dignum opus Omnipotentiæ. p. 97. n. 1.
Virgo Maria lux vel in umbra. p. 98. n. 3.
Ut Virginis Conceptionem celebrent, provocat Deus Angelos. Ibid.
Virginis Conceptio gloria Dei est. Ibi n. 4.
Virginem adjuvit Deus manè manè. p. 99. n. 7.
Sola Virgo sanctificata manè manè. p. 101. n. 14.
Pro Virgine excubant oculi Dei. p. 99. n. 10.
Virginis Conceptio opus Dei matutinum. p. 100. n. 10.
Virgo in matutino servata: quia ab oculis Dei adjuta. Ibi n. 12.
Virginem oculi; Joannem manus Domini adjuvarunt. Ibi n. 15.
Sola Virgo non expectavit gratiam. Ibid.
Virgo prius opus gratiæ, quàm naturæ. Ibi n. 16.
Virgo quomodo ante sæcula creata. p. 101. n. 17.
Virgo non tàm filia parentum, quàm gratiæ. Ibi n. 18.
Virginis Conceptio. p. 105. n. 10.

Beatiss. Virginis potentia.

Vide *Facies Virg.*

Virgo quodammodo terribilior diabolo quàm Deus. p. 105. n. 10.
Virgo pro nobis contra Mauros pugnat. p. 137. n. 5.
Virgo in Palladem versa. p. 139. n. 9.
Virgo in hostes terribilis. p. 142. n. 17.
Virgo pacifica, & bellatrix. Ibi n. 18.

Beatiss. Virg. Facies.

Oculi.

Virgo bifrons. p. 142. n. 19.
Virginis facies hostibus ignea, amicis vitalis. p. 103. n. 2.
Virginis facies vitiorum Regulus. Ibid.
Ab oculis Virginis omnia bona. Ibi n. 4.
Virginis oculi pro manibus. p. 104. n. 6.
Virgo multocula: Cherubinis comparata. Ibi n. 7.
Virgo dùm oculos explicat, abscondit manus. Ibi n. 8.
A Virgine respectus, impossibile quòd pereat. p. 105. n. 9.
Virgo solo aspectu caput draconis contrivit. Ibid.
Virginis arma, oculi. Ibi n. 10.
Virginis faciem non audet diabolus intueri. p. 106. n. 11.
Virgo suis oculis cruciata. p. 108. n. 7.
Virginis gladius oculi ipsius. p. 109. n. 8.
Oculi ad Virginem quasi carnifices ad Christum. Ibi n. 9.
Virgo Princeps facierum. p. 143. n. 19.
Fortuna belli à facie Virginis. Ibi n. 21.
Virginis pulcritudo majestate plena. Ibi n. 20.

Beatiss. Virg. Dolor. Vide *Oculi Virg.*

Summus Virginis dolor adstruitur contra quosdam Anonymos. p. 106. n. 1.
Summa fortitudo, & dolor simul in Virgine. p. 107. n. 3.
Virgo iuxta Crucem tota dolorosa: & in dolorem conversa. p. 108. n. 4. & 6.
Christus caput Martyrum: nobilissimum membrum Maria. p. 110. n. 11.
Virgo Martyribus superior. p. 111. n. 12. & p. 112. n. 17.
Virginis dolor spiritalis. p. 111. n. 13.
Virgo plusquam martyr, filij tormenta spectando. Ibi n. 15.
Virginis dolor etiam cum lactavit Jesum. p. 108. n. 5.

Virtus.

Virtus otiosa non est virtus. p. 114. n. 2.
Virtus tentatione probatur. p. 333. n. 5.
Virtutis, & vitij mistura pessima. p. 249. n. 8.
Virtus non solida, quæ oculis servit. p. 253. n. 5.
Virtus occulta solidior. p. 254. n. 7.
Virtus falsa similis picturæ. Ibid.
Virtus falsa sine luce non ambulat. p. 255. n. 8.

Visiones. Vide *Revelationes.*
Dei visionibus apti, qui benè audiunt. p. 358. n. 4.
Mala visio ex malo auditu. p. 359. n. 7.
Fides potius quam visiones. p. 367. n. 13.
Visio cælestis ex auditu. p. 368. n. 1.
Visio Dei est fidei præmium. Ibi n. 2.
Vita.
Vita contemplativa. p. 352. n. 25.
Vitia.
Vitia paliata. p. 216. n. 8.
Vivere.
Vivere nostrum videre est. p. 127. n. 5.
Unio. Unitas.
Unio formidabilis. p. 143. n. 20.
Unio inter extraneos. p. 229. n. 10.
Unitas Deo grata. p. 251. n. 15.
Unum pro unitate. p. 252. n. 16.
Vocatio. Vocati.
Vocationem sanctam oculi retardant. p. 257. n. 15.
Vocatio Dei spreta, quærit alios, qui sibi obediant. p. 276. n. 15.
Vocatio Dei spreta. p. 339. n. 16.
Vocatio Dei efficax. p. 337. n. 9.
Vocatio per ærumnas efficacissima. p. 355. n. 7.
Vocatus à Deo nil præter ipsum attendat. p. 257. n. 15.
Votum.
Vota inefficacia. p. 333. n. 5.
Vox.
Minima virtus vox est. p. 265. n. 4.
Vox exemplorum. Ibid. & p. 265. n. 4. & p. 271. n. 21. & p. 366. n. 10.
Vox peccatorum altissima. p. 308. n. 4.
Vultus.
Vultu hilari danda eleemosyna. p. 122. n. 4.
Vultus Concionatoris in rebelles durus. p. 131. n. 3.
Vultibus pugnant homines inter se. Ibid.
Vultus corripientis sit severus. p. 374. n. 6.

Z

Zelus.
Zelus animarum sit cautus: nec ad feminas potiùs, quàm ad viros propensus. p. 118. n. 14.
Zelus animarum sit fortis. p. 131. n. 4.
Zelus animarum indifferens. p. 132. n. 5. & p. 33. n. 7. & p. 230. n. 11.
Zelus discretus sit. p. 165. n. 14.
Zelus nè sit nimius. p. 170. n. 10.
Zelus animarum in omnium formas se vertit. p. 228. n. 6
Zelus improbus; Verus; Sacerdotalis. p. 331. n. 9.
Zelus verior in Magnates Ibi n. 10.
Zelantes Veteris Legis. p. 162. n. 6.

NE TE FUGIAT, LECTOR, QUATUOR HIC extare Indices: duos, nimirùm, pro sensu Literali, & totidem pro Morali.

LAUS DEO.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
VALENCIA

1.133